

RVDOLPHI AVGVSTINI VOGEL

PHIL. ET MEDIC. DOCT. ARCHIATRI REGII ET IN
VNIVERSITATE GOTTINGENSI PROFESS. MEDIC.
ORDIN. ACADEM. IMPER. NAT. CVR. REG. SVEC.
ET ELECTOR. MOGVNTIN. SC. SODAL. SOC.
REG. SCIENT. GOTTING. MEMBRI ORDINAR.
PRINCIPATVS GOTTING. PHYS.

ACADEMICAE PRAELECTIONES
DE
COGNOSCENDIS
ET
CVRANDIS
PRAECIPVIS
CORPORIS HVMANI
AFFECTIBVS



GOTTINGAE

APUD VIDUAM ABR. VANDENHOECK

MDCCLXXII.

VIRO

PERILLVSTRI ET EXPERIENTISSIMO

IOANNI PRINGLE

BARONETO ANGLO

NEC NON

VIRO

ILLVSTRI AC EXPERIENTISSIMO

IOANNI GEORGIO ZIMMERMANNO

SACR. REGG. MAIEST. BRITANN.

MEDICIS COMITIBVS

ET

CVSTODIBVS SALVTIS

VIGILANTISSIMIS FIDISSIMIS DOCTISSIMIS

MERITISSIMIS

ACADEMICAS HASCE PRAELECTIONES

PIE ET AMANTER

DEDICAT

IPSORVM

OBSERVANTISSIMVS CVLTOR

RVD. AVG. VOGEL



AVDITORIBVS SVIS

S. ET O.

RVD. AVG. VOGEL

Quum, quidquid in Vestrum usum ac emolumentum conferre possim, perquam libenter me nunquam non facere, Vos haud ignoratis, o Boni! tum nec facile quemquam Vestrum, spero, addubitaturum esse, me, ut vestris potissimum studiis inservirem in nobilissima hac

 juxta

juxta atque praestantissima Medicinae parte, unde tota ars nostra adeo salutaris nuncupata, libellum istum composuisse: qui mole quidem parvus, at materie gravis, nec sine multo labore natus, nec noviter quidem scribi ceptus.

Etenim quinque fere lustra jam praeterierunt, ex quo aegrorum lectulis adsidens tum ipse morbos eorumque progressus sollicite et attente observavi, tum praestantissimorum Medicorum dogmata et praecepta sedulo cum observationibus meis contuli, et quidquid vel ad eruendam veritatem aut falsitatem doctrinae hujus, vel ad amplificandam ipsam medendi artem quomodocunque faceret, vel denique inauditum adhuc esset aut multis adhuc praetervisum, in adversaria congessi, eo quidem primum fine, ut ipse me in divina hac arte continenter perficerem. Posteaquam vero ex Numinis optimi maximi immensa providentia ad ipsam Medicinam edocendam animum debui applicare, tanto alacriore studio in id incubui, ut doctrinam salutarem, cujus praecepta Vobis nunc typis exscripta exhibeo, multo uberius et limatius elaborarem et ab omni figmentorum squalore quam diligentissime repurgatam Vobis sisterem.

Sic itaque prodit libellus ex optimorum auctorum tam priscorum, quam recentiorum lectione, non minus quam ex ipso jamdum lon-

go

go artis exercitio prognatus, atque ſic etiam ſatis ſuperque maturatus; neque tamen ideo ab omnibus defectibus, mihi nimis notis, quos vitae brevitas in tam longa arte potiſſimum infert, adhuc liber: quibus vero emendandis, expoliendis, emaculandis ac reſarciendis ego inpoſterum adhuc omnem, quantum pote, operam ſum navaturus.

Iam vero Veſtra potiſſimum ſcire intereſt, Auditores, me primum de pluribus longe morbis, et ex parte etiam rarioribus, hic praecepiſſe, quam in vulgaribus compendiis, vel ſpiſſioribus etiam voluminibus hactenus uſu venit: quo quidem defectu et tironibus inprimis quam peſſime conſulitur, et vero etiam ipſis aegris, qui ſe ipſorum curae committunt; ſiquidem illi in parva plerumque librorum ſuppellectili, eaque etiam utplurimum non valde exquiſita, prudentioribus conſiliis ac legitima inſtitutione prorſus deſtituti, quisnam ſit morbus praeſens, quidque de ipſo praedicendum, quaque ratione eidem medendum, plane neſciunt, ſicque perſaepe miſeros, quos conſervare alias potuiſſent, hac ſua ignorantia, quae ipſis tamen non tam proprie tribuenda, quam ipſorum inanibus ac ſterilibus enchiridiis, in ſummum vitae periculum conjiciunt.

Deinde, quum in medentium libris vix unquam aliquam morbi qualiscunque hiſtoriam

reperirem absolutam, sive ad ipsius decursum, sive ad eventum respicerem; tum vero maximam simul operam dedi, ut et hanc gravem ac praeclaram doctrinam, semeioticen puta morborum specialem, observationibus tum meis, tum aliorum quomodocunque amplificarem.

Nec minor porro fuit solertia ac industria in recensendis morborum causis atque sedibus adhibita; tanto vero parcior fui, et consulto quidem, in illarum expositionibus, liberum relinquendo cuique suum in iisdem judicium. Facta enim volui tantum consignare, nuda, vera ac aeternum duratura: quae sic etiam magis omnibus placent, et splendidius quoque enitent, quam opinionum commentis circumfusa et circumvallata. Atque ut ego quidem nullius auctoritati me subjiciam, hinc etiam nulli sectae Medicorum me adscribam; sic volui etiam hoc libro Vobis, o boni, ostendere praesertim, quomodo ad solidiorem doctrinam animos vestros componere debeatis, et hoc maxime mecum contenti esse, quod, etiamsi quo quidque fiat, ignoretis, quid fiat, intelligatis. Hoc enim quam maxime aegrotis vestris proficitur. Nec fontes tamen in ipsa disputatione reticentur, unde sitim vestram hac in re quomodocunque fallere etiam discatis, perinde ac impuros a purioribus secernere et internoscere.

Quod

Quod ad remedia attinet, quae ad ſanandos, ſi pote, morbos propoſui, horum me magnam partem ſciatis ex antiquorum theſauris deſumſiſſe, quae hodie partim quidem valde ſunt ignota ac inuſitata, ſed longo tamen uſu ac experientia olim comprobata. Quae recentioribus autem ſeculis et noſtra vero tempeſtate fuerunt inventa, ea non ſine ſelectu et judicio ſuſcepi; quum perperam multa et fallaci judicio a ſuis autoribus atque inventoribus, quemadmodum et olim quoque haud raro fieri conſuevit, praedicentur, quin quaedam adeo magis nociva ſint atque damnoſa, quam proficua; alia nondum ſatis uſu confirmata. In univerſum autem nihil hic ſuperfluum occurrit, ſed quod ſatis tantum ſit, et quod mihimet ipſi ſeſe abunde commendaverit. Iſtorum omnium tamen remediorum cognitio quemadmodum vos latere omnino non debet, ita longo ſatis ſermone iſta, ut jam noſtis, a me celebrantur.

Ceterum vero mementote, dilectiſſimi Commilitones, me conciſe atque preſſe, ſine omni ornatu affectato, praecepta mea conſignaſſe; adeoque ne minimam quidem voculam hic legi, quae non ſuam poteſtatem habeat et perquam attente propterea conſiderari mereatur.

Nunc

Nunc autem valete, o boni, et hacce opella in summi Numinis gloriam et aegrotorum emolumentum feliciter mecum utimini.

Scrib. in Acad. Georg. Aug. M. Ianuar. A. R. S. MDCCLXXII.



CLASSIS I.

CLASSIS I.

F E B R E S.



FEBRES INTERMITTENTES.

§. 1.

Febris et in toto corpore et vulgare maxime morbi genus eſt. Interdum ea morbum per ſe conſtituit, et idiopathica affectio eſt; interdum aliis morbis, vt ſymptoma, accedit, eosque vel periculoſiores vel leuiores reddit; adeoque et morbus et medicina eſt.

§. 2.

Haec autem phaenomena in omni fere febre occurrunt:

Homo tenſionis quendam ſenſum in artubus et ad ſpinam dorſi experitur; cui reſpirandi difficultas, et anxietas, et capitis grauitas, et oris ſiccitas, et totius corporis debilitas ſe aſſociat. Cutis etiam tum pallet, vaſa in ea collapſa ſunt, pulſus parui, celeres ac debiles exiſtunt, totumque corpus vel friget, vel inhoreſcit, vel proſus riget. Rariſſime a calore protinus febris incipit.

Elapſo temporis intervallo habitus corporis rurſus aliquantum inturgeſcit cum cutis vaſis et maiori eius ru-

 bore;

bore; corpus quod antea inhorruit, ſenſim incaleſcit praeter modum; ſpiritus facilius ducitur; pulſus ſe iterum attollunt et aliquanto tardiores fiunt, ſic tamen, vt numerum naturalium intra datum tempus ſemper ſuperent; ſiccitas oris non prorſus ceſſat; ſique febris non mortifera eſt, tranſpiratio demum intenditur, et cum vrina multa craſſa ſecedunt; ſicque febris lente decedit, et vel ex toto finitur, vel recurrit.

§. 3.

Febris ergo, ſi rem recte penſites, atque omnia ſymptomata, quae non perpetuo et vbique eam comitantur, ſeiungas, quorum quidem inſignis numerus eſt, vt alias dicetur, eſt innati caloris augmentum praeternaturale, cum oris ſiccitate et grauitate corporis.

§. 4.

Figoris, ſi quod in initio obſeruatur, ac aeſtus duratio in febribus diverſa eſt; ab hoc vero ipſarum genera conſtituuntur. *Aeſtus* autem febrilis vel ad ſummum octodecim horas durat, et ex toto deinde ceſſat; vel hoc ſtadium tranſcendit, et in plures dies, hebdomades, imo quandoque menſes extenditur. Si prius eſt, ſique deinceps idem aeſtus per interualla bis, ter vel plu-ries recurrit, *febris intermittens* eſt; ſin alterum, *continua.*

§. 5.

Haec igitur febrium generaliſſima diuiſio eſt. In *intermittentibus* autem interſtitium plerumque aliquot horarum, vel vnius, vel duorum dierum eſt, vt vna nunc *quotidiana*, altera *tertiana*, altera *quartana* audit. Interdum tamen etiam longiore circuitu quaedam redeunt; ſed id raro euenit *).

In

In *continuis* aestus minimum per nychthemerum trahitur, qui, cum decedit, sudorem mouet; alias a tribus diebus vsque ad octoginta et vltra vexat, sic, vt vel nulla plane, vel aliqua remissio sit. Febris itaque continua, quae nihil remittit, sed, vt coepit, continuat, proprio nomine *continentis* appellatur. De aliis continuarum discriminibus alibi dicetur.

*) Quintanam, septimanam et nonanam *Hippocrates* iam memorauit *Epidem.* l, p. m. 966. Et quintanæ alibi etiam exempla occurrunt apud *Tulpium obs. III.* 52. in *Eph. Nat. Cur. Cent.* I. p. 196. app. *Cent. VII.* p. 308. *Nou. Act. Nat. Cur. T. I. obs.* 98. Sextanæ et octanae in *Eph. N. C. Cent. VII.* p. 265. Septanae apud *Rhodium obs. I.* 18. Octanae *ib.* 19. et apud *Salmuth Cent. III.* 13. *Hagendorn Cent. II.* 57. *Eph. Nat. Cur. Dec. I. ann.* 4. *obs.* 70. *Cent. I.* 68. *V. p.* 317. Decimanae apud *Zacut. Lusitan. Prax. med. admir. III.* 34. Decimo quinto die, *Deidier Consult. T. II.* 14. et singulo mense redeuntem *Rhazes* memorat; anniuersariam adeo *Plinius Hist. nat. L. VII. c.* 51. sed quam non facile in intermittentibus admitterem, ad diariam potius relaturus.

§. 6.

Permultae res corporibus aduersae, siue in his ipsis sponte genitae, siue extus illatae, applicataeue, et specifica miasmata, febres generant. Typos incomprehensibilis natura facit. Symptomata tum a communibus caussis, tum a propriis fiunt; haecque pro diuersa partium natura varias mutationes efficiunt.

§. 7.

Atque haec quidem de febribus generatim dicta sunt. Proximum est, vt de *intermittentibus* specialiter exponam.

Incipiunt eae a frigore, maiore vel minore, longiore

vel breuiore; ſub quo pulſus paruus et celer, ſimulque aequalis vel inaequalis eſt, et cutis omni fere ſenſu deſtituitur.

Frigoris initium in dorſo, et prima digitorum phalange, et in naſi apice percipitur; et ſuccedit plerumque praegreſſis aliquot oſcitationibus et pandiculationibus.

Interdum autem frigus vnum duntaxat membrum, v. c. brachium, aut dimidium capitis latus, occupat.

Algorem aeſtus cum veloci atque forti pulſu excipit; ſed vix vnquam eundem cum ipſo gradum obſeruat.

In ſummo aeſtu centum et aliquot triginta pulſus plerumque numerantur.

In frigore aeque ac aeſtu ſtadia quaedam obſeruabis, vtpote quae a leui gradu incipiendo, ſenſim ſenſimque tamquam per ſcalam aſcendunt et vbi ſummum culmen attigerunt, rurſus paulatim deſcendunt.

Vbi aeſtus vero multum deferbuit, corpus inſudare incipit, aeſtusque ſub ſudore, vnaque cum illo ſenſim diſpellitur.

Finita deceſſione vrina critica, h. e. cocta cum copioſo ſedimento lateritii coloris emittitur. Vt nempe in continuis ſub finem criſis ſemel tantum per ſudorem et vrinam contingit; ita in ſingulo inſultu febris intermittentis haec accidit: quae tamen perfecta non exſiſtit, ſiquidem adhuc materia morbifica humoribus inhaeret, quae inſultum nouum deinceps facit, et per hunc ſenſim ſubacta et praeparata, h. e. cocta tam per ſudorem et vrinam, quam etiam, licet rarius, per alui fluxum eliminatur.

Diebus vacuis vrina ſanorum ſimilis eſt. Quodſi vero

ro febris prorſus finita eſt, tum etiam in his turbida et limoſa per aliquot dies ſubſequentes conſpicitur.

§. 8.

Frigus in febribus haud dubie a ſingulari neruorum affectione, quam ſenſus cutis ſuppreſſus monſtrat, proficiſcitur, neque adeo ab externo calore vnquam temperatur. Ipſaque materia febrilis haud dubie ipſi humorum orbitae tum immiſta eſt, quia ſub frigore ſanguis vehementer quaſi coit et denſatur, vt collapſa cutis vaſa indicant; aliter ac in aliis ſpaſticis adfectibus, vbi neruoſo ſyſtemate pariter quidem affecto, febriles motus nulli adſunt.

Aeſtus algoris quidem effectus eſt, nequaquam tamen ex toto inde dependet, quandoquidem ipſi non reſpondet, nec algorem quidem ſemper praecurſorem habet. Vt ergo maximam partem a ſanguine intra cor et pulmones collecto excitari videatur.

§. 9.

Nouae acceſſiones febrium intermittentium vel eodem tempore, eademque hora, qua inceperunt, contingere ſolent, vel ſerius paullo vel celerius. Quem ordinem periodorum *Typum* vocamus *).

*) Elegantiſſimus eſt *Galeni*, aut quisquis autor eſt, liber *de Typis*.

§. 10.

Aliae ex intermittentibus duplicantur, et modo binae, modo plures acceſſiones ſic concurrunt, vt tamen vnaquaeque alteri priori reſpondeat. Quotidianae, tertianae et quartanae eiusmodi periodos interdum faciunt.

Et *quotidiana* quidem *duplex* tum exiſtit, quando

ſingulo die, non longo interpoſito interuallo, duae acceſſiones ſe excipiunt, quarum initium ex frigore cognoſcitur.

Tertiana duplex quotidie accedit, ſic tamen, vt reuerſionis tempora alternis diebus ſibi reſpondeant; quo vnice a quotidiana ſimplici differt. Haec tertiana duplex vero non ſimul, ſed interpolatis terminari diebus conſueuit.

In *quartana duplici* tertius dies prorſus a febre vacat.

Plures iamdum quidem ab antiquis obſeruatae fuerunt intermittentium varietates, quas tamen rimari vix operae pretium eſt, vid. *Galenus*.

§. II.

Symptomata intermittentium non alia ſunt, quam ceterarum febrium, quarum mentio iam ſupra facta eſt (§. 2.). Habent tamen ſuos diuerſos gradus, praetereaque frequentiſſime nauſea, vomitus, ſitis, capitisque dolor ſe adiungunt. Et *vomitus* quidem ſub frigus vel eius deceſſionem incidit, pariter ac *ſitis*, quae ſub frigore ſimul intenſior, quam ſub aeſtu eſt.

Paullo infrequentiora ſunt delirium, ardor internorum et algor extremorum, exanthemata miliaria, puncticularia, inſignis languor, cardialgia, aphthae oris, aſthma, tuſſis vehemens, haemoptyſis, conuulſiones, tetanus, animi deliquia, veſicae vrinariae ſpaſmus, icterus, mutitas, ardor ſiccus absque ſudore, aut nimis ſudor, lateris dolor, ſingultus et ſopor, qui maxime omnium periculum minatur, vtique ſi in frigore accedit. Atque eiusmodi inſuetis et grauibus ſymptomatibus ſtipatae intermittentes iure ſuo *malignae* cognominantur, quum adeo aliquos e medio tollant *).

Habitus

Habitus corporis in qualibet intermittente vel tardius vel celerius in cachecticum et ex pallido subbiliosum conuertitur. Paucissimae sunt, in quibus ille nullum vitium prodit.

*) Permultos eiusmodi febrium obseruatores recensuit V. cl. *Frid. Casim. Medicus* in L. *Geschichte periodischer Krankheiten II.* p. 201. §. 65.

§. 12.

Mentio adhuc speciatim facienda est pernitiosissimi, quod §. 11. retuli, symptomatis, *soporis* nempe, qui interdum, licet raro, febribus intermittentibus se adsociat, ac in lethalem apoplexiam plerumque terminatur. Accedit ille vel primo statim aut altero paroxysmo et frigoris initio, duratque per integrum circuitum, deinde bis, ter, quaterue recurrit, tuncque mortem sub ipso quidem frigore inducit. Priores accessiones interdum ab hoc symptomate vacant, iamque praeter omnem exspectationem quarto, quinto, vel sexto circuitu id sese effert.

Eiusmodi febres *apoplecticae* aut *soporosae* dictae, interdum epidemico more grassantur *). Perraro naturae robore superantur, aliquandoque tum periodicam relinquunt obliuionem **). Ex vehementiore animi affectu ego vidi tertianam in tenera muliere ex improuiso in soporosam commutatam, nec tamen letiferam, cum semel tantum inciderit. Et carum in tertiana duplici septies recurrentem sine morte *Hoffmannus* notauit ***).

*) Eae iam dum ab *Aetio* memoratae cap. de Lethargo. Maiorem vero lucem illis adfuderunt suis obseruationibus *Mercatus*, *Dodonaeus*, *Sydenhamus*, *Baglivius*, at maximam *Torti* et *Werlhofius*. Conf. etiam *Commerc. Noric.* an. 1731. p. 187. n. 3. an. 1732. p. 345. an. 1734. p. 98.

**) vid. *Act. Nat. Cur.* Vol. X. obs. 15.

***) *Med. rat. system.* T. I. P. IV. c. 2. obs. 1.

§. 13.

Typus febrium intermittentium nonnunquam penitus abſconditur, vt neque ex vrina, neque ex pulſu, neque ex alio ſigno ſolito dignoſci queat, ſed ſub larua diuerſorum morborum, inprimis vomitionis, diarrhoeae, cholerae, algoris funeſti, cardialgiae, ſyncopes, hemicraniae, rheumatiſmi, pleuritidis, peripneumoniae, coecitatis, abſcondatur, et medentem a ſcopo ſuo non raro abducat; ſiquidem remedia his morbis alias accommodata nunc perperam ad ipſos oppugnandos adhibentur.

vid. *Richard. Morton Pyretolog.* Cap. 9. *Franc. Torti Therapeutice ad febres periodicas pernitioſas* C. II. et III. *Obſeruations on the epidemical diſeaſes in Minorca*, by *Ge. Cleghorn*, p. 121. ſeq.

§. 14.

Materialem febrium intermittentium *cauſam* in pituita, lympha, et bile ſeorſim vel coniunctim vitiata ponimus; cuius ſententiae argumentum tum ex cachectico plurimorum aegrorum habitu, aliisque pathematibus (§. 11.), tum ex cauſis ſiue rebus illas producentibus facile deſumitur; cuiusmodi ſunt v. c. vehementiores animi commotiones, fortiora purgantia, res virulentae in corpus qualicunque modo delatae, ſudores ſuppreſſi, exanthemata repulſa, balnea tam frigida quam calida, habitatio in locis humidis et ſtagnoſis, ingluuies, cibi nimis duri et glutinoſi, peruigilium, fames, potio frigida in calidum corpus affatim ingeſta, dolor vehemens, materies purulenta, ichoroſa.

Irregulares tempeſtatum conſtitutiones interdum febres intermittentes epidemicas, plerumque mali moris, producunt *).

*) vid. *Hoffmanni Med. ſyſt.* T. I. Sect. I. c. 4. *Io. Andr. Fiſcher*

Fiſcher diſſ. *de Febribus intermittentibus epidemice graſſantibus*, Erford. 1728. *Chr. Tob. Ephr. Reinhardi* Carmen *de febribus intermittentibus ſpuriis ſeu epidemicis anni* 1747. 48. 49. 50. 51. Dresd. 1751. 8.

§. 15.

Voracitas, neglectum regimen, fibrarum laxitas, et praepoſtera medela, quae inprimis adſtringentibus intempeſtiue datis, et a nequiſſimis arſenicalibus medicamentis perficitur, denique et vehementiores animi affectus, potiſſimumque ira ac terror, nec non vitia in viſceribus imi ventris latitantia, omnem febrem intermittentem non ſolum longiorem et ſubinde adeo inſuperabilem reddunt, ſed denuo etiam facile producunt; quam *recidiuam* vulgo vocant.

§. 16.

Sub frigoris ſtadio natura materiam febrilem praeparat aut ſaltem praeparare incipit. Minus tamen is motus, a corporis ſuperficie ad interiora tendens ſalutaris dici poteſt, ſiquidem adeo interdum mortiferus eſt. Mors enim, ſi qua in intermittente febre contingit, ſub hoc ſpaſtico ſtadio ſemper incidit. Contra vero alter motus, quo calor et ſudor erumpunt, et qui ab interioribus ad circumferentiam tendit, ſemper ſalutaris eſt, vtpote ſub quo et per quem materia febrilis corrigitur, eiicitur, et ipſa febris ſenſim ſoluitur. Quae nunc quoque cauſa eſt, cur febres iſtae aliis grauioribus et longis morbis ſuperuenientes, illos ſaepe vincant. Teſtantur inſuper complures obſeruationes, quod infirmi, poſt febrem, longam ſanitatem adipiſcantur; et multi etiam obeſiores et robuſtiores fiant.

§. 17.

De *tertianis* et ceteris intermittentibus ſpecialiter quae-

quaedam nunc praecipienda ſunt. Illae ſi exquiſitae ſuerint, adde, ſi in corpore iuuenili et viſceribus haud vitiatis, intra duodecim horas plerumque decedunt, et quinque, ſeptem aut nouem circuitibus iudicantur, vt recte ab *Hippocrate* *) obſeruatum eſt:

Praeter communem vero criſin alia ſimul iſtis ſolemnis eſt, dum tertio vel quarto circuitu vlcuſcula ſicca in labiis effloreſcunt. Et ſi hoc contingit, certo ſpes eſt, febrem circuitu ſeptimo iudicari.

At tertianae facile etiam in aliam febris ſpeciem, quotidianam, continuam, duplicatam commutantur.

Eaedem facile quoque, et ex leui errore reuertuntur.

Tempeſtas et anni tempora curationem neque facilitant, neque difficiliorem reddunt.

*) *L. de iudicat.* p. 67. *Coac. praenot.* 148.

§. 18.

Quotidianae plerumque hiberno tempore et autumnali nubilo coelo occurrunt, pluresque ſimul eodem tempore ſine reſpectu profecto temperamentorum, aetatis, ac ſexus prehendunt.

Ex aliis intermittentibus, promta earundem geneſis eſt. Neque vlla intermittens eſt, quae tam facile in lentam tranſeat.

Criſis perfecta plerumque vndecimo vel decimo quarto circuitu incidit, neque facile aliquis ſine alui ſpontaneo profluuio iudicatur.

At caveas velim, ne quotidianam cum catarrhali, lenta, tertiana duplicata, aut quartana triplici confundas.

§. 19.

Quartana febris omnium quidem longiſſima *), ſed

dubito,

dubito, an etiam, vt *Hippocrates* pronuntiauit, placidiſſima ſemper et tutiſſima ſit **); cum perſaepe ex viſcerum vitio natales ducat, et corporis habitum prauiſſimum efficiat.

In nonnullis locis, inprimis borealibus, et paludoſis, fere endemia eſt.

Contra alios morbos, aſthmata praecipue, conuulſiones, podagram, hypochondriaca pathemata haud raro praeſidio eſt. Ipſa vero illa viciſſim ab aliis morbis ſuperuenientibus, ſcabie, variolis, purpura, haemorrhoidum fluxu, ſaliuatione, vlcuſculis labiorum, ſoluitur.

In tertianam nonnunquam commutatur, et viciſſim quoque ex hac gignitur: interdum qnoque in continuam tranſit.

De grauidis compertum eſt, quod non prius ea, quam ſuperato partu, liberantur; infante vero poſthac eadem affecto ***).

Praeter communem criſin et haec peculiarem interdum ſeruat, quod furunculus in buccis naſcitur, qui protinus eam ſoluit ****). Abdominis tumore et diarrhoea pariter nonnunquam, ſed raro, iudicatur *****).

Aliqui in hac febre non ſudant; neque vero niſi per ſudorem ad integritatem veniunt.

Nulla febris facilius, quam haec, recurrit. Recurrens vero nunquam ita pertinax eſt, quam praegreſſa, et ſponte ſaepe poſt aliquot circuitus finitur.

Inter ſcandala Medicorum non amplius ea referenda eſt: neque verum hodie eſt, quod *Hippocrates* praedixit, autumnalem quartanam per integram hyemem durare, neque prius ſubigi poſſe, quam ſolſtitii vernalis tempore. Falſum quoque proinde eſt, autumnalem, quam

quam vernalem, curatu difficiliorem esse, neque intra annum desinere.

In alios grauiores morbos cachecticos, speciatim hydropem et icterum facile transit, sine vlla saepe medentis culpa.

*) Insolita diuturnitatis exempla quartanae per XVIII. XXXII. et XLVIII. annos affligentis adducunt *Io. Wierus obs.* p. 36 et *Wolffg. Gabelchoverus Cent. VI.* 74.

**) *L. I. epidemic.* p. 966.

***) *Hoffmanni Med. rat. syst.* T. IV. Sect. I. c. 2. §. 18.

****) Hoc iam a me animaduersum legas in *Gottingens. Praenotion. Penso I.* 15.

*****) vid. *Godofr. Klaunigii Nosocom. charitat. Obs.* 6.

§. 20.

Quae longiore circuitu redeunt, in vniuersum fere longae esse consuerunt, vt vnum, imo duos vel tres annos perdurent; rarissime vero lethales sunt, nec corporis vires nimis destruunt. Quintana interdum celerem iudicationem habet; atque etiam ex continua fit. Ante tabem, aut iam contabescentibus vbi superuenerit, perimit.

§. 21.

Ad *curationem* intermittentium progredior, quae eo redit, vt primum et ante omnia corrupti succi e primis viis per vomitoria aut purgantia eliminentur, deinde, quod reliquum est, corrigatur, et labefactatus fibrarum tonus instauretur, totaque humorum massa nouo quasi balsamo iterum condiatur.

§. 22.

A nausea et vomitionibus spontaneis *emetica* inprimis

mis indicantur; eaque quantocyus exhibenda vel breui ante paroxyſmum, quod quidem multi temere culpant; vel die vacuo. Raro opus eſt, vt repetantur. Neque grauidis iſta nocent.

Quem in finem igitur puluis componitur ex radicis Ipecacuanhae gr. XV. vsque ad dimidiam drachmam, ſulphuris antimonii aurati tert. praecipit. gr. j. ad iij. et olei deſtillati corticum aurantiorum gt. j. aut decoctum ex radicis Ipecacuanhae drachmis duabus ad vnciam dimidiam, quibus in aquae fontanae vnciis quatuor decoctis ſyrupi corticum aurantiorum vel cinnamomi vncia dimidia adiicitur: aut mixtura ex aquae cinnamomi ſ. v. vncia dimidia, tartari emetici granis duobus vel tribus, et ſyrupi florum papaueris erratici drachma vna vel altera. Praeterea et ſyrupus emeticus et aqua benedicta Rulandi hic locum habent.

Vomitoria interim ſalubriter quandoque cum purgantibus remiſcentur, ſic, vt pulueris radicis Ialappae ſcrupulus vel dimidia drachma cum tartari emetici grano vno vel duobus; aut ſalis Anglicani vel alius vncia dimidia in aliquot vnciis aquae deſtillatae ſoluta, adiecto tartari emetici grano vel duobus; aut denique mannae electae vncia, cum terrae foliatae tartari drachma et tartari emetici grano vno ad tria, in vnciis aliquot aquae calidae ſoluta exhibeatur.

Purgantia, quae die ſemper vacuo decernenda, inprimis in his febribus indicantur, quas ipſa natura alui fluxu ſoluere conſueuit. Puluis Cornachinus ad dimidiam drachmam ter vel quater omni bihorio datus, donec aluus aliquoties liquata fuerit; aut haec compoſitio, quae ex Tincturae rhabarbari or. vnciis tribus, Elixir aperitiui Clauderi vncia, Salis ſedlizenſis et ſyrupi cardui benedicti ſingulorum drachmis ſex parata, iisdem

iisdem, ac dictum eſt, interuallis datur, egregium, quin admirabilem hic vſum faciunt.

Quod equidem ex *Bagliui* obſeruatione intermittentes quaedam ab exhibitis purgantibus duplicentur, vel grauibus ſymptomatibus exaſperentur, quin ab iisdem repetitis in chronicas et letales terminentur, et ſimplices tertianae annuae euadant *); ipſius fidei relinquendum eſt. Mihi tales nunquam occurrerunt, et vereor multum, ne longe aliis cauſſis nequitia iſta debeatur.

*) *Opp. L. II. c.* 10. §. 2.

§. 23.

Ab euacuantibus ergo cura ſemper incipienda eſt; quae perſaepe ſola quoque eam perficiunt. Poſtea vero reſoluentia cum tonicis propinanda; inter quae ex prima claſſe aptiſſima ſunt ſal ammoniacum, in puluere aut ſolutione, quae commodiſſime fit ex aquae florum chamomillae vnciis octo, ſalis ammoniaci depurati drachmis tribus, eſſentiae vel extracti gentianae rubrae drachmis duabus et ſyrupi corticum aurantiorum vncia; cuius patella dimidia ter die hauritur; radix Ari; ſpecificum antiſebrile Crollii; ſpiritus ſalis ammoniaci; ſal volatile oleoſum Syluii: ex altera vero cortex Peruuianus in puluere aut decocto, gaſcarilla ſimiliter, radix gentianae rubrae et albae, cortex aurantiorum, flores chamomillae, ſemen paſtinacae, abſinthium, carduus benedictus, et quae ex his rebus eſſentiae ac extracta in officinis proſtant; nec non crocus martis antimoniatus Stahlii, radix ſerpentariae Virginianae, elixir vitrioli et antifrebile Mynſichti, et qui mira praeſtat, nec ſine vſu multiplici a *Craaneno* antiquartium ac febrifugum appellatus eſt, regulus antimonii medicinalis. Ex quibus varia etiam inter ſe miſceri, aut vino aquaue infundi poſſunt.

Alia

Alia plura, vt mithridatium, flores ſulphuris, chelidonium, infuſum nicotianae in cereuiſia, plantaginem, matricariam, piper nigrum et album, oleum animale Dippelii, nec laudare poſſum, nec inuitis volo obtrudere.

Cortex Peruuianus, quem multi medici omnibus aliis febrifugis tanquam praecellentiſſimum hodie praeferunt, certe hanc laudem non meretur, ſed potius infimum fere inter haec locum occupare debet, cum plures vncias ſaepe incaſſum deuorent aegri *); vt proinde quoque in tanta debilitate, qua agit, neminem certe laedere aut grauiores morbos inducere valeat. Multoque debilior eius virtus eſt, ſi in electuarii formam redigitur, quae ipſa aegris ſumme iniucunda. At decoctum eius **), quemadmodum et aliorum ſtirpium ſupra memoratarum, quam vtiliſſime in anum per clyſterem infunditur, et infantibus maxime, qui omnia remedia abhorrent, accommodatum eſt. Idque praeferendum etiam cenſeo paratis inde cataplaſmatibus, ventriculo ſuperimpoſitis ***).

*) Quid ergo ſperandum ſit a cortice ad quatuor vel ſex vncias ſubuculis inſuto et geſtato, qua ratione ſe feliciter aliquoties ſanaſſe febres, Cl. *Pye* adfirmat in *Medical obſeruations by a Society of Phyſiciens at London, Vol. II.* 16. facile inde iudicatur. Ego certe perſuaſum habeo, non halitus huius corticis, ſed naturam ipſam has febres ſanaſſe.

**) vid. *Methode pour guerir toute ſorte de Fievres, ſans rien faire prendre par la bouche, par Mr. Heluetius.* Paris 1694. 8.

***) Qualem vſum ſuadet et in ſe ipſo, cum ſemitertiana febre laboraret, cum euphoria expertus eſt Ill. *Roſenius*; vid. *L. von Kinderkrankheiten*, p. 300. edit. 2. Murrayan.

§. 24.

In quartanis, et quae longiores circuitus habent, maior difficultas curandi obtinet, nec ſine ſale ammoniaco aut regulo antimonii medicinali iſtae ſuperari poſſunt. Alias vero infuſa ſemiuinoſa ex roborantibus et purgantibus parata optime conueniunt; cuiusmodi eſt, quod ex herbae centaurii minoris, cardui benedicti, abſinthii vulgaris, trifolii fibrini, ſingulorum manipulo vno, florum chamomillae Romanae pugillis duobus, foliorum ſennae, radicis ellebori nigri, ſingulorum vncia dimidia, corticis Peruuiani vncia, et tartari tartariſati drachmis ſex componitur; quibus conciſis vini albi librae duae vel tres et aquae communis libra adſunditur. Cuius infuſi cyathus bis vel ter ſingulis diebus vacuis hauritur. Pro potu ordinario decoctum radicis ſarſaparillae egregie inſeruit, cuius conciſae vnciis quatuor affundimus feruidae aquae libras duodecim, lenteque decoquimus ad quartae partis conſumtionem; iamque abſoluta decoctione aliquantum glycirrhizae admiſcemus.

Vbi vero hiſce medicamentis febres non obtemperant, ad mercurialia confugiendum eſt, vtpote quae potentius lympham ſpiſſam, tam in humoribus inhaereſcentem, quam viſceribus iam impactam reſoluunt ac corrigunt. Optimeque tum regulo antimonii medicinali aliquot grana mercurii dulcis, et vnum vel alterum quoque granum ſulphuris antimonii aurati admixta, per aliquot dies dantur, adiuncto decocto commodo ex ſarſaparillae, bardanae, et polypodii radicibus, quo mercurialium vſus adiuuatur. Aliquando quidem mercurius dulcis ſaliuationem mouet, ſed nullo pacto extimeſcendam, quippe breue taedium felici curatione abunde compenſatur.

vid. *Io. Henr. Schulzii* Diſs. *de mercurialium vſu in febre quartana curanda.* Hal. 1742.

§. 25.

In ipſa febrium intermittentium acceſſione nihil moliendum, niſi ſymptomata quaedam, velut ſitis, dolor capitis, aeſtus, grauius vrgeant, vel alia inſueta ac terrifica, vt conuulſiones, ſopores, ſpaſmi, ſe immiſceant.

In priori caſu potus antiphlogiſticus, ex aquae fontanae menſura, admixtis ſyrupi rubi idaei et aceti vini, ſingulorum vnciis duabus, et ſimiles mixturae conueniunt; qualis ex aquae florum ſambuci vnciis quatuor, tincturae florum papaueris erratici recentis vncia dimidia, liquoris mineralis anodyni Hoffmanni drachma dimidia, ſyrupi ribium drachmis ſex componitur; cuius cochlear plenum ſingulis horis ſumſiſſe abunde eſt.

Sanguinis miſſio etiam tunc conuenit, tam in ipſo circuitu, quam extra illum; inprimis, vbi acerbiores capitis dolores et mentis alienationes vexant. Vt plane non ſint audiendi hi, qui tamquam maxime nociuam eam in intermittentibus reiiciunt.

At ſpaſmis et conuulſionibus vero optime medemur liberaliore corticis Peruuiani vſu, et linimentis neruinis, aliquot horis ante paroxyſmum medullae ſpinali infricandis; cuiusmodi eſt balſamum cephalicum Sereniſſimae, et haec compoſitio, quae fit ex vnguenti pomadini vncia, olei deſtillati rutae, lauendulae ſingulorum guttis duodecim, balſami Peruuiani drachma, inter ſe inuicem mixtis. Quibus etiam olei animalis Dippelii totidem guttae, vel olei caſtorei cocti drachmae duae addi poſſunt; quibusue etiam per ſe vti licet.

Inprimis vero in ſoporoſis febribus oportet ſedulo et crebro kinkinam exhibere, ad dimidium ſcilicet drachmae ſingulis binis horis in diebus vacuis; ceteris omnibus remediis ſepoſitis. Iſtae enim, ne vita peſſumdetur, ſtudioſe ſupprimendae ſunt. Et hac ratione

 cor-

cortex quoque vnicum remedium eſt, quod ſcimus, tam in febribus cum lipothymis, conuulſionibus, aut veſicae doloribus coniunctis, quam in iis morbis, quos intermittentes febres mentiri ſupra ſcripſimus (§. 11.).

§. 26.

In epidemicis, inprimis ſi inſueta habeant ſymptomata, et metus cuiusdam malignitatis ſit, leues purgationes pulueribus aliquot ex tartari vitriolati et rhabarbari orientalis, ſingulorum granis quindecim, aut pulueris Cornachini recens parati drachma dimidia, per breuia horarum aliquot interualla adornandae; deinde puluis contrayeruae compoſitus, eadem quantitate omni trihorio datus, cum potu antiphlogiſtico, qualem ſupra commendaui (§. 25.), proſunt: contra vero emetica, niſi vrgente neceſſitate, eſſentiae alexipharmacae, tincturaeue bezoardicae, et regimen nimis calidum nocent. Nec venaeſectio hic vtilis adeo videtur; qua quippe *Hoffmannus*, ſi alias recte iudicauit, tranſitum eiusmodi intermittentium in continuas vidit *).

*) *Med. rat. ſyſtem. T. IV. P. IV.* p. m. 209.

§. 27.

Qualis diaeta febricitantibus per circuitus conueniat, ex nocentibus et proficientibus ſupra commemoratis (§. 14.) intelligitur. Illud vnum moneo, quod ſaliti et muria conditi cibi neutiquam noceant, quamuis inter duros et prohibitos vulgo referantur; ſed potius valde ſalubres ſint. Neque ego animalium carnes temere, iuxta vulgi opiniones, damnare poſſum.

§. 28.

Finita febre neceſſe eſt, vt in roborantium vſu per aliquot hebdomades pergatur, ad recurſum eius impedien-

diendum. Nec vitia in regimine et victu committenda. Nec purgantia, si forte stomachus adhuc languet et fastidium cibi est, offerenda sunt. Vix autem finitur febris, quin oedematoso tumore, maiore vel minore, pedes occupentur: qui vero sponte se rursus subtrahit, quamprimum fibrae robur suum naturale recuperarunt, et corpus laboribus exercetur.

§. 29.

Neque denique silentio premendum, diuersos morbos cachecticos, inprimisque viscerum indurationes et hydropes a febribus intermittentibus, vel sponte vel ex improuida suppressione excitari.

Atque medici cura eo, si fieri potest, quam maxime nunc dirigenda est, vt quam primum reuocetur febris; quod quidem eo facilius est, quo propius hi morbi a suppressa febre absunt. Neque vero tum semper febris reuertitur, sed in vicem eius scabies succedit, quam nullo modo turbare, sed fouere potius oportet.

Quodsi vero reuocare velis febrem, fortioribus stimulantibus, resoluentibus, atque purgantibus, vel prioribus iunctis, vel per interualla interpositis, vtendum est. Quem in finem aloes hepaticae drachmae tres, gummi ammoniaci, galbani, singulorum drachma vna, aceto scillitico excipiuntur, indeque catapotia pondere vnius grani formantur, quorum octo vel duodecim mane et vesperi abunde est sumsisse. Item pulueris radicis ari, pimpinellae, salis iuniperi pares portiones, ex quibus bis terue de die drachmae dimidium deuoratur; aut essentia fuliginis Clauderi ad sexaginta vel octoginta guttas iisdem interuallis ex aqua sumitur.

Vbi vero per haec febris non redit, et hydrops perdurat vel adeo increscit, aut is sub ipsa febre subnascitur,

tur, hunc nullum nunc medicamentum citius debellat, quam cortex Peruuiauus, quouis bihorio ad drachmam dimidiam datus, vel ipſius decoctum aut infuſum vinoſum. Praemittendum vero eſt, et interponendum quoque ſubinde remedium, quod aluum purgat.

vid. *El. Frid. Heiſteri* diſs. *de quartana et hydrope per corticem Peruuianum curatis.* Helmſt. 1740.

FEBRES CONTINVAE.

§. 30.

Febres continuae plerumque quidem ac intermittentes ab algore, horrore, aut rigore incipiunt, at ſubſequens aeſtus nec noctu, nec interdiu intermittit, ſed continuo vexat, ſic tamen, vt remiſſiones ac exacerbationes inferat, quarum illae in horas matutinas, hae vero in veſpertinas et nocturnas incidunt, atque paribus aut imparibus diebus ſibi inuicem aliquantum reſpondent, quas coniunctim periodos appellamus. Vnde *amphimerinae* antiquis dictae, quarum acceſſiones quotidie praegreſſo frigore fiunt; *tritaei*, quae altero quoque die exacerbantur; *hemitritaei*, quae quotidianas exacerbationes habent cum frigore alternis diebus recurrente; et *tetartophyae*, vbi quarto die nouus horror aeſtui ſe immiſcet.

§. 31.

At terminus febrium continuarum non idem eſt. Aliae ſunt breuiſſimae, et *Ephemerae* ideo dicuntur, quod vno nychtaemero, aut ad ſummum quatuor finiuntur: aliae neque tam breues, neque tamen valde longae, ſeptimo, nono, vndecimo, decimo quarto, et vigeſimo primo die iudicantur, quas *acutas* ſtricte hodie appellant: aliae denique multum hunc terminum exce-

excedentes, ad vnum, duo vel tres menſes producuntur *), cum mitiore quidem aeſtu, at nunquam ſine luculenta malignitatis nota, et ſine maximo virium decremento; *neruoſas lentas* noſtri vocant. Sed hae plerumque non vnius, ſed duarum vel plurium acutarum decurſus vel etiam reuerſiones iteratae habendae ſunt.

*) Exempla febrium acutarum centeſimo, et vigeſimo vltra centeſimum die iudicatarum apud *Hippocratem* legas *Epid. III. aegrot.* 1. *et* 9.

§. 32.

Alia diſcrimina febrium continuarum in *ſimplices*, *exanthematicas*, *inflammatorias*, *primarias*, *ſymptomaticas* et *complicatas* expedire hic non vacat, vtpote quae ex pathologia repetenda. Illud vnum ſaltem moneo, quod quaedam continuae vnius ſaltem ſint ex his claſſibus; quaedam ex pluribus ſpeciebus compoſitae, qualis eſt v. c. purpura puerperarum, quae non acuta tantum febris eſt, ſed et ſymptomatica et inflammatoria, vt maligna adeo fieri queat. De alio diſcrimine continuarum in *benignas* et *malignas*, ad quod nobis maxime, quoad ſcopum therapeuticum, attendendum, mox plenius exponam.

§. 33.

Quidquid vero praeter aeſtum, celerem pulſum, oris ſiccitatem, atque virium proſtrationem febribus continuis ſe immiſcet, *ſymptomatis* nomine comprehendimus, cuius numerus ſane multiplex. Praecipua autem ſunt haec, quae ſequuntur: Faſtidium cibi, peruigilium, praecordiorum anxietas, reſpiratio oppreſſa, aluus fuſa vel adſtricta, cephalalgia, vertigo, mentis alienatio, ſopor, ſanguinis profluuium, tinnitus aurium, ſurditas, ſingultus, lingua tumida, nigra, ſicca, rubra, muco obducta,

 ptya-

ptyalismus, dentium stridor, aphonia, oculorum distorsio, amaurosis, icterus, floccorum venatus, subsultus tendinum, iactatio, indecens corporis denudatio, prolapsus ad pedes, deglutitio tussiculosa, strepitus in pectore inter potandum, rhonchus, exanthemata, sudor frigidus vel calidus, extremorum algores et internorum ardores, conuulsiones, ventris tumor, lotium varie tinctum. Ex quibus cunctis praesagitiones et praedictiones nostras formamus, et genera quoque atque species continuarum constituimus *). Rarioribus symptomatibus adnumeramus nares, labia, vngues, digitos et integra membra sphacelata, maxillae inferioris spasmum, tetanum vniuersalem, et liquidorum timorem.

*) Vnde nomina antiqua Elodes, Typhodes, Assodes, Leipyria, Lyngodes, Phricodes, Pemphingodes, Epiala, Typhomania etc. quae hodie quidem vix audiuntur, vel intelliguntur, sed tamen febris speciem a suo cardinali symptomate quam elegantissime determinant; et quae non magis obliuioni tradi debuissent, quam alia adhuc vsitata antiqua nomina, Phrenitis, Causos, Hydrophobia, Lethargus.

§. 34.

Ad memorabile continuarum discrimen in *benignas* et *malignas* nunc venio. Malignitatis naturam impressam habet qualiscunque febris, siue simplex sit, siue inflammatoria, siue exanthematica, quae statim ab initio insignem virium debilitatem infert, deinde vno vel altero insueto, aut solito grauiore symptomate vel horum pluribus stipata est, simulque aut calorem non valde aestuantem, sed moderatum, mordacem tamen ac vrentem, quod plerumque fit, aut vehementissimum aestum coniunctum habet *). Vnde iam cognoscitur, quid benignitatem continuarum efficiat. Illas nempe benignas vocamus, in quibus contrarium obtinet.

Ad

Ad notas ex pulſu, vtpote vtrobique fallaces, hic non attendimus; neque enim verum eſt, quod in malignis pulſus ſemper paruus, celer, ac debilis, inque benignis ſemper magnus, vehemens, et velox ſit, vt potius ſubinde contrarium obſeruetur.

Atque vti malignae ſemper periculoſae, ita benignae in ſe non exitiales ſunt; interim ſingulae iisdem diebus finiuntur.

Quaedam continuae ſemper malignae ſunt; aliae pauciores ſemper benignae; plurimae modo benignae, modo malignae, etiam ſub eadem epidemica conſtitutione.

Malignae febres modo breuiores benignis ſunt, vt peſtis et quaedam inflammatoriae; modo longiores.

*) Speciales malignitatis notas permultas *Hippocrates* prodidit in *Coac. praenot.* n. 30. ad 63. 88. 112. 115. 130. cf. Ill. *Ant. de Haen Rat. medend.* T. III. c. 1.

§. 35.

Criſi, hoc eſt, luculenta excretione materiae morbificae, per ſudorem potiſſimum et vrinam, omnes febres continuae, ſiue benignae ſiue malignae, quandocumque ad integritatem venitur, terminantur. Iſtaque ſub aequabili febris declinatione contingit, et aliquot diebus poſt morbi finem perſeuerat.

Qualiscunque praeterea haemorrhagia ſub eodem ſtadio ſe efferens, cardinalibus illis binis euacuationibus adnumeranda eſt: itemque huc alui profluuium, nonnunquam vomitus, rariſſime icterus referendus.

Equidem dari etiam malignas ſine vlla ſenſibili excretione finiri ſolitas, aliqui autores habent *); et *Hippocra-*

pocrates ipſe iam animaduertit **); at vrina critica aliquamdiu poſt demum, quod certe ſcio, conſpiciendam ſe praebet.

*) vid. Ill. *Ant. Störk ann. med. II.* p. 72. 84.
**) *Epidem. I.* p. 955. 958.

§. 36.

Malignae febres non ſemper, vt benignae, perfecte iudicantur, ſed diuerſas *metaſtaſes* efficiunt.

Quaedam in aliam, aut in plures ſibi inuicem ſuccedentes, aut in intermittentes, aut in lentas abeunt.

Quaedam abſceſſus purulentos vel intra ipſum febris decurſum, vel poſthaec, et vel in affecto loco, vel in alio externo aut interno, excludunt. Atque iſtiusmodi abſceſſus aliquando longo ſaepe interuallo a febre oriuntur, vt ne ad illam quidem referendi videantur.

Aliae metaſtaſes fiunt per defluxiones ad varias corporis partes, et rheumatiſmos, genitalium et pulmonum catarrhos, aut excretiones haemorrhoidales pariunt.

Tumores itidem pedum, vniuerſae cutis oedematoſi, teſtium, glandularum inguinalium aliarumque, et cyſtici varii tumores, et ſcirrhi tam interiorum, quam exteriorum partium, cancrique occulti, et obſtructiones viſcerum, nec non affectiones dentium, faucium, gingiuarum, pariter hic obſeruantur. Quin ad ipſa oſſa interdum, horumque articulos reliquiae morborum deferuntur.

Aliae metaſtaſes ſingularia vitia in neruoſo ſyſtemate pariunt, ſiue tralatitia materia, ſiue conſenſu neruorum ex affecta ſede oborta, cum ſpaſmodica, tum paralytica: cuiusmodi ſunt ſurditates, amauroſes, dyſu-

riae.

riae. Aliae ex hoc genere metaſtaſes ipſas vires animales afficiunt, vnde tot vitia memoriae, phantaſiae.

Tandem etiam non pauca exanthemata tamquam metaſtaſes ſpectanda erunt, vt variolae, morbilli, tubercula vrticata.

Atque per eiusmodi metaſtaſes malignae febres qualescunque non raro finiuntur, aut corpus ſaltem, adhuc imbecillum, nunc magis firmatur, aut viciſſim in tabem coniicitur. Sphacelus in externa aliqua parte ortus ambigua metaſtaſis eſt: ipſius vero lethalitatem deliria et conuulſiones accedentes annunciant.

Elegantiſſima eſt noſtri olim *Brendelii* diſs. *de abſceſſibus per materiam et ad neruos*, reſp. *G. A. Henrici*. Gott. 1755.

§. 37.

Nullae certae *praedictiones*, neque ſanitatis, neque mortis ante criſin formandae ſunt. Nonnulli enim aegri cum optimis ſignis decedunt; alii contra cum peſſimis euadunt.

Interea tamen eae febres, quae grauioribus ſunt ſtipatae ſymptomatibus, grauiora plerumque minantur pericula. Speciatimque illae omnium peſſimae iudicandae, vbi magna in pulſu debilitas cum celeritate, aut magna celeritas cum fortitudine, frequentiora item animi deliquia, vrina alba, ex viridi palleſcens, nigra, rufa, foetida, ante iudicationem cocta et turbida, reſpiratio oppreſſa, rara, frigida, hypochondria tumida, lingua liuida aut nigra, deglutitio ſtrangulatoria, et cum ſtrepitu inter potandum contingens, vnguinum, palpebrae aut naſi liuor, conuulſio, tetanus, oculi obtorti, palpebra in alterutro oculo ſemiclauſa, immodica corporis iectigatio, intenſus foetor ab aegri corpore exhalans,

lans, ſudor frigidus particularis, pulſus vix perceptibilis.

Circa hunc vero notandum, ſi is poſt ſudorem criticum ſe effert, omne lugubre praeſagium abeſſe; vtique ſi mens ſibi recte conſtat.

De ſudore frigido etiam obſeruandum, ſi aegri poſtea recaleſcant, nihil mali iſtum ſignificare. Quod etiam de horrore et rigore intermiſto valet, vtpote qui criticarum egeſtionum ſaepe index et praecurſor eſt.

Addunt autores periculoſis illis et ſumme exitialibus ſymptomatibus involuntariam fecum ac vrinae emisſionem, floccorum e ſtragulis venatum, tendinum in carpis ſubſultus, ſoporem, oculosque ſqualidos ſubſidentes: verum omnia haec, etiamſi coniunctim appareant, adeo nos terrere non debent, niſi ſuperioribus illis ſe adiecerint.

§. 38.

Non poteſt acutarum *curatio* recte inſtitui, niſi prius conſtitutum ſit, ad benignarum an malignarum claſſem febris pertineat. Praeter communia enim auxilia, ſingulae propria quaedam deſiderant, quibus omiſſis multum in medendo peccatur.

§. 39.

In benignarum autem curatione perito artifici haec agenda ſunt.

1) Sanguis e vena mittendus.
2) Primis viis leni euacuante proſpiciendum.
3) Acida diaphoreticis remixta exhibenda.
4) Potus diluens ſufficienti copia praebendus.
5) Aeger temperato loco ſeruandus, et extra lectum

ctum in ſedile quotidie per aliquod tempus, ſi fieri poteſt, deferendus.

§. 40.

Sanguinis miſſio in infantibus quidem non neceſſaria eſt, neque prius in adultioribus, quam ſi facies valde rubet, capitisque dolor vehemens vrget, et pulſus admodum plenus eſt, aut cruor e naribus erumpere conatur, aut vehementior animi affectus, vel ſpirituoſorum liquorum abuſus febrem excitauit.

Interdumque pluribus vicibus ſanguinem detrahere conuenit, vtique in inflammatorio morbo.

Optime quidem ea ſub initio inſtituitur; nihilominus tamen et in vigore, quin omni die adminiſtrari poteſt, quo ſcopus eius in laborante inuenitur, ſi vel vigeſimus is fuerit.

§. 41.

Euacuantia primarum viarum non niſi ſub initio morbi dari debent; et vomitoria quidem nunquam ſine indicatione, ſed omni die; laxantia vero etiam ſine illa, quippe quorum ope morboſum quid, quod in primis viis nunquam paene deeſt, etſi nulla ſui indicia edat, reiicitur.

Pro emeſi Ipecacuanha in puluere aut decocto datur; vel tartarus emeticus ad duo, tria vel quatuor grana in aquae vnciis octo vsque duodecim ſolutus, addito ſyrupo gratiore, per interuallum dimidiae horae ad quartam partem ſumitur, donec ventriculus ſufficienter vacuatus fuerit; pro purgatione alui vero maxime proficuus eſt puluis Cornachinus, aut nitrum cum rheo ad dimidiam drachmam aequali portione inuicem mixtum, et aliquot vicibus per duarum horarum interualla datum,

tum, donec aluus aliquoties ſoluta ſit, aut denique decoctum tamarindorum, aliquot drachmis ſalis polychreſti Seignettiani vel mirabilis Glauberi acuatum. Infantibus talia medicamenta, aeque ac liquida, v. c. tincturam rhei cum terra foliata tartari et ſyrupo de cichorio cum rhabarbaro remixtam, abhorrentibus, decoctum ſolutiuum ex rhei drachmis duabus vel tribus, nitri depurati drachma et aquae fontanae vnciis octo paratum in aluum dare expedit.

§. 42.

Acidorum vſu, in conſortio quidem diaphoreticorum, aeſtus non ſolum temperatur, ſed et materia febrilis paullatim tum corrigitur, tum ad cutem, in quam per ſe declinat, deriuatur. Conferunt hic maxime tincturae aquoſae ſpiritu vitrioli acidulatae, et nullum adhuc ſitum expertae; et elixir acidum Dippelii, quibus quarta pars mixturae ſimplicis adiecta eſt; aut nitrum et tartarus vitriolatus cum quarta parte antimonii diaphoretici, in pulueris aut potionis forma, quae per duarum aut trium horarum interualla ſumſiſſe ſufficit.

Bagliuius clyſſum antimonii tam enixe hic laudat, vt acutas tamquam in ouo ſuffocari inde poſſe teſtetur. *Opp. L. I. c.* 50. Sed hoc votum eſt, quod ex fallacia ſaltem in diariis, quae per ſe primo iam die vel ad ſummum quarto finiuntur, expletum iri obſeruatis.

§. 43.

Optimum potus genus, liberaliter et vltra quam ſitis coget offerendi, eſt, quod diluit, demulcet, temperat, ac ſitim fallit.

Neutiquam igitur hic decoctum auenaceum conuenit, quod ſiccitatem in ore auget, quod aegri maxime omnium faſtidiunt, et quod nec bene fert ipſorum ventri-

ventriculus: ſed alia tum gratiora, tum magis proficua, quorum vero plura genera in numerato habere medicum oportet, quum paucis diebus, quod ipſis gratiſſimum erat, aegri abhorrere incipiunt et aliud quoddam deſiderant.

At iucundiſſimum omnium eſt hoc, quod ex aceto vini, ſyrupo rubi idaei, et aqua fontana fieri, ſupra iam ſcripſi (§. 25). Aliud huic ſimile ex aqua communi et ſyrupo acetoſitatis citri, vel huius taleolis et ſaccharo inſperſo conficitur.

Coqui etiam ex aquae libris quatuor, hordei excorticati vncia poteſt, quibus poſt colaturam mellis optimi vel ſyrupi rubi idaei vncia, et nitri depurati drachmae duae, vel huius loco ſpiritus nitri dulcis tantundem adiicitur.

Praeterea decoctum ex radicis ſcorzonerae, paſſularum minorum, ſingulorum vnciis tribus, hordei excorticati, glycirrhizae, ſingulorum vncia dimidia, et aquae communis libris ſex paratum, adiecta poſt refrigerationem ſucci citri vncia vna vel altera, vtiliſſimum eſt; item et decoctum album Sydenhami, decoctum cornu cerui cum radicibus ſcorzonerae, aut decoctum hordei cum raſura cornu cerui; quibus tamen maior ſuauitas miſcela ſyrupi berberum vel ribium conciliatur.

Et ſpiritus vitrioli ad drachmam admixtus librae vel menſurae aquae conuenit.

Nec quod antiſtites artis noſtrae in tam frequenti vſu habuerunt, acetum mulſum, vel per ſe datum ad aliquot vncias, vel aqua aut decocto aliquo ex ſupra poſitis dilutum, hic praetermittendum eſt.

Pauperibus cereuiſia ſecundaria aut aqua aceto vulgari condita concedatur.

In declinatione, quando vires fractae, haustus vini Rhenani vel Mosellani per interualla sumtus prodest.

Praeterea fructus horaei, si haberi possunt, recentes rubi idaei, ribium, cerasorum, fragorum, mororum, vuarum, aegris per totum morbum concedendi sunt, non vno nomine, etiam in putridis febribus, salutares.

§. 44.

In *malignis* sanguinis missione vix opus est, nisi in accessu spasticorum symptomatum, aut si noua inflammatoria febris ex priori succrescit, aut pulsus frequens admodum et vehemens est.

Vomitoria vero, et laxantia hic non solum in initio, sed aliquando etiam serioribus diebus exhibenda, et iterandum quidem emeticum tum, vbi vel sopor incidit, vel exanthemata se subducunt.

Ad idem faciunt, et ad moderanda quoque deliria, vesicatoria suris applicata; quae et metastases coercere et auerruncare potis sunt. Etiamsi vero febrem inde nec mitigari, nec letum adeo impediri videas; desiderant tamen seculi mores, vt nullibi hoc auxilium omittas, quo seruari aeger potuisse videatur. At renouatio vesicatoriorum in nuda carne abominabilis carnificina est, quam nemo Medicorum facile vrgebit, nisi qui hanc ipsam torturam in suo corpore non expertus est, vt de eius vi iudicare possit, aut qui aegris suis eiulantibus non credit, aut valde immisericors est. Taceo, alia non leuia mala renibus et vesicae persaepe aegris inde imminere. Epispastica ex fermento panis, sinapi et aceto plantis pedum vel suris applicata saepe praepollent, inprimisque in febribus putridis semper praeferenda sunt.

Acida

Acida cum diaphoreticis in benignarum cura praescripta (§. 42.), hic pariter quidem conueniunt, attamen non omnem paginam, propter maiorem humorum corruptelam, absoluunt. In horum ergo connubio antiseptica assidue vsurpanda sunt, inter quae cortex Peruuianus, in decocto cum succo citri, et puluis contrayeruae compositus cum nitro datus, palmam ceteris omnibus praeripiunt.

Camphora ob igneam suam naturam nec mihi placet, nec aegris eam placere aut multum prodesse video. Et certe, curationem sine hoc igne quam felicissime absolui posse, millesies compertum habeo.

Potiones hic non aliae sunt, quam in benignis (§. 43.). Et vinum acidulum hic vtilissime, saepeque exhibetur; quod inprimis in sudore symptomatico defatigante non negligendum.

Ad deliria, ad sanguinis fluxus, ad tendinum subsultus, aliaque symptomata peculiaribus remediis non opus est.

§. 45.

Restituta integritate non statim aeger derelinquendus est, siquidem hae febres aliquando breui post recurrunt, certe haud raro metastases prauas minantur et efficiunt. Quorum alterutrum maxime tum metuendum, si finita febre nec somnus, nec appetitus redeat; aut si cibum quidem bene sumant, at nihil proficiant.

Succurrendum igitur nunc iterum est aluum soluentibus per interualla datis, velut sero lactis, in quo tamarindorum pulpa soluta; aut rhabarbari tinctura, tartaro tartarisato vel simili sale maritata; non minus ac antiseptico et roborante medicamento, qualis cortex

Peruuianus eſt, prioribus ſedulo interponendus. Nec veſicatoria tum ſemper negligenda ſunt.

FEBRIS DIARIA.

§. 46.

Venio iam ad diuerſas continuarum ſpecies, inter quas et ſimpliciſſima omnium, et mitiſſima, et breuiſſima, et tutiſſima eſt, quam Graeci ἐφήμερον ſiue ἐφημερηνὸν, nos *Diariam* appellamus; quae ita obſeruatur:

Morbus hominem repente et citra praegreſſam corporis laſſitudinem inuadit. Initium plerumque ab horrore fit, cui nauſea, ructus atque vomitus aliquando iunguntur. Succedit mox aeſtus mollis, halituoſus, in quo facies rubet et nonnihil inflata eſt; pulſus autem arteriarum frequens, aequalis et mollis eſt; in toto corpore grauitas, inque capite dolor percipitur. Aeſtus, qui ſaepe non maior ac in iratis aut ebriis, vel iam primo die, ſi febris exquiſita fuerit, aequabilem declinationem facit, quae ſub ſudore non nimis paruo in perfectam integritatem deſinit, efflorеſcentiis quibusdam vlceroſis, ardentibus, mox ſaepe in labiis erumpentibus, aut ſanguine ex naribus profluente, quod tamen rarius contingit. Vrina vel iam initio morbi, vel ſub declinatione demum concoctionis notas repraeſentat.

Interdum febris vltra nychthaemerum porrigitur, et alterum, tertium, quartumue diem attingit; tum vero primo iam, atque altero declinare incipit. Sin autem quartum ſuperat, diaria eſſe deſinit, et in Synochum terminatur.

§. 47.

Quum ephemera exquiſita vno die, vnaque acceſſione

ſione ſoluitur, curaſſe eam, quam nouiſſe facilius eſt. Nec benignitas vnquam quidem ab hac febre abeſt: quae ipſa tantum non ſemper ab euidentibus cauſis, ira, temulentia, moerore, inſolatione, vigiliis, vehementi concubitus deſiderio, nimia repletione, balneo, grauedine et catarrho, igne, dolore, vulnere, fractura, luxatione, refrigeratione, inedia, tumoribus glandularum, vlcere, podagra, lactis refluxu aut influxu in puerperis, laſſitudine, inflammatione partis, generatur.

Pro quarum cauſarum diſcrimine in *primariam* et *ſymptomaticam* diſpeſci debet; haecque poſterior ſpecies *vulnerariam*, *lacteam*, *eryſipelaceam*, *leuiorem catarrhalem* ac *podagricam* febrem ſub ſe comprehendit. *Amatoria* febris, quam rectius febriculam vocare licet, quum paucarum tantum horarum ſit, ad priorem ſpeciem pertinet, nec, vt ceterae, hominem lecto adfigit.

Exquiſitae febri facile natura adſueſcit, et quouis fere anno ſemel vel bis, imo interdum ſingulo menſe eam excitat.

Si inedia aut diuturnus moeror eam produxerit, timeri hectica febris poteſt, in quam mutari eam ſcias, ſi vltra dies naturales in eodem ſtatu manet, et calor poſt cibum increſcit, et in pulſu durities ac paruitas cum aequalitate obſeruatur, ac reliqua hecticae ſigna adſunt.

§. 48.

Vt natura febrem primariam ac exquiſitam ſalutariter in corporibus excitat, vti nec raro quoque ſymptomaticam; ita eandem etiam ſola curare potis eſt. Quare medicina non opus eſt, niſi duntaxat pro euphoria. Satisque eſt, acida, in quibus ſuauitas ineſt, vna cum

potione liberali, ſub tranquillo decubitu in lecto, quo ſudor ſuſtentetur, exhibere.

Si febris in alterum vel tertium diem trahitur, ſanguinem e vena mittere, et aluum leni cathartico eluere, non alienum eſt; etiam emeticum dare conuenit, vbi natura ex faſtidio et ructibus, ſi qui ſe immiſcuerint, ipſa vomitum haud excitauerit.

SYNOCHVS SIMPLEX. FEBRIS QVOTIDIANA CONTINVA. SYNOCHVS PVTRIDA. FEBRIS NERVOSA.

§. 49.

Qualescunque febres acutae praeter diariam ſe nobis repraeſentant, eas *Synochi* nomine, ſiue *Continuarum* comprehendimus. Earum quidem ſymptomata et diſcrimina generatim a me ſupra iam (§. 30-37.) indicata ſunt; opportunum tamen videtur, ipſarum decurſum hoc loco paulo plenius et vno nexu deſcribere.

§. 50.

Synochum ergo in *ſimplicem* ſiue *benignam*, atque in *putridam* ſiue *malignam* diſpeſcimus. Et quidquid febrium ſiue ſimplicium, ſiue compoſitarum, h. e. inflammatoriarum aut exanthematicarum in humoribus corporis humani excluditur, illud in ſe Synochus vel ſimplex vel putrida habenda eſt. Namque eadem ſymptomata non ſolum in ſingulis communia obſeruabis; ſed eundem etiam decurſum, eundemque terminum, easdemque iudicationes. Quamquam igitur ipſa vox Synochi nec in compoſitis, nec in ſimplicibus permultis audiatur; ſed aliis nominibus, Variolarum, Morbillorum, Febris miliaris, Cauſi, Hemitritaei, Phrenitidis,

nitidis, Typhi istae insigniantur; faciunt tamen saltem peculiaria, quae in his se produnt symptomata, non singularis vtique febrium natura, vt specificum ipsis nomen imponatur. Quapropter etiam numerus continuarum longe minor est, quam ipsarum nomina generica. Nec sane praedictiones, neque curationes pro discriminibus horum nominum tantopere differunt, sed ipsarum solummodo vel benignitatem vel malignitatem respiciunt. Quidquid vero in curationibus forte mutatum vel adiectum videatur, illud saltem propriis et grauioribus symptomatibus accommodatum est.

§. 51.

At *Synochus simplex* his sese notis profert: In corpore aestus erumpit, praegresso frigore, vehemens, qui multum ardoris, ruborisque ipsi exhibet. Facies inprimis valde rubet, et sitis intensa est. Caput vel dolet, vel graue est. Somnus plerumque nullus est, et per eum spectra offeruntur. Ex cute humor madidus erumpit. Pulsus plenus, frequens et celer est. Mens leuiter aliquando alienatur, inque iunioribus pauores obseruantur. Istique plerumque in somnolentiam inclinant. Respiratio molesta est. Aluus nihil aut durum quiddam emolitur. Totum denique corpus tensiua lassitudine occupatur. Iamque vel quarto die vel ad summum vndecimo febris perfecta crisi soluitur.

§. 52.

In Synocho ergo simplici, si eam recte nosse velis, ad haec tria phaenomena, faciem rubram, cutem humidam, et pulsum magnum ac frequentem attendere debes. Sique haec alicubi deprehendes, tum et febrem inde recte definies, et praedictiones quoque iustas ac veras formabis, et curationem recte institues; de quibus singulis supra iam praeceptum est (§. 39-43.).

§. 53.

Ab hac Synocho proxime abest *Febris quotidiana continua*, quae eadem symptomata exhibet, praeterquam quod quotidie luculentiores remissiones facit, et quietiora tempora afflictis praestat. Cutis perpetuo madet. Circa noctem multi delirant. Alui conturbatae biliosa egerunt; et ex ventriculo subinde quoque bilis erumpit *). Perraro morbus intra 21 dies iudicatione soluitur, plerisque vero ad quadragesimum, nonnullis etiam ad octogesimum extenditur. Idemque facile reversiones facit, iisdemque dierum ambitibus post ipsas reuersiones iudicatur.

*) *Febris* tum *biliosa* vulgo vocatur, cuius epidemiam Cel. *Tissot* in singulari libro descripsit, Lausann. 1758. 8. Quae tamen etiam interdum ad Synochum putridam, interdum ad causum ex natura typi sui, qui admodum diuersus, referenda est.

§. 54.

Synochus putrida eodem pariter modo, ac simplex (§. 51.) procedit, sed pluribus ac insolentioribus symptomatibus stipata est. A frigore semper incipit, corporisque vires protinus valde languent. Nec pauci insolitam grauitatem in corpore pluribus diebus ante percipiunt. Oculi rubent ac tument. Acerbus et ardens dolor in faucibus cum deglutitione difficili plerumque tertio die accedit. Aestus intensus sub noctem ingrauescit. In vigore deliria vehementiora et praecordiorum anxietates accedunt. Aluus multas biliosas sordes plerumque statim ab initio effundit. In primo stadio, alteroque multi etiam sudores erumpunt; quibus vero vna cum alui profluuio finitis, calor vrens nihilominus perseuerat. Iudicatio in plerisque anceps est, et morbus a quarto die vsque ad vigesimum primum transitum vel in salutem vel in mortem facit. Pessimaque

quaeuis

quaeuis ſymptomata ſe huic morbo immiſcent (§. 37), eumdemque pro ſua natura plus minus exitialem reddunt. Mortem intenſior nouus aeſtus cum ſudore et ſpiratione magna antecedit *).

*) *Febris caſtrenſis Hungarica*, et *febris carcerum putrida* ad hoc genus pertinent, de qua poſteriori egregius liber exſtat Perill. *Io. Pringlii*, *Obſeruations on the nature and cure of Hoſpital and Yail feuers*. Lond. 1750. 8. cf. etiam *Io. Huxhami Opera*, T. I. p. 269. edit. Reich.

§. 55.

Haec febris et per ſe affligit, et cunctas exanthematicas ac inflammatorias, quandocumque malignitatem exhibent, conſtituit; praetereaque qualescunque alias malignas, Cauſum, Hemitritaeum, Typhum, Phrenitidem, Hydrophobiam, cum febribus bilioſis ſic dictis, et meſentericis ſub ſe comprehendit, atque ſub his laruis ſumme exitialis eſt.

§. 56.

Febris neruoſa lenta recentioribus dicta, quam melius ego quidem *malignam lentam* dixerim *), etiam ſynochus ex claſſe putridarum eſt; quae vero priori (§. 54.) ea re diſſimilis, quod plerumque ad menſem et vltra porrigitur, et mediocrem ſemper calorem cum pulſu debili et paruo, nec non ſudoribus interruptis exhibet. Et ſane haec pauca ſymptomata nobis eam clariſſime produnt: cetera, quorum admodum multa ac in diuerſis aegris diuerſa, nulla propria indicia praebent. Interim ea ſic procedere plerumque conſueuit:

Initio horrores leues, aeſtus volatici faciei frequentes, grauitas et dolor capitis, maxime in poſtica et ſuperiori parte, vertigo, nauſea, facies pallida, conturbata,

bata, ac collapsa, extremorum refrigeratio, obseruatur. Ad haec lassitudo magna, animus perturbatus, pulsus debilis, frequens, ac inaequalis praesto est. Sitis autem fere nulla est. Circa septimum aut octauum diem vertiginis, cephalalgiae et anxietatis augmentum, susurrus aurium, lipothymia sub erecto situ, sudor frigidus fugax, deliriumque taciturnum se manifestant. Praeterea lingua sicca subflauum quiddam in margine vtrinque monstrat; in deglutitione difficultas, interdumque singultus est. Porro vero in progressu sudor multus, in extremis frigidus et viscosus, diarrhoea, sopores, tendinum subsultus, inuoluntarium vrinae, lacrymarum, fecum profluuium, vngues liuidi, conuulsiones, surditas se addunt. Inter eos autem, quibus breuissimus morbus, ii ad decimum quartum, decimum octauum et vigesimum diem iudicantur, alii vero ad quadragesimum, sexagesimum, octogesimum, centesimumque. Optima solutio per sputa fit, deinde per parotidum tumores suppurantes, per aurium vlcus, per efflorescentias in naso et labiis, per multam et diu emissam vrinam, saepeque etiam per alui profluuium.

*) Febrem hanc non differre a maligna, adeoque hoc cognomine merito appellandam esse, pluribus demonstrauit V. Cl. *Sigism. Ern. Alex. Volprecht*, in diss. *de febre neruosa, eiusque genuina indole*, sub meo praesidio habita Gotting. 1767. Ceterum eam luculenter descriptam dedit primus, ni fallor, omnium, *Thom. Willisius Opp. L. de morbis conuulsiu.* c. VIII. p. m. 67. et *Sydenhamus* in *sched. monitor. de nouae febris ingressu*, *Opp.* p. m. 643. sq. deinde alii clarissimi Angli medici, *Manningham*, *Langrish*, et qui maximam operam in eius obseruatione posuit, *Huxhamus Opp. T. I.* p. 163. *T. II. c. VII.* p. 78. edit. *Reichel.* At coniectura *Huxhami*, quod morbus cardiacus *Celsi L. III. c.* 19. febris neruosae sit species, nullo firmo talo mihi stare videtur, quum febrilis morbus plane non fuerit, licet acutus ipsi appelletur; cuius vocis significatio olim longe latius sumi, quam hodie, consueuit. Ne-

que

que inter priſcos medicos vnanimis conſenſus de hoc morbo fuit, ſicut ex *Coel. Aurel. L. II. de morb. acut.* c. 30. 31. et *Alexandro Tralliano* L. VII. c. 9. manifeſtum fit. Nec iuſtam rationem Ill. *Boiſſier de Sauvages* habuit, cur Typhon *Hippocratis L.* 1. *et* 2. *de internis affection. Sect. V.* p. m. 579. pro febre neruoſa recentiorum vindicare voluerit. Quodſi enim a praemagna imbecillitate receſſeris, quam *Hippocrates* adſcribit ſuis Typhis, nihil commune illae habent cum noſtra febre, ſeſeque inprimis ingenti ardore et breuiori duratione ab hac diſtinguunt. Ceterum in egregio opere *Io. Bapt. Morgagni* de *ſed. et cauſ. morbor. per anatomen detectis* graphicam huius noſtrae febris deſcriptionem legas, prouti ea a. 1711. inter ſuos graſſata eſt. *Epiſt. VII. art.* 16.

PHRENITIS.

§. 57.

Phrenitidem in vniuerſum appellamus eam febrem acutam malignam, in qua conſtans inſania animaduertitur *).

Primum lenis febris detinet, et anxietas circa praecordia; cum autem ſecundum, tertium, quartum aut quintum diem attigerit, tum febris vehementior redditur, et anxietas increſcit, et mens offenditur. Potiſſimum vero vigiliae continuae, ſomnique turbulenti futuram phrenitidem praecedunt; iamque mox aegri ſomniorum imaginationibus detenti, conſurgunt, et vel in lecto immoti ſedent, remotis ſtragulis, aut exiliunt, et tam immaniter ſaeuiunt, vt coerceri nequeant, aut ſaltem cum riſu inſaniunt. Iidem ad quaeſtiones inepte reſpondent, et ferociores ac iracundiores apparent; itemque omnium, quae dicunt, faciuntque, protinus obliuiſcuntur. Facies ipſorum rubra eſt; pulſus paruus, languidus, et velox; lingua aſpera, ac ſiccisſima, nec tamen ſiti vexantur; reſpirationem magnam ſimulque

 vel

vel tardam vel celerem edunt; capite frequenter indolescunt; oculis fixis, mobilibusue, et rubris, et fulgentibus circumspiciunt, qui simul lemis oppleti, interim aridi, interim lacrymantes. Quodsi affectus increuerit, incipiunt et floccos carpere, et festucas legere, linguamque multo magis scabram habent, febresque sicciores. Cruor etiam multis e naribus stillat. Interdum et tremuli sunt, et aegre sentiunt. Alii vigilant simul, et in altum soporem deferuntur, rursusque paulatim delirant, et somno alto soporosoque pressi cum tumultu excitantur, et ad quaestiones familiarium inordinata verba respondent; qui sopor vigil, Graecis ἄγρυπνον κῶμα vocatur, et Phrenitis spuria: antiquiores Galeno medici Catochon vocauerunt **). Alii in somniculosum coma incidunt, ita, vt oculos tollere non possint, sed lethargicorum more semper eodem in loco permaneant; τυφομανίη Graecis tunc dicitur. Vbi morbus in vetustatem inciderit, et vires sint debilitatae, exigua ipsius indicia apparent. Nunc enim non amplius turbulenti sunt ac furibundi, sed immoti, ac supini iacent, nec vllum membrum praeter manus mouent, quas inordinate iactitant. Superueniens stertor cum sudore finem vitae facit. Quidam etiam ante mortem conuelluntur.

Iudicatur morbus, qui plerumque letalis est, vt breuissime septimo, vt longissime vero vigesimo primo die. Ipseque in pulmonis inflammationem saepe transit; vicissimque etiam ex hac nascitur. Si prius est, pauci pariter euadunt ***); sin alterum, nulli ****), nisi aluus cruorem multum cum graue olentibus dimiserit *****). In lethargum etiam transitus fit, et letalem quidem, nisi sanguis adhuc e naribus fluxerit. Sanguinis copiosum ex naribus, aut vteri aniue venis profluuium, cum multis sudoribus, et deiectionibus biliosis, et vrina cocta transitum morbi in salutem promittunt.

Contra

Contra vero deiectiones albicantes, efflorescentia spumosa in biliosis et sinceris deiectionibus, vrinae albae et tenues, tremores, distentio neruorum, singultus, syncope, continuae tum vigiliae tum insipientiae summe exitiale ac letiferum id malum denunciant. Quod interdum etiam in hecticam, et in insaniam longam transit.

*) Hoc loco notandum velim, in Hippocraticis monumentis omnes phreniticos appellari, quibus mens in febre non constat, etiamsi perpetua Cataphora laborent, h. e. ita desipiant, vt eos desipere haud intelligas.

**) vid. *Alexandr. Trall.* L. I. c. XIII. *Paul. Aeginet.* L. III. c. VI.

***) Ex *Hippocratis* effato verissimo, *L. de affectionib.* p. m. 530.

****) vid. qui hoc mecum obseruarunt Ill. *Morgagnium l. c. epist. VII. ant.* 12. et *Io. Theod. Elleri* L. *de cognosc. et curand. morbis, praesertim acutis.* p. 161. 165. 166.

*****) vid. *A. N. C. vol. VIII. obs.* 63.

§. 58.

Haec igitur signa sunt, quibus cognoscuntur phrenitici; quos vero, caue, ne cum delirantibus confundas, cum res sit longe diuersa. Delirium enim, quod παραφροσύνη Graecis dicitur, in statu ac vigore qualiscumque febris vehementis tantum incidit, et plerumque breue esse consueuit, ac in declinatione rursus cessat. Phrenitis autem perdurat, et continua dementia est.

§. 59.

Distinguenda vero est Phrenitis in *primariam*, atque *symptomaticam*. Quarum illa per se fit et proprium morbum constituit; haec vero ex alia acuta febre, inflammatoria aut putrida, v. c. a peripneumonia, angina, variolis, febre petechiali, et catarrhali maligna gignitur

gignitur: quae etiam non ſolum magis funeſta eſt priori, ſed longe frequentius quoque occurrit.

§. 60.

Vetus opinio eſt, Phrenitidem fieri a cerebri aut eius membranae inflammatione; quam multi adhuc tamquam veram recipiunt, alii vero pro falſa et ficta habent. Et quamquam quidem ambo ſententiae ſuum robur ex ſcrutiniis cadauerum repetunt, et partim ad inflammationes, ſuppurationes, et putredines luculentas in encephalo repertas prouocant *), partim vero nihil quidquam horum deprehenſum eſſe affirmant **); clare tamen inde efficitur, cum etiam in poſteriore caſu non ab omni labe cerebrum prorſus immune fuerit, ſed aut vaſa meningum turgida, et ſeri aut gelatinae copia intra has ac in ipſis ventriculis conſpicienda, cum polypoſis cruoris in ſinubus concretionibus, ſe praebuerint ***), in cerebro, eiusque aliquo vitio cauſam Phrenitidis quaerendam eſſe, maximeque a congeſtione ſeri tenuioris vel inſpiſſati effici.

Et certe humorum raptum ad cerebrum permulta phaenomena in Phrenitide, vt facies rubra, oculi fulgentes et rubri, cephalalgia, cruoris e naribus ſtillatio, manifeſtant.

Eo minus vero inflammationem in cerebro aut meningibus accuſare pro cauſa mali conſtante et veriore licitum eſt, quo infrequentius non ſolum hoc vitium eſt, ſed quo magis etiam per diſſectiones cadauerum perſpectum fuit, quod cum fuerint meninges vere inflammatae, vel etiam cerebrum ipſum tumore phlegmonode obſeſſum, nequaquam tamen aegri delirauerint ****). Nec ſane, ſi inflammatio encephali phrenitidem h. e. deliria efficeret, maniacus vllus, cuius cerebrum ab inflammatione certiſſime immune, exiſteret.

*) vid.

*) vid. *Theoph. Boneti sepulchretum L. I. Sect. VII. obs.* 3. 4. 5. 7. 9. 18. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 29. 30. 31. 32. 36. quibus adde *Lanzonium* in *Eph. Nat. Cur. dec.* 3. *an.* 9. *obs.* 113. *Moeglingium*, *ib. Cent. VI. obs.* 22. Cel. *Tissotum* in *Auis au peuple sur sa santé*, §. 154. et *Ellerum l. c.* p. 161.

**) vid. *Bonetum l. c. obs.* 1. 13. 16. et *Morgagnium l. c. epist. VII. art.* 2. 6. 9. 11. 13. 15.

***) vid. iterum *Bonetum l. c. obs.* 6. 14 16. 19. 20. 27. 28. 29. 34. et *Morgagnium artic. cit.*

****) vid. *Bonetum l. c. obs.* 1. et *L. IV. sect. III. obs.* 10. §. 7.

§. 61.

Vetus etiam opinio est, quam hic sicco prorsus pede transire non licet, phreniticos ob septi transuersi inflammationem fieri, quam insaniam *Paraphrenitidis* nomine recentiores insigniuerunt. Hoc equidem cum *Tralliano* verum esse haud negauerim, cum ex diaphragmatis inflammatione et suppuratione per anatomen demum detectis deliria producta nouerim *); verum cum et constet per eadem scrutinia, quod diaphragma citra delirium inflammatum fuerit **), atque praeterea satis superque euictum sit, quod ex pleurae, pulmonum, ventriculi, aliorumque viscerum inflammationibus nonnunquam deliria grauiora excitentur; facile persuadeor, vt credam, diaphragmatis inflammationem hac in re sibi nihil vindicare, quod aliorum viscerum inflammationibus non competat, neque in se inflammationem eius phrenitidem efficere, sed peculiarem, nec vero necessariam humoris morbosi ad encephalum metastasin.

*) vid. *Boneti l. c. obs.* 1. 15. 37. *Morgagnius* in *epist. cit. art.* 13. *Ant. de Haen rat. medend.* T. I. p. 114.

**) Testem allego hic iterum Ill. *Morgagnium* l. c. *epist.* 21. *art.* 35. et Cl. *Wendt Obs.* de *pleurit. et peripneum. sect. cadau.* 1. 2. 5. Gotting. 1762.

§. 62.

§. 62.

Non alia quidem remedia Phrenitis desiderat, quam quae in curanda febre maligna praecepta sunt. Praeter desipientiam enim continuam, cetera symptomata cum maligna communia habet, quemadmodum etiam metastases.

At quoniam simul in hoc morbo humores tam sanguinei, quam serosi, violentius versus encephalum deferuntur, atque illinc facultates mentis alterando insaniam non minus, ac vigilias aut sopores periculose inferunt: hinc praeter communia febris malignae auxilia, etiam propria quaedam, quae exitialem illam congestionem quouis modo minuant, necessaria sunt, cerebro siue primario, siue per consortium partium affecto.

In omnibus igitur phreniticis sanguinis missio in cubito, aut quod praestat, et quod saepe facilius ferunt, in fronte adhibenda est. Non nimis multum vero detrahendum est, saltem non ad syncopen vsque, quoniam in hanc per se facile Phrenitis non sine malo omine transmutatur. Verum tamen audacius sanguis fluere sinendus est, si ex nobiliorum viscerum inflammatione morbus oriatur. Interdum et repetere hanc vacuationem necesse est.

Praeter hanc vero omnino conuenit, et hirudines aliquot temporibus vtrinque admouere, et occipitio, ac vertici, imo etiam spinae dorsi cucurbitulas, incisa cute adfigere, aut sanguinem e naribus intrusa penna multum fissa et in stellae formam redacta, celeriterque illinc circumducta euocare.

Adhaec caput ad cutem tonsum fotu frigido frequenter madefaciendum est; qualis ex aqua, in qua verbena decocta, et pauxillum nitri ac salis ammoniaci

ci ſolutum, conficitur; itemque ex aceto vini et oleo roſaceo. Et glaciei quoque fruſtum linteo tenui involutum, capitique raſo impoſitum, egregium vſum pollicetur. A calidis fotibus contra abſtineri ſuadeo, quoniam caput in phreniticis calorem aegre tolerat.

Nec veſicatoria, ſiue capiti raſo, ſiue ſuris adplicanda, omitti debent: neque etiam clyſteres, quos ex mulſa, oleo et nitro parabis, vtpote quae, demta materia et ſuperioribus partibus leuatis, morbum valde molliunt.

Denique aqua non nimis frigida paulatim, ſed crebro phreniticis potui exhibenda eſt.

Vbi vero nihil his medicamentis efficitur, ad narcoticum medicamentum intrepide accedendum, et Philonium Perſicum ad drachmam in aqua quadam deſtillata ſolutum mane et veſperi propinandum eſt.

§. 63.

Atque per haec ſi mentem componi et ſomnum arceſſi videas, non amplius de ſalute aegri valde deſperabis; nam per ſomnum plerique ſaneſcunt.

Ipſos autem aegros in luce aut tenebris, prout has vel illam minus horrent, habere oportet; ſimulque in quiete, quoad eius fieri liceat, ſeruare; et aduerſus ipſorum animos pro cuiusque natura ſe gerere *).

Vbi vero in ſyncopen delabantur, aut nimis imbecilli fiant, dumne vehemens inflammatio aut magnus admodum calor praecordia infeſtet, vinum acidum tenue audacter potui dari poteſt, etiam in inſania cum iracundia. Vinum enim emolleſcit animum, et iracundiam temperat.

*) Hoc

*) Hoc quomodo fieri possit ac debeat, *A. Cornel. Celsus* sapienter edocuit *L. III. c. XVIII.*

LETHARGVS.

§. 64.

Contrarius phrenitico morbo, at aeque acutus is est, quem nunc describam, in quo et marcor et inexpugnabilis pene dormiendi necessitas est, λήθαργον Graeci appellarunt,

Constituit ille non solum propriam febrem malignam, modo lentam, modo magis acutam *); sed etiam aliis febribus acutis ac intermittentibus, maxime phrenitidi, febri continenti, semitertianae, quotidianae, quartanae, hisque tribus posterioribus per circuitus tamquam symptoma superuenit. Praeterea vero cum inflammatoriis thoracis morbis persaepe coniungitur.

*) Intra biduum lethargus hominem confecit apud *Morgagnum Epist. VI. art.* 2. et intra quatriduum apud *Petr. Forestum Obs. L. X.* 11. At errant medici tam antiqui, quam recentiores, si lentae febri continuae eum semper adscribant.

§. 65.

Eius autem obseruatio haec est: Aeger oculis perpetuo clausis immotus iacet, et sopore alto, quem et καταφορὰν et κάρον Graeci vocant, premitur, a quo aegre excitari potest, et quocumque modo interpellatus vix respondet, interdumque nec acriter vellicatus vllum ostendit sensum. Excitatus vero aliena loquitur et obliuiosus est. Venter ei vel durus est, vel liquidiora, maleque olentia dimittit. Facies male colorata: vrina iumentorum lotio similis. In augmento tremor, summi periculi nuncius, accedit. Respirationis

et

et pulſuum ratio admodum diuerſa eſt *), ita, vt cum in his nihil perpetuum ſit, heic loci memorari non mereantur.

*) Inter antiquos *Aetius* optime lethargum deſcripſit *Tetrabibl. II. Serm. II. c. III.*

§. 66.

Is morbus ſiue exquiſitus, ſiue ſymptomaticus, pleroſque iugulat, etiamſi celeriter ac in tempore ſuccuratur.

Idiopathicus pure ex auribus vel naribus profluente *), aut abſceſſu pone aures exorto, interdum ſoluitur.

Imperfecte iudicatus aliquando obliuionem ac ſtuporem relinquit **).

Si pulmonis inflammationi adiunctus fuerit, plerique purulenti fiunt.

Arthriticus humor interdum periodicum lethargum generat ***).

*) vid. *Morgagni Epiſt.* 6. *art.* 5.

**) Exemplum eſt apud *Thom. Williſium L. de anima brutorum* P. II. c. 4.

***) Memorabilis huius rei caſus a *Car. Piſone L. de morbis ex feroſa colluuie* Sect. II. P. II. c. IV. p. 88. ſeq. edit. Boerh. conſignatus eſt, licet alieno nomine, quod tamen recte immutauit Cl. *Boiſſier de S.* in *Noſolog. meth. T. II. Claſs. VI.* p. 431.

§. 67.

Omnis vero lethargi cauſa, perinde ac phrenitidis, in encephalo quaerenda eſt: quod aqua ſiue pauca ſiue multa oppletum permulti diſſectores nunquam fere non repererunt *). Qua ratione antiquorum ſententia ſiue

 potius

potius coniectura, quod hominem tum occupet lethargus, quum cerebrum frigidis humoribus repletum sit, si id latius aliquanto accipias, egregie confirmatur. Aliquando tamen et pus inesse et saniem putridam, scrutinia anatomica docuerunt **).

*) Praeter obseruationes a *Boneto* collectas in *Sepulchr. anat. L. I. Sect. III.* et ab egregio *Morgagnio* propositas *L. de sed. et caus. morbor. Epist. VI.* huc facit *Cheseldeni* testimonium, quod semper in lethargicis cerebrum aqua plenum deprehenderit. *Anat. of human body. L. III. c. XIV.*

**) vid. *Bonetus l. c. obs.* 31. 33. 34. et *Petr. Foresti Obseruat. L. X. obs. II.*

§. 68.

Quod praeter causas inquilinas etiam externae quaedam, veluti venena narcotica, vulnera capitis, et intensum gelu, lethargum inferre valeant, id ego quidem, licet obseruationes in hanc rem prostent *), non facile crederem, cum lethargus eiusmodi sopor sit, qui non nisi in febre oritur; vt potius is sopor *Carus* mihi appellandus videatur.

*) Vt compendium in citationibus mihi faciam, prouocabo hic ad *Boissier de S. Nosol. method.* l. c. qui tales proposuit, et ipse quoque dubitauit, an lethargi nomen recte his morbis fuerit impositum.

§. 69.

Curatio morbi non aliter institui potest, quam vt et febri, et sopori succurratur. Illius remedia iam alibi praecepta sunt; hinc ea hoc loco non repetam. Hic vero optima quaeuis reuellentia desiderat, quae quum ipsam febrem leuent, eo magis necessaria sunt.

Inprimis vero vesicatoria toti capiti raso, et ceruici

ci applicata, et rubores in cruribus ac femoribus simul excitati, φοινιγμὸς Graeci vocant, subinde prosunt. Intus vero nihil vtilius, quam Castoreum ad scrupulum vnum cum Scammonei dimidia parte aliquoties propinatur, et, si febris accessiones facit, ante illas.

Vbi vero per haec ex profundo somno aegri non reuocentur, candente ferro in diuersis caluariae plagis crustae excitari debent. Sed vt hoc moderate et suspensa manu fiat, tenendum est.

Neque Sternutamenta prorsus omittenda, quae congestionem seri versus caput impediunt, idemque ad commodiorem locum, vti ipsum interdum pus, alliciunt.

Si vires permittunt, et febris ratio postulat, etiam hic vena vtiliter inciditur.

FEBRIS ARDENS.

§. 70.

Febris continua remittens ardentissima, quae Graecis καῦσος, et πυρετὸς καυσώδης, et *Hippocrati* saepe πῦρ dicitur *), his sese notis prodit.

In summa lassitudine, et praemagna anxietate ac inquietudine, interna immodice feruent, externa minus. Sitis vehemens excruciat. Lingua sicca, aspera, flaua ac nigricans est. Ex spiritu nimis calido fauces simul arefiunt: qui ipse difficulter et cum celeritate trahitur. Color aliquantulum biliosus fit, et sputa biliosa. Tota cutis arida et sicca est. Ventres dolent et praecordia aestuant. Aluus aliis adstricta, aliis soluta est, tumque deiectiones vel biliosae et aliquantulum rubentes, vel pallidae descendunt. Interdum etiam vomitus fit. Lotium biliosissimum est. Febris ipsa alternis diebus

exaſperatur. Vigilia pertinax, interdumque et delirium, et profundior ſomnus accedit.

*) Equidem quod Cauſus non ſit proprium febris genus, ſed ab aliis ſaltem gradu differat, a multis Medicis recentioribus aſſeritur. (vid. *Guern. Rolfinckii Conſil. L. IV.* 7. p. 455.). Neque ego multum repugnarem, ſed ad Synochum putridam quam lubentiſſime Cauſum reiicerem, niſi hoc vnum obſtaret, quod tertio quoque die exacerbationes habeat, quas nullas habet Synochus, et quod propria et perpetua quaedam ſymptomata, calorem ardentiſſimum, ſitim inexplebilem, deiectiones bilioſas, et linguam ſcabram ac nigricantem, ſi exquiſita fuerit, generet. (*Galen. de Criſib. L. II. c.* 6. *Alex. Trall.* L. XII. c. III.). Interim apud *Hippocratem* in libris Epidemicorum hiſtoriae Cauſi paſſim occurrunt, quae haſce notas minime impreſſas habent, et ex quorum inſcriptione apparet, quod *Coi* tempore vox *καῦσος* tam ſtricte nondum ſumta, ac a Medicis ipſo iunioribus, fuerit. Et ex aliis eius ſcriptis quoque apparet, quod ille febribus fere omnibus continuis, inflammatoriis, item Synochis tam ſimplicibus, quam putridis, ardentium cognomen imponat. Quanta vero differentia ſit inter has febres, attenta ipſarum obſeruatio et diuerſa curandi ratio luculenter docet.

§. 71.

Sub tempeſtate calida et ſicca diuturna febris ardens generatur, maximeque in calidioribus graſſatur locis. In noſtro temperato climate oppido raro occurrit, inprimis exquiſita *). Ad caſtrenſes autem morbos maxime pertinet.

Euidentiores eius cauſae ſunt vini et liquorum ardentium abuſus, concubitus nimius, excandeſcentia, ſitis diu perpeſſa, aeſtus ſolis ſub itinere inprimis longo, et defatigatio.

*) Ob-

*) Obſeruationes habent *Frid. Hoffmannus Med. rat. ſyſt.* T. IV. Sect. II. c. II. obſ. 1. 3. 6. 7. Ill. *Gerb. v. Swieten Comment. in Boerh. aphoriſm.* T. II. §. 738. p. 446. ed. Amſtel.

§. 72.

Hoc morbi genus, quod omnes malignitatis notas oſtendit, quoniam cum grauiſſimis ſignis fit, inde a quarto die vsque ad ſeptimum iudicatur, ſi exquiſitum fuerit; ſin mitius, et ſpurium, decimum quartum attingere poteſt.

Idem non raro in pulmonis inflammationem tranſit, tumque pauci euadunt. Alias in tertianam quoque mutatur; quod plerumque in prima periodo fit.

§. 73.

Largum ſanguinis e naribus profluuium, aluus bilioſa, haud tamen affatim prorumpens, vomitus, ſudor ex omni corpore, abſceſſus circa aurem aut ad ſedem, coecitas, coxendicum dolor, teſtium, mammarumue tumor, vrinae craſſae et leuibus ſedimentis, hanc febrem ſoluunt; interdumque etiam ſubitus horror, ſi ſudorem euocat.

Sin autem citra haec ſoluatur, reuertetur morbus, et coxae vel crurum dolor continget, aegerque craſſa exſpuet.

Febris autem ardens, quae recurrere ſolet, quatuor diebus exſudando decernit; ſin minus, die ſeptimo aut vndecimo.

§. 74.

Quamquam ardentes febres ad malignarum claſſem referendae ſunt, diuerſam tamen curandi rationem deſi-

 derant.

derant. Neque enim purgantia, neque emetica, neque veſicatoria, neque antiſeptica facile illae ferunt; ſed in humectantibus ſaltem, ac refrigerantibus, tum ingeſtis, tum applicatis, praeſidium eſt.

§. 74.

Igitur aqua frigida, quam prae ceteris potus generibus ipſi aegri tam anxie deſiderant, copioſe et ad ſatietatem praeſtanda eſt. Haec enim optime febrem exſtinguit, haec naturam firmat, et humores corruptos per aluum ac ſudorem quam feliciſſime expellit. Vbi vero inflammationis praeſentis in pectore aut aluo ſigna adſint, aquam frigidam bibere non debent.

Praeter hanc autem et poſca, et oxymel, et emulſiones ex ſeminibus frigidis, admixto nitro, paratae, et iulapia ex aqua, ſucco citri ac iulepo roſarum, et decoctum hordei cum ſuccis acidis vel ſyrupis ſimilibus maritatum, et alia potus demulcentis ac ſuauiter refrigerantis genera, quae ſupra praecepi (§. 43.) ſuum vſum habent. Nam et his aegris grata placet potuum varietas.

Ad haec clyſteres tepidos, blandos, diluentes, refrigerantes, ac antiphlogiſticos, ter quaterue in die in aluum, quam diu haec adſtricta eſt, infundere oportet, et tam diu in ipſorum vſu perſiſtere, ac ingens ardor et ſiccitas praeſto eſt, nec bilioſi humores ſponte ex aluo per criſin deferantur. Sola vero aqua cum oxymelle et nitro, aut lactis ſerum cum melle et nitro hic ſufficit.

§. 76.

Atque hiſce remediis humectantibus et refrigerantibus optime aegris torridis intus proſpicitur. Neque vero ſatis ſemper illi inde refocillantur, niſi extus ſimilia appli-

applicaueris, cum et externas partes febris extorreat. Igitur os crebro egelida aqua colluendum, et manus ac pedes lauandi, et super ſtomachum folia vitis in eadem tincta, aut ſaltem linteamina humida imponenda ſunt. Etiam aquae calidae vapor frequenter in nares trahi poteſt.

Ceterum ipſe aeger leuiſſimo tantum tegmine velandus eſt, et conclaui patente tenendus, quo multum et purum aerem trahere poſſit.

§. 77.

Haec igitur eſt ſimpliciſſima iuxta atque efficaciſſima febrium ardentium ſiue exquiſitarum, ſiue ſpuriarum curandi ratio; in qua, quae potuum et humectantium tam internorum, quam externorum titulo offeruntur, quorumuis remediorum vices ſuſtinent.

Sanguinis miſſio, licet ingens ardor poſtulare eam videatur, plerumque haud conducit, nec niſi ſi plenitudo ſe manifeſtat, inſtituenda eſt, aut ſi peripneumonia vel phrenitis metuenda, vel iam praeſto eſt, aut denique vrgentia ſymptomata, velut ingens capitis aeſtus, dolor pleurae vel inteſtinorum, angina ſuffocans, nullo alio remedio facile ſuperanda, illam poſtulant.

§. 78.

Sanguinis e naribus profluuium decretorium interdum tam immodicum eſt in hac febre, vt ni aptis remediis ſuccurratur, conuulſionium et ſyncopes metus fiat. Non prius tamen ad haec procedendum, quam ſi venae concidant, et facies palleat, et pulſus vacillare incipiat, ex quo terrifica illa ſymptomata demum facile generantur.

Cucurbitulae aliquot coecae hypochondriis applicatae,

tae, linteamina in aqua frigida vel aceto tincta et fronti imposita, inque summo periculo, si his nihil proficitur, turunda vitriolo albo aqua soluto madida ac in nares intrusa eam compescunt. Sanguinis e vena extractio, alias tam proficua in haemorrhagiis, quae sanis accidunt, hic anceps remedium est, et tutius omittitur.

FEBRIS BILIOSA.

§. 79.

Proximum est, vt de biliosa febre dicam, quae quippe quam proxime ab ardente febre abest, imo, vt verius dicam, ipsius species habenda est, quum tertio quouis die, vt haec, exacerbatur, nisi quotidianas forte accessiones faciat *). Inter nostrates ea magis familiaris est, et persaepe epidemice grassatur.

*) Antiquorum febres assodes, et leipyriae, et quaedam hemitritaei ad nostras biliosas pertinent.

§. 80.

Inuadit etiam cum intenso aestu, siti, languore in dies increscente, anxietate et inquietudine: quibus vomitiones vel conatus saltem perpetui ad vomendum, certe deiectiones crebrae biliosae tenesmodes, anum erodentes, cum extremorum frigore, ardore internorum et anxietate cardialgica accedunt.

§. 81.

Haec febris, si bilis affatim supra infraque erumpit, et syncope, et singultus, et icteritius faciei color superuenit, plerumque in pernitiem tendit et ante septimum diem iugulat. Quae vero quotidie aut alternis diebus cum vomitibus exasperatur, ea non adeo acuta est,

eſt, ſed longius extrahitur, et in lentam febrem facile degenerat, ac diuturna ſtomachi vitia, inflationes, ructus, cardialgias infert.

§. 82.

In curatione medicum magis oportet ad vomitus et diarrhoeam compeſcendam, quam ad febrilem motum coercendum, reſpicere. Id vero ſimpliciſſima ratione praeſtabit; certe non terreis, non emulſionibus, neque diaſcordio, neque linimentis ſpirituoſis; haec enim cuncta nihil proficiunt, ſed ſymptomata potius exaſperant; ſed corrigentibus et diluentibus, quae humores acres bilioſos in primis viis ſtabulantes ſenſim obtundendo et cicurando deiectiones moderantur. Idque potus frigidae copioſus, et mixtura ex ſucci citri vnciis duabus, ſalis abſinthii drachma, et aquae ceraſorum nigrorum vnciis octo parata, perque bihorium ad quartam partem ſumta, optime praeſtant.

Remedia calida, adſtringentia et anodyna hic valde inimica ſunt. Priora febrem bilioſam in inflammatoriam mutant; reliqua in lentam.

Quando cutis ſub declinatione madeſcere incipit, mador potu tepido conſeruandus eſt.

Vbi primis diebus natura vomitum non facit, ſed conatus ſaltem aſſiduos ad ipſum excitat, eo ducenda eſt clementiori emetico, quo vergit. Alias neque haec excretio, neque illa quae per aluum fit, ſtimulo vnquam eget.

Niſi aliae circumſtantiae ſanguinis miſſionem indicent, ob febrem ipſam ea non eſt neceſſaria.

Declinante iam morbo vinum dulce, dilutum, paucum aegris recte datur. Quod ex vini Alicantini vel

Syracuſani, vel Malaccani et aquae purae ſingulorum vncia, adiecto dimidio ſyrupi acetoſitatis citri confectum, pro vna doſi bis terue de die exhibendum.

Etiam hoc, ſuperato morbo, hominem valde adhuc languidum optime reficit.

§. 83.

Atque haec eſt exquiſita, vera, et proprie dicta bilioſa febris, de qua hactenus diſſerui. Cui vero valde diſſimilis alia huius nominis, quam nonnulli docti viri ſic appellant, ſi a corrupta bile ortum ducit, licet nullis excretionibus bilioſis, niſi forte in diebus decretoriis aut per initia, ex aluo conſpicua ſit. Eiusmodi vero febres aperte vel ad intermittentes quotidianas anomalas, vel ad Synochum putridam pertinent, nec vt noſtrae bilioſae, ſed vt malignae putridae curari debent; adeoque nomine bilioſarum latiore ac improprio ſenſu, ceterum confuſiones multas pariente, inſigniuntur; quem ſi tenaciter retinere velis, omnes intermittentes pene, vtpote ex bilis vitio pariter ortas et excretionibus quoque bilioſis non raro ſtipatas, ſic appellare debebis.

HEMITRITAEVS.

§. 84.

Magna dignum obſeruatione id genus febris continuae iuxta atque compoſitae eſt, quod Latini recentiores Semitertianam, Graeci ἡμιτριταῖον appellant.

In ea, vt in continuis, aeſtus ab initio vsque ad finem perdurans quotidie remittit, neque vero ex toto in remiſſione deſiſtit, ſed tantum leuior eſt; at tertio quoque die horror, vel rigor adeo, ſemel *) vel bis **) incidit, interpoſito vero die leue ſaltem frigus. Imparibus

bus diebus aſperiora ſunt omnia ſymptomata, paribus vero mitiora. Singulis ſudorem declinans febris mouet; neque poſthaec tamen integra eſſe corpora ſinit.

*) Hic eſt Hemitritaeus *Celſi* L. III. cap. III. et VIII. et *Hippocratis Epidem. I.* p. 954. quem vero rectius tertianam continuam aut ſaltem tertianam productam appellabis. Eius obſeruatio occurrit apud *Riuerium*, *Obſeru. communic.* 23. p. m. 696.

**) Exquiſita haec eſt ſemitertiana *Galeni L. II. de Criſib. c.* 9. et *L. II. de Febrib.* cuius exempla apud *Spigelium L. de Semitertiana II.* cap. 4. p. 45. *Foreſtum Obſeru.* V. 13. 18. *Riuerium* Cent. I. obſ. 54. et *Hoffmannum Med. ſyſtem. T. IV. Sect. I. c.* 5. *obſ.* 1. reperies. Ab horrore *Hippocrates* hemitritaeum *L. I. epidem* p. c. et alibi horridam febrem, (φρικώδη πυρετὸν) appellauit.

§. 85.

Ad hunc decurſum ſedulo attendendum eſt, ſi Semitertianam recte velis cognoſcere. Scire autem licet, praeter horrorem, frigus, ardorem, ſitim, ac ſudorem, alia plura ſymptomata ingruere, quae febrem non minus grauem et moleſtam, quam periculoſam reddant.

Nam ſub horrore in imparibus diebus ſaepe bilis vomitus vel deiectio mouetur. Magna virium proſtratio eſt. Aegri quidam ſoporoſi fiunt; aliis mens alienatur; aliis animus deficit. Abdominis dolor ac intumeſcentia haud raro iungitur. Purpura etiam, et petechiae ſe interdum immiſcent. Sputa pauca, cruda, tuſſi extunduntur. In progreſſu febris icterus ſaepe oritur, et morbum ſoluit *).

*) Exemplum eſt apud *Hoffmannum l. c. obſ.* 4.

§. 86.

Raro eiusmodi febris criſi perfecta ſoluitur intra ſeptem

ptem, vndecim, quatuordecim aut viginti dies. Modi vero, quibus perfecte solet iudicari, sunt fluxus alui biliosus, pituitosus, aut cruentus plane. Discutitur etiam morbus et abbreuiatur a doloribus colicis, si sint cum signis coctionis; aut subsequente postea diarrhoea saniosa *), aut cruore nigro copioso secedente **).

*) vid. *Spigelius L. II. c.* 14. *p.* 67.
**) vid. *Hoffmannus l. c. obs.* 3.

§. 87.

Vbi vero nihil horum euenit, sed potius ardor circa praecordia, iactatio, ventriculi dolor, inquietudo, singultus, manuum tremor, et conuulsiones animaduertuntur, aut putridissima ex aluo frequenter effluunt, mortis periculum imminet; quae sub accessione grauioris paroxysmi imparibus diebus contingit.

§. 88.

Quodsi vero morbus imperfecte iudicatur, hoc est, sine valida euacuatione per sudores et vrinas copiosissimas, aut abscessum, aut notabile sanguinis profluuium; tunc vel per recidiuas vel alios morbos soluitur, longo temporis tractu, sic, vt, computatis recidiuis et febrium commutationibus, primus terminus solutionis raro sit dies quadragesimus, frequentius sexagesimus, frequentissime octogesimus, raro centesimus, et centesimus vigesimus, ac vltra.

In simplices febres, tertianam et quotidianam, ex quibus composita est, continuas vel intermittentes, mutatur plerumque intra viginti circiter dies; deinde paucorum dierum interuallo ea febris, quae desiit, siue quotidiana fuerit, siue tertiana, redit per aliquot dies, iterum aegrum aliquamdiu deserit, factis sic tribus aut quatu-

quatuor recidiuarum circuitibus, nec desinente alterutra febre *).

Solet etiam Semitertiana in alias intermittentium species, tertianam simplicem et duplicem, itemque quartanam commutari; et hae suas etiam plerumque recidiuas faciunt. Alias in lentam febrem, aut hydropem abit, et in plures alios morbos. Etenim nulla febris plurium recidiuarum, plurium ac tam diuersorum morborum ferax est, quam Semitertiana.

In recidiuis subinde etiam abscessus circa articulos, et ad parotides generantur.

*) Eiusmodi scenas et in se ipso et in aliis *Spigelius* expertus describit l. c. p. 65.

§. 89.

Febris haec in Gallia, Hungaria, Italia, Morauia, Stiria endemia est *), vt Africam et Aethiopiam haud memorem, et frequenter ibidem grassatur autumno, vere, et aestate, pluuiosis et austrinis, interuenientibus frigidis ventis, aut post tempestates frequentes vel grandines, plurimum refrigerato aëre. Constitutio etiam pestilens frequentiam eius praenunciare solet. Nam quo tempore pestis regnat, haec febris in omni terrarum regione, in qua pestis est, frequentissima esse cernitur. Pueri rarius ea infestantur, viri et iuuenes frequentius, quam mulieres.

Frequenter etiam ex tertiana intermittente **), inprimis producta, et ex lenta oritur ***), interdum etiam ex continua *a*).

Prae ceteris autem Hemitritaeus lethalis est, cui morbi acuti, apoplexia, conuulsio, tetanus, lethargus, strangulationes faucium, angina, superueniunt, quorum

rum magna pars per ſe periculoſa eſt, quidam etiam maxime lethales.

Diuturni ſunt quoque morbi, qui ſi Semitertianae ſuperueniant, aut illis haec adiungatur, funeſti ſunt, vt hydrops, cachexia, aut tabes.

Dyſenteria cum hac febre incipiens, periculoſa quidem eſt, ſed tamen non valde lethalis. Dyſenteria autem, quae critice ſuperuenit, etiamſi imperfecta ſit, tamen laudabilis eſt.

Si initio variolarum ſuperueniat Semitertiana, aut eae in hanc incidant, ſpes in anguſto eſt.

*) Etiam in ſeptentrionalibus regionibus populariter graſſari, apparet ex Ill. *Linnaei* et *Andr. Boſtroem* diſs. *de Febre Upſalienſi*, ib. 1757. nam haec febris noſter Hemitritaeus eſt.

**) vid. *Foreſt. Obſ. V.* 13.

***) *ib. obſ.* 14.

a) *Riuer. Cent. IV.* 23.

§. 90.

Qualiscunque hemitritaeus fuerit, malignitatis notas manifeſtas vbique oſtendit, fomitemque ſuum ex ingenti colluuie pituitoſa ac bilioſa trahit, quemadmodum non ſolum ſymptomata recenſita, ſed etiam cadauerum extiſpicia demonſtrant, vbi inflammata et ſphacelata loca in iecinore, pulmone, liene, renibus, meſenterio, inteſtinis, reperta ſunt. Quapropter ad euacuandas eas opportuno tempore opera medici dirigenda eſt, et praeter enemata, modo laxantibus, modo emeticis, niſi dolores colici vexent, praeſertimque illis ſtatim ab initio et poſt haec frequenter vtendum. Nec venaeſectio omittenda eſt, ſi vires, aetas, regio, et alia conſentiant.

ſentiant. Cetera medicamenta deterſiua, humectantia ac refrigerantia eſſe debent.

In recidiuis et in commutationibus morbi haec eadem felici pariter cum ſucceſſu dantur, iuncto vel per interualla dato Peruuiano cortice, aliisque balſamicis ac roborantibus medicamentis, reſpectu tamen inprimis habito ad ipſius morbi naturam, in quam Semitertiana abiit.

ELODES.

§. 91.

Elodes veterum, quem recentiores *Sudorem Anglicanum*, *Hidropyreton*, *Ephemeram malignam*, *Ephemeram ſudatoriam*, et *febrem ſudatoriam*, appellant, cuius tamen plura genera exiſtunt *), ex tribu eſt ſumme malignarum febrium, et ad naturam peſtis quam proxime accedit.

Etenim primo ſtatim die aegri immoderato atque continuo ſudore diffluunt, cum inſigni virium lapſu, palpitatione cordis, inquietudine, anxietate, ſiti, dolore capitis, vertigine, comate, conuulſionibus, angina, animique deliquio. Iſtaque febris tam vehemens et acuta eſt, vt iam primo die aliquos interficiat **), alios tertio aut quinto, plerosque vero ſeptimo, ſic quidem, vt qui hunc terminum ſuperent, vtplurimum conualeſcant.

*) Cuiusmodi eſt veterum *Typhodes*, quae ſtatim etiam a primo die ſudores exhibet, ſed pro ſymptomatica habetur, ex eryſipelatoſa hepatis inflammatione orta; (*Galen. L. aduerſus Lycum.*) et febres ab *Hippocrate* notatae *L. VII. Epidem.* p.m. 1081. in quibus aegri ſudoribus diffluebant, nec penitus a ſudore perfrigeſcebant, ſed rurſus incaleſcebant, quaeque longae erant et diffici-

difficilem habebant iudicationem, neque admodum ſitim adferebant, et ſeptimo, nono, vndecimo, decimo quarto et decimo ſeptimo die deſinebant; et *febris periodica intermittens*, a *Tortio* in ſemet ipſo et in aliis obſeruata, ac *diaphoretica* dicta, *Therapeut. ſpec. L. IV. c. II.* p. m. 264. ſeq. et *febris miliaris ſudatoria* in *Iourn. de Medec.* par *Vandermonde*, M. April. 1760. et *ſudor Picardicus*, quae febris miliaris aut petechialis, multoque mitior quam Elodes noſtra, et haemorrhagiis ſtipata, quae etiam in noſtra non obſeruantur, ceterum etiam longior, quatuordecim ac viginti dierum. vid. *Methode à ſuivre dans le traitement des differentes maladies epidemiques qui regnent le plus ordinairement dans la generalité de Paris*, par Mr. *Boyer*. ib. 1762.

**) Ob hunc typum ad Ephemeras *Iunckerus* retulit in *Conſpect. med. pract. Tab.* 57. quem ſecutus nunc quoque eſt *Boiſſier de S.* in *Noſolog. meth. T. II. Claſs. II. p.* 225. ſed male, quum Ephemerae typum non ſemper exacte obſeruet, ſed illum etiam tranſcendat; vnde apparet, quod non natura ſua Ephemera ſit, ſed in ſumma malignitate ſaltem tam breuem exitum habeat.

§. 92.

Haec febris praecipue autumno ſaeuit, et tantum non ſemper populariter graſſatur. In Anglia ſeculo decimo quinto quaſi endemia fuit, et inde ab anno 1486. vsque ad annum 1526. continuauit, magnamque ſtragem edidit. Ex Anglia per inferiorem Germaniam, Belgium, Brabantiam, Flandriam, Daniam, Noruegiam, Galliam ab a. 1525. vsque ad 1530. diſſeminata, ac in Germania inprimis a. 1528. haec ſudoris contagio incruduit, tantaque truculentia ſaeuiit, vt quam primum vrbem aliquam inuaderet, ſingulis diebus 500 aut 600 ciues occuparet, ex quibus initio vix centeſimus euaſit. Subinde adhuc ſporadice, ſed raro admodum, occurrit.

Euric. Cordus, *Laur. Friſius*, *Iac. Caſtrius*, *Ioach. Rolan-*

Rulandus, *Tertius Damianus*, ſinguli libellos de hac febre ſeculo 16. diuulgarunt. Aliorum obſeruationes ex manuſcriptis exemplaribus collegit et edidit *Guil. Gratarolus*.

§. 39.

Quae olim a medicis pro genio ſeculi adhibita fuerunt aduerſus hunc dirum morbum remedia, ad vincendum illum mihi non videntur ſufficere. Potentiora antiſeptica hic frequentanda cenſeo, corticem Kinkina, infuſum florum chamomillae, acetum vini, ipſum vinum acidulum, et moderatum aluminis vſum, quod ad ſanguinem putridum ac nimis diſſolutum, qualis in hoc morbo eſt, coagulandum nullum facile ſupra ſe habet remedium. An purgantia, an venaeſectio, an epiſpaſtica hic proficiant, neque affirmare in praeſenti, neque negare audeo

Quod aer frigidus, et impatiens caloris et ſudoris tolerantia aegros feſtinanter ad internecionem redigant, ſuperiorum ſeculorum obſeruationibus compertum eſt.

PESTIS.

§. 94.

Horrificam peſtem non ſine horrore deſcribere aggredior. Ecquis enim non obſtupeat morbo ſupra omnes truculento, qui tam ſubito vniuerſos populos, et totas familias, et ſaniſſimos quosque eodem tempore comprehendit ac trucidat, interque grauiſſima ac inaudita hactenus ſymptomata, ſummo cum periculo, magnaque cum contentione decurrit?

Vbi raptus aliquis morbo eſt, haec fere incidunt. Glandulae ſub alis, pone aures, ſub maxillis, ipſae

mammae, vel thymus, frequentius autem quae in inguinibus ſitae; aut certe carbunculi diuerſis ſedibus, in dorſo potiſſimum, et brachiis, et femoribus; vel puſtulae *), purpureaue exanthemata, modo in vna corporis parte, ſaepe in toto, ſubito et cum febre acuta, continua, nunc quotidianae, nunc tertianae typum exhibentes, erumpunt **). Laſſitudo corporis inſignis eſt, ſummus moeror animum occupat, ac ferocem turbidumque vultum reddit. Appetentia ciborum omnis deiecta eſt; in capite acerbus dolor eſt, ſenſuumque ſtupor animaduertitur. Nauſea, vomitus frequens, cardialgia, ſingultus, conuulſiones, deiectiones foetidae et graueolentes, et praemagna ſitis aegros vexant. Reſpiratio difficilis eſt; ſpiritus ipſe foetet. Indeque aliquando ſternutationes, raucitates, tuſſis, ac haemoptyſes generantur. Aegri fere omnes protinus delirant, et per plateas et agros, niſi coerceas illos, quaquauerſum diuagantur. Nonnulli ſic vagabundi ob ſenſuum ſtuporem concidunt, et tamquam ſemimortui iacent. Alii enormi vomitione fatigati occurrunt, et primo die vel ſerius intereunt. Multi derepente, maculis purpureis vndiquaque foedati, citra febrem moriuntur.

*) *Hodges de peſt. Lond.* p. 120.

**) Ipſa haec febris ardens eſt, et ad lipyrias pertinet. Interim Peſtilentiam etiam ſine febre quibusdam accidisſe ipſe *Hippocrates* vidit *Epidem. libr.* III. et *Riuinus* in peſte Lipſienſi a. 1680. et *Diemerbroek* in peſte Neomagenſi a. 1637. vid. ej. *Opp.* T. II. c. 12. v. 2. imo ſine vllo alio ſymptomate, et ſine languore, praeterquam quod bubones aut anthraces ſenſim eruperint, *Sydenham* in peſte Londinenſi *Opp. Sect. II. c.* 2. p. m. 133. et *Chicoineau* in peſte Maſſilienſi, *Relation de la peſte de Marſeille*, Par. 1720. Quam peſtem benignam vocare licet.

§. 95.

Qui morbum ſuperant, his vel primo iam die, vel ſub-

ſubſequentibus malum ad glandulas decumbit vel ad ceteras partes externas, illinc bubones, hic carbunculos excitans; per quae abſceſſuum genera criſis in hoc morbo frequenter abſoluitur; cum eo tamen, vt ſcias, nimia tumorum eiusmodi copia, propter inflammationem, dolorem et ardorem intolerabilem, ex febre ſymptomatica aliquos adhuc interire.

Aliis, qui peſtem effugiunt, morbus in ventrem irruit, et copioſas atque foetidiſſimas deiectiones mouet. Neque vero hi ſemper in tuto ſunt *).

Nonnullis malum in pubem, vel ad ſummas manus et pedes decumbit; et complures his membris amisſis, nonnulli et amiſſis oculis, ſphacelo prorſus confectis, euadunt **).

In aliis obliuionem omnium rerum morbus relinquit ***).

*) *Thucydides* de *bell. Pelop. L. II.* p. m. 196.
**) *id.* p. 1.
***) *id.* ib.

§. 96.

Ignorare vero non oportet, ſymptomata nec in vna peſte, nec in omnibus aegris eadem ſpectari, ſed multum vtique variare *a*). Bubones tamen, cum petechiis et carbunculis, non vnquam deſunt, et luem certiſſime efficiunt *).

Illud etiam nouiſſe non inutile eſt, praeſagia ſalutis in hoc morbo ſatis incerta eſſe, quum multi, de quibus plena ſpes eſt, quum ſcilicet ſeptimum aut nonum diem ſuperarunt, aut qui adeo ad tertiam, imo quartam hebdomadem morbum protrahunt, ex lenta febre peſtilentiali nihilominus adhuc inopinanter trucidantur **).

Viciſſimque et mortis praeſagia ex regreſſo bubone et ex aliis mortiferis ſymptomatibus aliquando fallere ſolent. Nam et bubones iſti inter ſudores aliquando ſalubriter reuertuntur ***).

a) vid. R. *Brookes hiſtory of the moſt remarquable peſtilential diſtempers*. Lond. 1721. 8.

*) Solus *Thucydides* eſt, qui in eleganti deſcriptione peſtis Atticae bubones non memorat. l. c.

**) *Diemerbroek* de *peſt. Neomag.* c. V. p. 16. Opp.

***) *Hodges l. c.* p. 160.

§. 97.

Praeterea circa prognoſin haec notanda adhuc veniunt.

Lues primo ſtatim ab ortu effera et exquiſita, breui ſpatio terminatur.

Quantumcunque ſpatium ab eius ortu ad ſtatum, tantum ab ipſa ἀκμῇ ad eiusdem declinationem obſeruatur.

Aegri in initio vel ſtatu morbi comatoſi vix euadunt.

Haemorrhagia omnis periculoſa *a*), item alui fluxus in principio *aa*), aut ſudor ſine alleuatione, quo quidam aliquando ita colliqueſcunt, veluti ſudore anglico correptis accidit.

Quo plures bubones erumpunt, modo ſuppurati, eo fortunatior ſemper morbi exitus. His carbunculi ſemper magis exitiales.

Surditas cum ſopore parotidis mox emerſurae index eſt.

Stigmata peſtilentialia profunda malum primo, ſecundo, vel tertio die praeſignificant. Quae vere et

aeſtate

aestate incipit, pestis hyeme plerumque solet desinere; quae vero autumno vel hyeme, longius protrahitur. Nulla autem pestis facile vltra triennium saeuit: quo tempore saepissime repullulascit, vel, cum funerum frequentia aliquantulum se remisit, iterum increbescit. Nostras regiones vix quouis saeculo semel inuadit. In exordio suo et fine benignior est, sub calido coelo frequentissime et vehementissime grassatur, semperque ac vbique epidemica, vel potius pandemia est. At quem semel deseruit, illum non iterum inuadit.

Pestem interdum, nisi aliunde per contagium translata fuerit, aliae febres, variolosae, morbillosae, miliares, petechiales, aliaeque putridae et malignae, plurimis exitiales, vt et pleuritides et anginae praecedunt, tandemque in illam desinunt *). Atque vti ingruente lue morbi in illam degenerant, ita vergente typo pestilentiali ipsa lues aliorum laruam induit, vnde erysipelas, anginae, cephalalgiae, dysenteriae, variolae, morbilli, febres lentae et hecticae oriuntur, in quibus tamen illa praedominium exercuit **).

Omnia praemonstratiua pestis signa, quae venditantur, coeli frequentes nempe mutationes, multa insectorum copia, multus quadrupedum interitus, insueti ignes per noctem in aëre visi, ortique cometae, fallacissima sunt. Certius longe morbi putridi diuersi grassantes eandem portendunt.

Contagione omnem alium morbum calamitosa lues superat. Ipsiusque miasmatis tanta constantia ac tenuitas est, vt rebus porosis promte adhaereat, et ad multa milliaria, integra manente vi sua perniciali, transferri possit *a*). Nullumque miasma est, quod vires corporis tam subito destruit, tantamque putredinem humoribus inducit, quam hoc pestilentiale. Vnde cadauera

ra illico foetent, intumeſcunt, et celerrime putreſcunt, et iam in ipſo mortis articulo ſubuiridi colore inficiuntur ***),imo poſt interitum non raro ſudore diffluunt****).

a) vid. *Obſeru. et reflexions ſur la peſte de Marſeille*, p. 333.

aa) *Gibertus* tamen notauit, talem in peſte Aleſienſi fuiſſe ſalutarem; in Maſſilienſi vero non item.

*) *Thucydides* l. c. *Sydenham* l. c. p. 137. *Diemerbroek* l. c.

**) *Hodges* l. c.

a) Sunt, qui negant peſtem contagioſam eſſe, *Chicoineau*, *Soulier* et *Verney* in *Obſeruations et reflexions touchant la nature de la peſte*, Lyon, 1721. 12. *Ge. Pye diſcourſe of the plague*, Lond. 1721. 8. et alii. Egoque ipſe concipio bene, contagionis modos a doctis viris multos effictos eſſe.

***) *id.* p. 41.

****) *id.* p. 119.

§. 98.

In fuga, fonticulis, et animo ſtabili optimum prophylacticum remedium quaeritur. Neque dubium eſt, quin inſitio miaſmatis valentiſſimum remedium prophylacticum ſit; cuius certe egregium effectum in lue bonum contagioſa obſeruationes iam docuerunt *). Neque vomitus alienus eſt; qui contra in ipſo morbo omittendus, ob metum, ne ventriculus inde inflammetur, aut iam leuiter inflammatus in peiorem ſtatum deducatur **). Omninoque etiam, ad animum recreandum, vtile eſt, vino meraciore vti.

Qui vero iam peſtilentia occupati ſunt, paucis medicamentis, nec niſi acidis et cortice Peruuiano, opus habent. Cathartica, emetica, ſudorifera minime hic proſunt, ſaltem ambiguum effectum habent. In ſanguinis

guinis autem miſſione larga et iterata, ante tumorum eruptionem, multum praeſidii eſſe, *Sydenhamo* credam *a*). Specificum remedium ad peſtem non exſtat *b*):

Bubones ad maturitatem ſedulo perducendi et mature aperiendi ſunt; et carbunculi excitandi emplaſtro magnetico, vel ex fermento panis, ſinapi, theriaca et galbano aceto ſoluto; deinque repurgandi, prout ipſorum natura fert.

Qui inter peſtiferos verſari vel habitare coguntur, cum tamen ſecuri eſſe non poſſint, hos oportet vitare fatigationem, cruditatem, frigus, calorem, libidinem; multoque magis ſe continere; itemque os crebrius aceto vel ſimplici vel bezoartico colluere, ſimulque iſtud vel per ſe vel vino mixtum ad vnciam quotidie potare; interdum etiam tabacum e fiſtula haurire aut rhabarbarum maſticare. Quidquid vero alias illo tempore, quo dira lues populos deuaſtat, et magiſtratibus et medicis agendum inſtituendumque ſit, conſulto hic praetereo.

*) vid. *Act. Med. Berol. Dec. II. vol. II. obſ.* 1. P 26. et *Weſpremi Tentamen de peſte inoculanda*. Londin. 1755.

**) vid. *Helmontii tumulus peſtis*, in Opp. p. 842. 867. *Ri. Mead. diſcourſe on the Plague*. C. 3. p. 156.

a) *l. c.* p. 143. ſeq. cf. *Mead. l. c.* p. 161. ſeq.

b) Quid baccae hederae arboreae a *Th. Mermanno* laudatae in *Conſult. et reſpons. med. L. VIII.* 6. praeſtent, ego certe experiri non cupio. Nec quid veſicatoria, *Riuer. obſ. comm.* 14.

HYDROPHOBIA.

§. 99.

Hydrophobia, a terribili ſymptomate dicta, ad febres, et ad acutas non minus, quam continuas paſſiones

nes referenda est, quamuis non raro febre, vt ipsa pestis, careat.

Morbus quando primum innotuerit, percontatus est *Hier. Mercurialis Variar. lect. L. I. c. II.* p. 6. seq.

§. 100.

Ipsum vero malum in duo genera dirimendum est, quandoquidem vel, vt frequentissime, a morsu animalis vel hominis rabiosi, aut saltem valde irati, vel, vt rarissime, sine contagione a causis inquilinis in acuta ac inflammatoria febre sponte oritur *).

*) Praeter autores, qui talem spontaneam hydrophobiam notarunt, et *a Swietenio* citati sunt T. III. §. 1130. memorandi sequentes adhuc veniunt, *Eph. Nat. Cur. Cent. III. obs.* 50. *Sanchez Opp.* T. I. p. 375. *Commerc. Nor.* 1740. hebd. 36. n. 1. an. 1743. hebd. 5. n. 2. *Domin. Brogiani* Tr. *de venen. animant.* p. 105. *Iournal de Medecine* par *Vandermonde* et *Roux* 1757. Febr. et Iun. 1767. Nou.

§. 101.

Morsu animalis aut hominis rabidi vel valde irati insertum aliis corporibus venenum vix vnquam primo die, sed serius, inde a septimo die vsque ad sexagesimum, plerumque ac improuiso erumpit. Quae enim tum in antiquorum, tum recentiorum scriptis occurrunt fabulae de hydrophobia post quatuor, quinque et plures menses, imo post plures annos, et, quod mireris, post viginti, imo adeo quadraginta demum a praeuio olim morsu, cuius aegri forte adhuc meminerint, consecuta, eae mihi omnes suspectae sunt, et videntur potius inquilinis causis adscribi debere.

§. 102.

§. 102.

Ita autem hydrophobia ſe prodit. Grauitas in toto corpore, laſſitudo, appetitus deiectus, triſtitia, metus, ac inquietudo et ſolitudinis amor hominem demorium affligunt; idemque dolorem in loco vulnerato percipit, qui ſe vltra quoque extendit. Atque haec apparatum ad ipſam hydrophobiam faciunt, et in quibusdam diutius durant, in aliis cito eam inferunt. Quae ſe luculentius eo nunc prodit, quod inter memorata iſta mala, quae ipſa magis magisque increſcunt, cicatrix vulneris liueſcit, tumet, induratur, iterumue humidatur, reſpiratio ſuſpirioſa fit, et anguſtia circa praecordia, horror, ad quorumlibet liquorum conſpectum tremor, inque eorum deglutitione vel ſaltem deguſtatione ineffabilis anxietas oritur, quae tremorem, conuulſiones, animi deliquia, furorem, atque ſuffocationem fere inducit. Tandem cum et haec omnia continenter exacerbantur, lingua aſpera redditur, vox rauca fit, ſpumae in ore colliguntur, ſitis ingens vexat, inſuperabile deſiderium tum in alios ſpumam exſpuendi, tum eosdem mordendi oritur. Iamque rabies ſupremum gradum adepta mortem vel primo iam die, vel ſecundo, tertio, quartoue inter ſudores frigidos, cum ſumma reſpirandi anguſtia et neruorum diſtentione plerumque inducit.

§. 103.

At hydrophobi tamen etiam inter ſe differunt, vt diuerſos non ſolum gradus morbi, ſed diuerſa etiam ſymptomata facile animaduertas. Alii citius, alii ſerius erumpente morbo opprimuntur, et ex vtrisque alii aliter. Sunt enim, qui vehementer delirent, et ſunt, qui ad extremum vsque ſapiant. Sunt, qui inflammationibus diuerſarum partium corripiuntur, et ſunt, qui nullis. Alii bilem vomunt, alii non vomunt. Quibusdam co-

 les

les nimium tenditur, et ipſum ſemen inuoluntario profluit. Alii pellucidarum rerum, radios lucis reflectentium aſpectum, aut aeris motum vel leuiſſimum ferre non poſſunt, alii poſſunt. Quidam tanta aquae et cuiusque modi potionum auerſatione capiuntur, vt non ad adſpectum tantum, ſed ad nomen duntaxat auditum vel eius ſtrepitum exclament, tremant, conuellantur, animoque deficiant. Quidam propriam ſaliuam non valent ſine multo detrimento deglutire.

Quae tametſi in pluribus fiunt, tamen et hydrophobos deprehendes, qui vinum bibant; qui ad aquae mentionem non paueant, ſed in balneum ire iuſſi ſponte, quamquam non ſine omni horrore, ſe huc conferant; quique aquam, prima deglutitionis difficultate ſuperata, haud aegre hauriant. Alii contra non niſi periculo facto, et eius deglutiendi difficultate percepta, illam bibere ſe poſſe negabunt.

Rariſſime leuior hydrophobiae acceſſio per periodos recurrit.

§. 104.

Sed multo magis mortui, quam viuentes hydrophobi inter ſe differunt. Hi enim cuncti in eo conueniunt, quod aquam ſine ſumma difficultate haurire nequeant; mortui vero in nulla re peculiari, multoque minus in omnibus conueniunt.

In aliis enim viſcera omnia, et fauces, et trachea, integra ac ſana; in aliis modo vnum, modo plura harum partium inflammatione vel gangraena tacta reperiuntur. Veſica fellis modo vacua, modo plena eſt humore, diuerſimode conſtituto. Stomachus modo alienum humorem capit, modo non capit. Sanguis in vaſis modo diſſolutus, modo condenſatus apparet. Nec ſic-

ſiccitas cerebri, pericardii, muſculorum in omnibus videtur. Nec putredo in omnibus ſubito ingruit *).

*) vid. *Morgagni de cauſis et ſedibus morborum* L. I. epiſt. VIII. n. 30. 31. 32. et L. V. epiſt. LXI. n. 9.

§. 105.

Quid ergo? niſi in neruis et cerebro principem huius morbi ſedem ponas, alibi certe non inuenies; nec errabis, ſi ipſum inter conuulſiuos, ex doctiſſimorum huius aeui medicorum ſententia *), referas.

*) vid. *Boerhaaue aphor.* §. 1142. et *Swieten* in *Commentar.* T. III. p. 566. *Rich. Mead* in *mechanical account of Poiſſons, eſſays III.* p. 129. *Hum. Ridley Obſeruat. de aſthmate et hydrophobia* XXV. p. 108. Dominic. *Brogiani* Tr. *de venen. animal.* P. II. *Chph. Nungent* in *Eſſay on the Hydrophobia.* Lond. 1753. 8. *Morgagn. l. c. epiſt.* VIII. n. 32.

§. 106.

Neque vero delirium eſt timor aquae, neque a faucium vel gulae quodam inſigni vitio proficiſcitur; ſiquidem aegri ſolidos cibos et bolos cum facilitate deglutire poſſunt, nec de vllo faucium dolore vehementer conqueruntur.

Hinc maxime omnium mirabile phaenomenon, et vix explicandum eſt, niſi a peruerſa phantaſia, quam venenum in mente excitat, velut in congenitis antipathiis, illud deriuare velis.

Certe nec viſio canis in admoto poculo, nec moleſtia a deglutito potu in ventriculo percepta, nec metus ab inſerto morſu, nec ſpaſmus in faucibus, quamquam eius ſenſum hydrophobi quidam ſe habere teſtantur *), ad ipſius explicationem ſufficiunt. Et ſi qua forte inflamma-

flammationis veſtigia in ſaucibus, in trachea, aut oeſophago per diſſectiones apparuerint, pro effectu potius, quam pro cauſa morbi agnoſcenda ſunt.

*) vid. *Ioſeph. de Aromatariis* diſp. *de rabie contagioſa*, P. II. p. 35. *Petr. Sal. Diuerſus de affectib. particular.* c. XIX.

§. 107.

Ab eodem animali demorſi homines alii citius, alii ſerius in rabiem coniiciuntur; vt ſint adeo, qui periculum hydrophobiae plane effugiant.

Nudis partibus qualibuscunque cruento morſu inſertum virus maxime omnium quidem nocere viſum eſt; obſeruationes tamen etiam docent, ſi alias fidem illis habere velis, quod et per veſtimenta adactum, ſola dentium impreſſione in cute relicta, et per contactum recentis vel etiam dudum exſiccatae ſpumae, veſtimentis aliisque rebus inhaerentis, et labiis, linguaeue exceptae, et per oſculum a rabido homine inflictum, et per concubitum cum homine, in quo abſconditum adhuc latuerit, denique et per eſum carnium aut lactis animalis rabidi in ſana corpora transferatur.

Idem virus nec per traducem aliquoties iam propagatum de actiuitate ſua multum perdit.

§. 108.

Diriſſimus morbus efficaciſſima remedia prophylactica, et celerrimam opem poſtulat, quo nequiſſimum virus quantocyus tam e corpore et quam proxime e vulnere educatur, quam humoribus miſtum iam iners reddatur atque deſtruatur.

Et praeſeruare quidem hominem demorſum ab hydropho-

drophobia, facilius eſt, quam a praeſenti liberare. Neque vero aliis remediis malum curari, quam auerruncari poteſt.

§. 109.

At multo plura hic laudari, quam quae cum fiducia et certa ſpe effectus boni vſurpari queant, pericula oſtenderunt. Ex quorum numero ſunt permultae plantae alexipharmacae, ex quibus antidotos ſuas antiqui, ſed qui minime omnium felices in curatione iſta, compoſuerunt; et ſimilis puluis a Palmario compoſitus; vt et theriaca, mithridatium, combuſti cancri, radix roſae ſylueſtris, gentianae, conchae calcinatae, teſtae ouorum calcinatae, lichen cinereus terreſtris cum pipere, qui puluerem antilyſſum Londinenſium conſtituit; hepar ipſius canis rabidi enecati aſſatum, et pili eius vulneri applicati; item acetum bezoarticum, moſchus et ex hoc compoſitus puluis Tunquinenſis. Quorum omnium virtus vel prorſus ficta, vel nondum ſatis explorata eſt, vt ſecuros nos eſſe ſub ipſorum vſu ſineret.

§. 110.

Neque multum ſane ob fallacem ſucceſſum praedicanda veniret vulneris ſcarificatio, etiam admotis cucurbitulis inſtituta, eiusdemque profunda aduſtio, et protracta per plures menſes ſuppuratio, et praecipitatio in aquam, aut ſaltem larga corporis perſuſio, et crebra vulneris ope muriae et aceti elotio, niſi opinioni vulgi aliquid, et certe multo plus in hoc caſu, quam in omni alio, dandum eſſet.

§. 111.

Vt vt ergo haec omnia auxilia (§. 110.), ſi a praecipitatione in aquam et perſuſione receſſeris, quae ne-

que

que ad praeseruationem, neque ad curationem valet, eo, quod venenum nullo modo alterat, et hydrophobia iam praesente, exitium eius accelerat, dum suffocationis summum periculum et conuulsiones subito parat et arcessit, ob allatam rationem non plane omittenda puto, etiamsi sint superuacua; experientia tamen docuit, in mercurialibus medicamentis optimum praesidium esse, certe per haec multo plures et homines et bestias esse tum praeseruatas, tum curatas a rabie, quam per quaeuis alia ingesta vel applicata; vt adeoque in his contentis nobis esse liceat.

Igitur primo vulneri aut parti tantum vexatae a dentibus canis rabidi, vnguenti mercurialis drachma quotidie illinitur, quod ex argenti viui vncia, therebinthinae venetae drachmis duabus, et pinguedinis porcinae vnciis tribus, inter se mixtis paratur; eaque illitione per decem vel ad summum quindecim dies pergitur, si iam ab ipso die, quo animal momordit, applicari possit; sin autem aliquot iam hebdomades a morsu facto effluxerint, tum paullo diutius in eius vsu persistendum. Vulnus autem apertum seruandum est per hoc tempus; quod optime fit vnguento digestiuo vel basilico, cui pauxillum mercurii praecipitati rubri admixtum est. Praeter haec vero singulis diebus istis, ex sequentibus pilulis, quae ex mercurii viui drachmis duabus, in therebinthinae drachma extinctis, pulueris rhei orientalis, trochiscorum alhandal et gummi gutte singulorum drachmis duabus, admixta sufficienti mellis despumati quantitate, compositae, grana quindecim ad drachmam dimidiam ad deuorandum exhibentur; pueris autem, et infantibus tertio quoque die tantum syrupus de rheo cum aliquot granis pulueris ialappae et mercurii dulcis datur *).

Quibus autem pilulae non arrident, aut dari non possunt, iis turpethum minerale a grano vno vsque ad quatuor

quatuor in puluere, admixto ſaccharo penidio vel alia re, aut in bolo datum altero vel tertio quoque die, idem efficit **).

Mercurialia autem videntur, non ob virtutem anthelminticam, vt *Deſaultius* autumauit ***), ſed ob aliam ſpecificam, qua virus ſenſim eneruatur ac demum exſtinguitur, proficere.

*) vid. *Claude du Choiſel eaſy, ſhort, and certain method of treating perſons bit by mad animals. Lond.* 1756. 8.

**) vid. *Rob. Iames new method of preuenting and curing the madneſs cauſed by the bit of a mad dog.* Lond. 1743. 8. et *Philoſoph. Trans.* N. 441. *Sauuages* diſs. *ſur la Rage* p. 53. 54. 58. *Morando Morando oſſeruazioni della cura preſeruatiua della rabbia canina.* Ancon. 1755. 8.

***) *Diſs. ſur la Rage.* Bord. 1733. 12.

§. 112.

Ceterum laude ſua, praeter mercurialia, (§. 111.) non prorſus defraudanda videntur haec: Limatura cupri, ſcarabaeus melolontha, et alter meloe dictus, anagallis herba, et quae in noſtris regionibus per aliquot annos celebrata, hactenus autem a minus eruditis tantum praeſcripta et commendata fuit, radix belladonnae virulenta, quae ſi laudatos effectus praeſtet, qui ipſi adſcribuntur, vt ſcilicet vna doſi granorum quindecim exhibita, et ad ſummum ter totidem diebus repetita, omnem hydrophobiae metum tollat, certe omnibus aliis remediis, quod quidem optandum, praeferenda erit *).

Anagallis, abiecta plantula ac fere inſipida, et cui ob id fortaſſis pauciſſimi fidant, ſe mihi ita probauit, vt ſemel hominem demorſum et iam primo morbi gradu correptum a futura rabie liberauerim. Datur eius drach-

ma dimidia bis in die per vnam, duas, tres, quatuorue hebdomades; nec inutile est, infusi eius patellas aliquot quotidie calide sorbere. Si maiora sint vulnera, atque locus commodus, etiam decoctum illis applicari potest.

Commentationem denique merentur remedia duo, vnguentum Neapolitanum et pilulae ex camphorae scrupulo dimidio, cantharidum grano, et mercurii dulcis grano vno semis, ope mucilaginis tragacanthae compositae, quae ab *Werlhofio*, consummatissimo medico, inuenta, et in terris Hannoueranis ante aliquot annos publicata sunt. Modus vtendi is est, vt per sex menses quotidie vesperi memoratae pilulae deglutiantur, et per idem tempus vnguentum neapolitanum pisi vnius vel duorum magnitudine vulneri, candente ferro vsto, illinatur.

Minus fidendum autem putamus auxilio arteriotomiae in dorso pedis institutae, quod v. cl. *Arrigonius* nuper proposuit **), partim quod vna tantum obseruatione felicem exitum probauit, partim quod non sine aliis selectis remediis, mercurialibus puta, curationem peregit. Vt difficultatem huius chirurgiae in isto loco non memorem.

*) vid. *Hannouer. Magazin*, a. 1767. 64. St. a. 1768. 33. 38. 103. St. a. 1769. 14. St.
**) *Dissertat. della Mania*. P. III. c. II.

§. 113.

Eadem remedia, quae hactenus hominibus demorsis prodesse dixi, etiam brutis herbiuoris, at maiore tantum quantitate data, conueniunt. Bestiae vero carniuorae melius extemplo trucidantur; atque tum illud non negligendum est, vt accuratissime inquiratur, an talis

talis bestia vere rabida fuerit; siquidem persaepe rabies bestiam, quae momordit, non infestat: quod si cognitum demum demorsis fuerit, omnem hydrophobiae metum ipsis eripere potest. Ita vero res expedienda est: Occisi canis faucibus, gingiuis et dentibus affricatur frustum elixae carnis, idemque deinde cani sano ad deuorandum exhibetur; quod si deuoret, signum est, canem non fuisse rabiosum; sin autem repudiet cum anxio et tristi eiulatu, rabie correptum fuisse constat *).

*) Hoc experimentum a *Petito*, Chirurgo, propositum legitur in *Mem. de l'Acad. des Sc. de Par. an.* 1723, p. 39.

§. 114.

Hydrophobia, quae in acutis morbis sponte nascitur, absque venenato contagio, tam deleteria, ac canina, non est, neque huiusmodi remedia, quae ad hanc proposita fuerunt, desiderat. Repetitae et longae venaesectiones inprimis hic conferunt *).

*) vid. *Medic. Essays of Edinb.* T. I. n. 29.

FEBRIS VARIOLOSA.

§. 115.

Morbus contagiosus, et acutus, variolarum nomine insignitus, antiquis Graeciae et Latii medicis incognitus *), a Rhaze primum descriptus **), et ab Afris in Europam delatus, vt plurimorum fert sententia ***), inde a seculo nono in Germania se extulit, atque inde ab hoc tempore post aliquot annorum interualla epidemice grassari vbique consueuit.

*) Contrarium quidem post *Fracastorium*, *Zacut. Lusitanum*, *Forestum*, *Laurentium* aliosque plures, probare multo studio conatus est doctissimus medicus *Io. Godofr.*

 Hahn

Hahn L: *Variolar. antiquitates, nunc primum e Graecis erutae*, Brig. 1733. 4. alioque, cui index praeſcriptus, *Carbo peſtilens a Carbunculo ſiue Variolis veterum diſtinctus*, *acc. duae Don. Wilb. Trilleri de eodem argumento epiſtolae* Vratisl. 1736. 4. Sed refutatus fuit a *Werlhofio* in *diſquis. med. de variolis et anthracibus*, Hannou. 1735. 4.

**) Quod vero diu ante Rhazis tempora morbus in Arabia graſſatus ſit, et a. 572. illuc aduenerit, Cel. *Io. Iac. Reiske* ex ſcriptore Arabe probauit, in diſs. *miſcellan. obſeruationes medicae ex Arabum monumentis*. L. B. 1746.

***) Notabile interim eſt, quod *Huetius* in *Huetianis* p. 132. memorat ex *Gregor. Turon.* L. VI. c. 14. variolas iam a. 520. in Gallia fuiſſe obſeruatas; vnde ſequitur, eas minime ab Afris in Europam fuiſſe illatas. Sed vide, quae *Werlhofius* ſuper hoc loco commentatur. *l. c.* p. 9. not. 12.

§. 116.

Obſeruat ille, ſi recte attendas, quatuor omnino ſtadia, et ſic decurrit.

1) Primum ſtadium praecurſoris quaſi inſtar eſt, et apparatum exhibet, ac ab ingreſſu morbi vsque ad quartum diem circiter producitur. Quo ſpatio laſſitudo, dolor dorſi, nauſea, vomitus, pauores, et motus conuulſiui, at hi quidem magis iuniores, quam adultiores, corripiunt. Perſaepe etiam ſanguis ex naribus fluit. Intenſa febris cum ſiti protinus inter initia praeſto eſt. In iunioribus tamen ea mitior apparet, quam in adultis, quorum mens adeo alteratur. Aluus modo naturalis, modo liquida, modo ſuppreſſa eſt. Vrina paullo poſt emiſſionem turbida, ſubalbida, aut ſubflaua, vel ſulphurea conſpicitur.

2. Tertio vel quarto morbi die alterum incipit ſtadium, quo ſymptomata hactenus memorata, praeter febrem,

brem, ſe ſubducunt, et nunc primum in facie, quam prae reliquis partibus ſeligunt, et manibus, poſthaec in reliquis membris, inque capite quoque, puncta quaedam rubra, nunc ſparſim, nunc confertim, vel vtrouis modo, vsque ad ſextum diem paullatim erumpunt. Ex quo febris valde minuitur vel ex toto finitur, ſed halitus oris foetere peculiariter incipit, et totum conclaue adimplet. Maculae cutis pus gradatim concipiunt, et paullatim in puſtulas lenticularis magnitudinis eleuantur, halone rubro cinctae.

3) Ab octauo ad vndecimum diem, quibus tertium ſtadium continetur, puſtulae vlterius vsque ad piſi magnitudinem aſſurgunt, et depreſſum hactenus verticem dimittunt. Calor rurſus increſcit aliquantiſper; facies nonnihil tumet; fauces dolent; oculi ſaepe inflammantur; puſtulaeque ſuum halonem rubrum amittunt *).

4) Iamque iſtae per reliquos quatuor dies, qui quartum ſtadium conſtituunt, maturitatem conſecutae, flaueſcunt, atque partim ſiccantur, partim rumpuntur, et vtrobique in cruſtas abeunt, quae vel ſponte defluunt, vel ab ipſis aegris decerpuntur, areolis ſubrubris in cute aliquamdiu remanentibus.

*) Hoc ſtadio vsque ad finem morbi Ill. *Stoerkius* ſaepe verum pus in lotio conſpexit, *ann. med. II.* p. 162. quod mihi quidem nunquam adhuc viſum.

§. 117.

Atque ſic quidem cum *variolis benignis* ſiue *ſimplicibus* comparatum eſt; quae in ſe nullum periculum habent, atque adeo, quamquam rariſſime, ſine omni febre effloreſcunt, nec medicamentis indigent. Vocantur eae vulgo etiam *diſcretae*, et *confluentibus* tam-

quam *malignis* opponuntur. Sunt vero illae his interdum multo perniciosiores; multaque symptomata, quae maxime periculosa, in *discretis* solis eueniunt. Siquidem non tam a purulentae materiae copia, et multitudine variolarum, quam ab aliis circumstantiis, exitium imminet. Perraro fit, vt aliquot diebus ante febrem, vel ipso primo inuasionis die, pustula vna vel plures maiores in facie, collo, aut brachio erumpant, et confestim pus concipiant; *Master-pox* anglis appellantur. Atque hae faustissimum morbi euentum promittunt Interdumque etiam bubones sub axillis ante morbum subnascuntur, eiusdemque benignitatis signum exhibent.

Aliquando etiam, vtut raro, docti quidam viri euenire contendunt, vt materia morbi non macularum atque pustularum specie extermінetur, sed sub febre successiue per sudores exhalet ac diffletur; unde vero morbosa grauia pathemata posthaec in corporibus plerumque procreentur. Num vero res ita vnquam acciderit, vti spectatores egregii sibi eam conceperunt, mihi non valde credibile videtur, propterea quod de eiusmodi aegris nondum compertum fuit, an hosthaec in alia epidemia immunes a variolis manserint; neque subtilitas miasmatis in hisce casibus cum infaustis euentibus subsecutis bene congruit.

§. 118.

Hactenus de variolis benignis. Nunc vero sciendum est, eas haud infrequenter, et subinde adeo epidemico more, ab hac recta via, in superioribus descripta, aberrare, tumque *malignas* cognominari. Quas mihi videor protinus ex eruptionis modo cognoscere, cum non maculas, sed papulas repraesentent.

Eiusmodi vero sunt latae, depressae, verrucosae (ad discretum genus pertinentes), vibicatae, liuidae, halone

ne nigro cinctae, sanguinolentae cruorem rubrum vel nigrum tenuem fundentes, nec non variis exanthematibus, aut maioribus pustulis nigris intermistae, et diarrhoea, mictuque, aliisue profluuiis cruentis stipatae.

Non raro accidit, vt erumpentes confestim pustulae tertio vel quarto post die, cum iam maturescere deberent, liuidae et subcruentae euadant, maculis nigris per totam corporis superficiem sparsis; quae variolae, ex confluentium genere, intra vnum vel alterum diem hominem iugulant. Saepissimeque hoc tempore sanguis tenuis ex diuersis partibus, maximeque vrinae itinere, egreditur.

Atque hae omnes variolae cum febre maligna se ostendunt; plerumque aut citius aut tardius, quam benignae, erumpunt; ex parte quoque iterum disparent; ad maturitatem aegre perueniunt, et prorsus non suppurant; aut si aliquatenus id eueniat, in crustulas vertuntur non sine magna molestia, calore febrili nunquam se remittente.

Post primum stadium alui deiectiones putridae, vomitiones, et motus conuulsiui interdum accedunt, saepeque recurrunt. Facies omnibus insigniter intumescit, vox admodum rauca fit, et respiratio laboriosa ac suffocatoria. Febris praeter haec noua vbique accenditur in suppuratorio stadio, multo quam primaria periculosior, suppuratoriam vocant; sub qua aegri plerumque e vita abripiuntur die decimo, vndecimo, et decimo quarto, interdumque vigesimo primo demum, modo conuulsionibus tentati, modo apoplexia, aut suffocatione oppressi. Pessimae vel in ipso morbi apparatu necant.

Copiosior saliuae fluxus in ipsam hanc febrem suppuratoriam plerumque incidit, aliquot dies perdurans, modo

modo bonus, modo malus. Quem tamen etiam ſubinde in benignis et diſtinctis variolis obſeruare licet.

Plurimi aegri, quos alui fluxus nono aut decimo morbi die, vel interdum citius exercet, incolumes euadunt, etiamſi variolae maxime peſtiferae videantur. At peſſima diarrhoea eſt, ſi foeces griſeae, ſummeque foetidae excludantur, et flatus perpetuo erumpant.

Confluentes medium quendam quaſi locum inter benignas et malignas obtinent, et ſaliuae fluxu nunquam non, perſaepe etiam diarrhoea iudicantur, quae plerumque in ſupra dictos dies incidit, interdum vero cum incolumitate aegrum a primo die vsque ad nonum vel vndecimum prehendit. Eaedem vel pure bono ſcatent, vel crudiore latice acri, tenui, pallido, et quodammodo pellucente ex parte repletae ſunt; vnde cryſtallinae cognominantur. Suntque illis aliquando etiam maiores bullae interſperſae, ex quibus ruptis humor effluens vicina loca erodit. Pars magna ichoris in ſanguinem, vt videtur, reſorbta, puſtulas flaccidas et vacuas aliquantum relinquit; vnde ſiliquoſarum nomen obtinent. Verum hoc qualecunque genus cryſtallinarum puſtularum non modo in confluentibus, ſed etiam in diſcretis interdum occurrit.

§. 119.

Equidem ex naturae lege variolae in cutem erumpere conſuerunt, quod nemo ignorat; non ideo tamen negandum eſt, quod multi docti viri faciunt, illis etiam interdum et rariſſime viſcera et inteſtina laborantium, vel laryngem, aut oeſophagum conſpurcari. Quod quidem, niſi per extiſpicia compertum fuiſſet *), ego etiam negarem; certeque ad id credendum ſquamulae per aluum copioſe excretae, vel vomitu etiam reiectae, me non adducerent **).

*) V-

*) Vnum tantum teſtem huius inſoliti phaenomeni, ſed fidei probatiſſimae, hic allego, *Iuſtum Godofr. Günzium* in *Commentar. ſuper Hippocratis L. de humoribus purgandis*, p. 158. n. 21. Vid. quoque *Theod. Kerkringii Spicileg. anat. obſ.* 62.

**) Quo argumento vſum videas, poſt alios, *Sim. Paul. Hilſcherum* in Progr. *de variolis in internis partibus.*

§. 120.

Qui malignas variolas ſuperarunt, iis ſaepe bubones, parotides, furunculi, aliaue vlcera difficulter ſanabilia, oſſibusque cariem facile inducentia naſcuntur; aut febris lenta ſuccreſcit; aut alius exanthematicus morbus acutus ſuccedit. Alii coeci, aut ſurdi, aut muti fiunt, aut neruorum reſolutione in extremitatibus corripiuntur. Alii in longos pulmonum morbos incidunt. Sunt etiam, qui grauiore eryſipelate pedum liuido adficiuntur, et protinus nunc pereunt. Sunt denique, qui inſultu apoplectico ſubito exſtinguuntur.

Verum etiam variolae benignae ſuas metaſtaſes, licet leuiores, interdum habent, ophthalmias, febres nocturnas, tuſſes. Vlcera et puſtulae corneae, ſtaphylomata, et leucomata vtrobique, multo frequentius vero in confluentium genere, oriuntur. Quod et maxime cutim effodit et foedas cicatriculas ac foueas relinquit, et coalitum narium, palpebrarum, et gulae *) producit.

*) vid. *Act. Hafn. T. I. obſ.* 109.

§. 121.

Quamquam per contagium transferri variolas certiſſimum eſt; incertum tamen eſt, et prorſus obſcurum, vtrum natura ex ſe ipſa morbum proferat, an aduentitius ille tantum ſit, et a primo ſuo ortu ſaltem in Europa talis fuerit, quemadmodum plerorumque fert opinio. Po-

ſtremum quidem ex natura eius contagioſa apparet, obſeruationibusque fide dignis confirmatur; nec prius tamen probabilitate omni caret, imo, me iudice, multo probabilius eſt, propterea maxime, quod exacta tempora in acceſſu ſuo ac reditu, non minus ac in duratione obſeruat morbus, nec ex contagio ſe in alios ſiue ſingulos, ſiue per ſocietates maiores vel minores copulatos, ſemper profert. Quapropter etiam nec in aëre, nec in tempeſtatibus, nec in regionibus cauſa morbi vniuerſalis recte quaeritur; multoque minus ex aliis hypotheſibus recentiorum medicorum *Liſteri*, *Paullini*, *Sidobrii*, *Mareſcotti*, *Woodwardi*, *Violanti*, *Hahnii* ſufficienter explicari poteſt; vt Hahnianam tamen omnium veriſimillimam eſſe cenſeam.

§. 122.

Ceterum circa variolas ſequentia adhuc momenta notari et conſiderari merentur.

1) Omnes pene populos ac homines iisdem infeſtari; nec embryonibus quidem exceptis, ſiue mater durante grauiditate illis laborauerit, ſiue non laborauerit.

2) Epidemico more eas plerumque graſſari; ſed aliam tamen epidemiam altera eſſe pernicioſiorem.

3) Dum languet morbus, paullatim illum cedere alii, maxime exanthematico, miliari, morbilloſo, ſcarlatino, et variolis ſpuriis.

4) Qui ſemel eum expertus eſt, rariſſime altera vice, multoque rarius pluribus iſto prehendi. Vbi tamen cautio adhibenda, ne ſi iſta obſeruatio occurrat, variolae ſpuriae pro veris habeantur.

Ceterum id non vulgare eſt, quod ex inſignis practici ore *Pechlinus* habuit, viſas ſibi ſemel dextra parte vario-

variolas, ſiniſtra morbillos, diuiſo ad perpendiculum corpore *).

*) *obſeruat. phyſ. med. L. I.* 15. p. 239.

§. 123.

Progredior ad *curationem* variolarum; quae quidem non alia eſt, quam quae in febres continuas, benignas et malignas, ſupra dicta. Enimuero permultae graues inſuper noxae interdum variolis ſe addunt, quarum auxilia hic commemoranda ſunt.

1) Vbi variolae haud iuſto tempore erumpant, vnica venaeſectio, vel vnica doſis laudani liquidi Sydenhami, aut electuarii diaſcordii Fracaſtorii eas exigit. Mutat etiam egregie difficilem eruptionem ſemicupium calidum ex aqua et lacte ſedulo applicatum.

2) Vbi variolae concidunt et quaſi diſparent, prae ceteris confert liquor cornu cerui ſuccinatus, per ſingulas duas horas ad quindecim et plures guttas datus; deinde quoque ſemicupium (n. 1.), et epiſpaſtica ad pedes aut ſuras conferunt.

3) Vbicunque febris maligna ſe oſtendat, iteratis purgantibus mannatis aut tamarindinatis, et ſubinde etiam emeticis, vtendum eſt.

4) Eidemque purganti tamarindinato, etiam repetito, cedit febris ſuppuratoria grauior; quae, ſi inflammatoria ſit, quod ex augmento aeſtus et vrina flammea cognoſcas, ſimul et ſanguinis miſſionem, et acida deſiderat; ſin autem putrida, quam debilis pulſus, inſignis foetor, vehemensque virium lapſus prodit, cortex Peruuianus ſedulo vſurpandus eſt. Sed recte quoque vtrobique in hac febre cum dicto cortice acida combinabis, adeoque decocto ex huius corticis drachmis dua-

bus vel tribus ac aquae fontanae vnciis ſex parato, ſucci citri vnciam vnam ſemis et ſyrupi berberum dimidiam admiſcebis, ſingulisque horis cochlear vnum vel duo propinabis.

5) Vbi nigrae puſtulae appareant, aut ſimiles maculae puſtulis intermiſtae ſint, cortex Peruuianus cum alumine crudo mixtus palmam omnibus aliis remediis praefert. Quapropter decocto ſaturato ex corticis Peruuiani vncia dimidia et aquae fontanae vnciis duodecim parato, adiiciendi aluminis ſcrupuli duo vsque quatuor, et ſyrupi acetoſitatis citri vncia. Cuius mixturae alternis horis duo cochlearia praebeantur. Loco pulueris corticis, poteſt etiam extractum eius eodem pondere praeſcribi.

6) Ad reſpirationem ſuffocatoriam nil praeſtantius eſt venaeſectione et decocto purgante ex mannae vncia vna, pulpae tamarindorum vnciis duabus, cremoris tartari drachmis duabus confecto, quod ſucceſſiue calide propinatur. *Si* rebellius malum, maximeque fatale fuerit, emeticum exhibitum celerrimam opem praeſtat. Nec contemnendus eſt liquor cornu cerui ſuccinatus, ad drachmam et vltra in larga aquae appropriatae copia cum ſyrupo pectorali datus.

7) Saliuae fluxus ad inſtar criſeos quoddam eſt, adeoque ſupprimi non debet, niſi praeter modum copioſus ſit et ſuffocationis metum faciat: quo in caſu purgantia optime illum moderantur. Praemature vero imminutum, ſub quo facies et manus ſubito detumeſcunt, laudanum liquidum reuocat ad duodecim et plures guttas mane et veſperi datum, aut ſyrupus de meconio ad vnciam vnam.

8) Conuulſiuos motus in decurſu morbi accedentes optime lenit puluiſculus ex cinnabaris factitiae granis

nis octo, sulphuris antimonii aurati tertiae praecipitationis grano vno vel duobus, et totidem moschi granis compositus.

9) Palpebras et oculum a pustulis defendit balsamum embryonum ipsis subinde illitum, simulatque morbus se ostendit; itemque collyrium ex aquae plantaginis, in qua sacchari saturni pauxillum solutum est. Ipsam pustulam in oculo delendam Chirurgia docet.

10) Palpebrarum coalitus assidue impediendus est lacte calido, quo frequenter per diem et noctem eluantur. Ex earum enim concretione pessima mala oculis imminent, et multo periculosiora, quam quae apertis palpebris oculo ex lucis affectione accidunt.

11) Ardorem in faucibus leniunt gargarismi ex decocto hordei, roob mororum, et pauxillo lapidis prunellae. Infantibus vero, et pueris magis accommodatus linctus est ex melle rosarum, syrupo ribium, et spiritu nitri dulci paratus.

12) Pustulae maturae aciculis vel forficula vtiliter aperiuntur, ad euitandas cicatriculas et cutis erosiones. Quo facto lactis cremor illis illinitur.

13) Aridae membranae confluentium optime fotu lactis emolliuntur, aut saltem papyro ex liquata cera extracta conteguntur.

14) Ad residuum ruborem macularum opportune delendum efficax liquor est ex aquae rosarum vnciis octo, spiritus matricalis vel lauendulae vncia dimidia, camphorae granis quatuor mixtus et penicillo aliquoties de die illitus.

15) Plebeiae variolarum curationes vel deridendae vel damnandae sunt, nullamque fidem merentur.

§. 124.

§. 124.

Faciem a variolis defendere diuerſis remediis diuerſi tentarunt. Ex quibus optimum eſt balneum aquae vel et lactis calidum, in quod a primo inuaſionis tempore vsque ad ſuppurationis initium pedes per horae dimidium bis die coniiciuntur. Cui ſuppar cataplaſma ex pane albo et lacte brachiis ſuperimpoſitum; aut aliud, quamuis actione diſſimile, ex ſemine ſinapis, ſuris impoſitum. Nec tempeſtiua artuum ſcarificatio contemnenda eſt.

Contra vero ſonticuli, veſicatoria nuchae applicata, fomentationes faciei ex aqua calida vel frigida, aut iure carnis veruecinae, itemque inunctio eiusdem cum lardo, vel oleo lini aut ſimili, nec non ſpirituum prophylacticorum applicatio, aut raſura capillorum, et hirudinum applicatio nullam laudem merentur.

§. 125.

Conualeſcentes neceſſe eſt, vt aliquamdiu et liberum aerem vitent, et conſtantem perſpirationis ſucceſſum ſeruent; quam eſſentia alexipharmaca Stahlii egregie ſecundat. Poſt malignas vero ſimul aluus ſemel vel bis purgari debet.

§. 126.

Praeſeruare homines a variolis graſſantibus, magis in votis eſt, quam in artis poteſtate. Nulli ſane remedio, qualecunque illud ſit, fidendum eſt, ſiue ſit merculiale, ſiue purgans, ſiue diaphoreticum, ſiue ex his diuerſimode compoſitum. Neque mercurius viuus aut moſchus in amuleto ſperatum effectum, niſi in quibusdam ſaltem, qui tamen forte ſponte quoque luem in praeſenti effugiſſent, vbique, quod certe ſcio, edunt.

Imo

Imo fuerunt, quibus letales pustulae ad huius vel illius prophylactici vsum eruperunt.

Nec insitio variolarum quemuis tutum a malignis et letalibus variolis praestat; quamuis plerique omnino euadant, et ex centenis, imo ducenis, vel tricenis vix vnus moriatur; cum contra naturalis morbus septimum, octauum aut nonum quemque tollat, et, si valde malignus sit, tres partes aegrotantium, interdumque adeo omnes rapiat. Optandum interim est, vt ne vnquam extra epidemiam insitio adornetur, quoniam metus oritur, ne per hanc morbus denuo in rem publicam transferatur; id quod iamdum factum esse aliquoties, docti quidam viri, insitionis licet magis fautores, quam osores, publice declararunt. Quamuis in nostra ciuitate nuper, extra epidemiam, insitae cuidam iuueni variolae venenum suum, admodum quidem pestiferum, in neminem, neque in proximas aedes, transfuderunt.

§. 127.

His rebus positis, cogitarunt iam quidam praeclari viri de variolosi morbi exstirpatione, quam vel ea ratione, qua pestem Europaei profligant et a moenibus suis auertunt *), vel subita exanthematis variolosi iam per febrem expellendi mutatione in mitius morbillosum per Peruuianum corticem, obtineri posse putant **).

*) vid. Ill. *Rosenii* L. *v. Kinderkrankh.* Sect. XII. p. 130. edit. 1. Murrayan. et Cel. *Car. Chri. Krause* diss. *de variolarum exstirpatione insitioni substituenda.* Lips. 1762.

**) vid. Cel. *Fr. Casim. Medici Sendschreiben von Ausrottung der Blattern.* Frf. et Lips. 1763. 8. et *Medic. Beobacht.* P. II.

§. 128.

Supereſt, vt de *variolis ſpuriis*, quas alibi ſimplici *Varicellae* nomine inſigniui, praecipiam. Quarum tria genera conſtituenda ſunt.

Primum genus *lymphaticarum*, ſ. *aquoſarum*, *chickenpox*, *petite verole volante*, *Waſſer-und Windpocken*, *güldne Pocken*, puſtulas exhibet diſcretas, veris ſimillimas, nunc maiores, nunc minores, ſed quae in vertice foueam, vt hae, non habent, et iam primo febris die formantur, tertioque reſiccantur, et ab hoc vsque ad ſeptimum decidunt. Humorem continent tenuem, albicantem, ac mucoſum.

Alterum genus *acuminatarum*, ſiue *verrucoſarum*, *Steinpocken*, *Spitzpocken*, *Hundspocken*, papularum rubrarum formam refert, in quibus nullus humor, quaeque indureſcunt, et verrucis ſimillimae ſupra cutem prominet, et ſeptem diebus euaneſcunt.

Tertium genus *durarum oualium*, *Schweinspocken*, poſt aliquot plerumque dierum febrem tubercula format obſcurius rubentia, dura, ad oualem figuram accedentia, halone rubro cincta, verisque variolis paullo maiora. Quae poſt duos vel tres dies nonnihil vlcerantur, et paulatim cum nigrore exareſcunt, denique palleſcunt et ſubſident; aliis interdum nouis interea excluſis, vt, octiduo plerumque finitus morbus, nunc ad aliquot hebdomades producatur vel ſine febre, vel cum febricula lenta.

Singulae hae variolae nothae haud raro populariter graſſantur, verisque aliquando, vt et morbillis ſuccedunt, vel ſingulas praecedunt, largiore aliquando plurium annorum interuallo, adeoque a vero morbo neminem ſecurum praeſtant. Pro veris autem tum inprimis imponunt,

nunt, quando cicatriculas relinquunt. Febris, quae initio apparet, ſemper diaria eſt et mitis; ſymptomata hinc quoque tolerabiliora omnia, totusque morbus omnis periculi expers eſt. Tuſſis vero interdum aegros vehemens excruciat, et morbo primario diutius continuat, vt remediis contra hanc opus ſit, quae ipſe morbus in ſe alias haud poſtulat. Rarius contingit, vt inter genuinas nothae ſimul erumpant, quae deinceps ante illarum exſiccationem euaneſcunt.

FEBRIS MORBILLOSA.

§. 129.

Toti fere generi humano morbilli, acrioris lymphae progenies, aeque ſollemnes ſunt, ac variolae. Infantibus inprimis deſtinati ſunt, perinde ac hae: contagio quoque in alios, ac plerumque populariter ſaeuiunt: ſemel ſalutatos vix iterum occupant *).

Variolas interdum protinus, vt hae quoque morbillos viciſſim ſubſequuntur. Imo vterque morbus interdum mixtus obſeruatur.

*) Cl. *Targioni Tozzetti* in pluribus recurſum obſeruauit, durante epidemia; vid *Iourn. de Medec.* par *Vandermonde. T. V.* p. 73.

§. 130.

Pro diuerſa natura febris, et humorum diſpoſitione, et contagii epidemici genio, morbillos in *benignos* et *malignos* diſtinguimus.

Vtrumque genus praemittit aliquamdiu, praecurſoris inſtar, lippitudinem humidam, coryzam, tuſſim, raucitatem, et quandoque etiam haemorrhagiam narium.

Atque

Atque ſub iſtis catarrhis febris demum moderata in *benignis* accedit, et tertio circiter die eius ex toto corpore maculae rubellae latiores, et plerumque confluentes, ac nonnihil aſperae, et in facie ſupra cutem eleuatae eflloreſcunt. Vbi paullo grauior morbus, nauſea vel vomitus ſemper fere occurrit. Inde a quinto die vsque ad ſeptimum exanthemata rurſus impalleſcunt, et ſubſident, ac in tenuiſſimas ſquamulas ſoluuntur, ſubſequente ſudore largo vniuerſali. In nonnullis vero praeter ordinariam criſin per ſudorem et vrinam, etiam alui profluuium et haemorrhagia narium, multaque ſputa contingunt.

Iſtique benigni morbilli frequentiſſime absque graui afflictione ſuos dimittunt, ſic, vt permulti ne lecto quidem affigantur, ſaltem absque omni artis praeſidio conualeſcant.

§. 131.

Diarrhoea non raro primis iam diebus occurrit, exanthematis tamen eruptioni ſub decenti regimine haud aduerſa *). Eadem ſubſequentibus diebus, aut poſt ſuperatam febrem ſubinde recurrit.

In aliis aegris aluus per totum morbum clauſa eſt, omine haud infauſto. Narium haemorrhagia ſolemnior hic eſt, quam in variolis, non ſolum in primo morbi ſtadio, ſed etiam in vigore. Nonnunquam vero tam larga eſt, vt mortem accerſat **).

Tuſſis fere per totum morbum durat, imo etiam vltra ſe extendit. Vbi ſicca atque vehemens ea fuerit, ſuffocationem, peripneumoniam, aut phthiſin minatur. Hanc autem tuſſim ſuperueniens diarrhoea optime moderatur et tollit.

*) vid. *Iourn. de Medec. T. V.* p. 74. 75.

**) *Hoff-*

**) *Hoffmanni Med. rat. ſyſt. c. de febre morbill. obſ.* IV.

§. 132.

Malignitatem diuerſa ſymptomata produnt: intempeſtiua vel nimis tarda exanthematum eruptio, aut praematura fuga; quod tamen vtrumque inter cetera malignitatis ſigna leuiſſimum, et per ſe ſolum non ominoſum obſeruatur niſi ſubſequente delirio; porro febris poſt eruptionem perdurans; inſignis corporis debilitas; tumor cutis leucophlegmaticus; color macularum fuscus aut pallidus; interſperſa alia exanthemata; vel morbillos circa octauum vel nonum diem, quo iam abierunt, demum ſubſequentia; atque angina gangraenoſa, quae peſſimum ſymptoma, atque iam quarto die mortem inducit. Quam vim autem alia leuior et ſimplex, quae ſaepe, interdumque populariter accedit, haud exercet.

Quo propiores autem a malignitate abſunt morbilli, eo proniores ſunt in tabem, non minus ac in alia vitia. Succeſſiſſe enim tum ophthalmias, vlcera corneae, diarrhoeas chronicas exitiales, guttam ſerenam, vlcera in variis partibus, pleuritides, gangraenam, obſeruationes docent.

§. 133.

Curatio a generali methodo febrium acutarum non differt.

Sanguinis miſſio vtiliter celebratur, ſi febris vehemens, vel fauces inflammatae ſint.

Si febris languet, et eruptio protrahitur; ſi ſtricturis cardialgicis et aliis motibus conuulſiuis morbilli ſtipati ſunt; ſi in primo vel altero ſtadio diarrhoea excedit, aut finito morbo pertinaciter continuat, vtiliter da-

tur laudanum liquidum Sydenhami, vel aliud ex opio medicamentum, aut ipsum opium *).

Quando vero morbilli regressi, protinus in balneum calidum aeger demittendus est; quod cutem emollit, et exanthemata reuocat. Alui fluxu natura morbillos retrocedentes soluit **).

Ad vomitum sedandum prodest extractum gascarillae ex aqua stomachali datum.

Verendam suffocationem vapor lenit ex decocto rosmarini et hederae terrestris, in os attractus; aut, si id non licet, liquor cornu cerui succinatus legitima dosi et frequenter propinatus. Vtiliter etiam tum aluus decocto mannato ducitur, et sanguis e vena mittitur.

In malignis maxime omnium cortex Peruuianus laudandus est.

Ad pertinacem tussim vero relictam non aliud medicamentum efficacius est, quam sulphur antimonii auratum; quod bis vel ter, interiecto aliquot dierum interuallo, infantibus a grano vno ad tria, cum duplo sacchari vel magnesiae albae exhibetur; et decoctum radicis chinae aut furfurum triticeorum, melle edulcatum. Sin tussis spastica, laudanum liquidum in auxilium simul vocari debet.

*) vid. Ill. *Tralles L. de Opio.* Sect. II. p. 144.

**) *Hoffmann l. c. obs. II.*

§. 134.

Finito morbo, necessarium est, vt aer aliquamdiu adhuc euitetur; quippe a cuius praematura admissione exitium imminet; praetereaque aluus aliquoties per interualla decocto mannato soluatur.

§. 135.

§. 135.

Inſitio morbillorum poſſet omnino in peſtiferis epidemiis ſuum vſum habere. *Franciſcus Home* eam primo tentauit *), et ſanguinem per vulnuſculum cutis, quam confluentes maculae obſidebant, goſſypio excepit, idque vtrique brachio, ſine praeuia praeparatione, inſinuauit. Sed pos ſunt etiam huic ſcopo ſaliua aegrotantium, aut ipſorum lacryma, tempore criſeos bombace excepta, aut ſquamulae cutis defluentes inſeruire **).

*) vid. *Princip. Medicin.* p. m. 186. §. 12.

**) vid. *Alex. Monroo* iun. *L. de venis lymphaticis*, p. 58. et *Neues bremiſches Magazin*, *vol. II. St.* 11.

FEBRIS MILIARIS.

§. 136.

Purpura, papula miliaris, *Hippocrati* ſimpliciter exanthema dictum *), vel primarius morbus eſt, vel ſecundarius, h. e. cum alio morbo complicatus.

Ac prior quidem ſic decurrere conſueuit. Homo primo inhorreſcit, dein in aeſtum coniicitur, cui algor inordinate ſe immiſcet. Virium deiectio magna eſt. Dolores capitis, peruigilia, deliria, anxietates et ſtricturae praecordiorum, ſuſpiria inducentes, praeſto ſunt. Sitis fere inexplebilis eſt. Perſaepe etiam rheumaticus aliquis dolor in membro aliquo, in latere aut in lumbis hominem afficit; idemque aliquando ipſam febrem duobus tribusue diebus antecedit, feebreque poſthaec erumpente vel decedit vel permanet. In dorſo, cruribus, ac inteſtinis ſingularis ſenſus punctorius vexat, inque digitis pungitiuus aliquis ſtupor. Conuulſiui motus haud raro quoque ſe immiſcent. Interque haec pathemata ac inter ſudores, qui ſtatim initio fiunt, nunc demum ter-

tio vel quarto die in dorſo, pectore, collo, ac digitorum interſtitiis, interdumque etiam in brachiis et cruribus tantum, vel in toto corpore prodeunt papulae, milii ſeminis magnitudine, rubrae, circulum rubrum in fundo habentes, vel albae eiusdem cum cute coloris, aut mixtae; quae veſiculae ſunt, primo ſero limpido, deinde ſubalbicante, margaritarum colore non diſſimili, plenae, valdeque prurientes et ardentes. Quibus ad cutim propulſis, ea porro ſudore non mediocri et proprium foetorem ſpargente perfunditur; ſymptomata ipſa vero vel leuantur, vel non leuantur, ſed perſiſtunt, imo adeo creſcunt cum ſumma aegri pernitie. Puſtulae ſenſim incertis diebus explicantur, tandemque die 7. 9. 10. 11. 18. 20. aut 21. rumpuntur, exſiccantur, et ſquamularum inſtar decidunt, aegris ſic ad ſanitatem redeuntibus **).

*) Luculenter *Cous* hanc febrem exanthematicam deſcribit *Epidem. L. II.* p. m. 986. et ante epocham Lipſienſem *a Welſchio* deſcriptam, *Diemerbroeckius*, *Crato*, *Riuerius*. vid. *Io. Cph. Lud. Scip* diſs. *de purpura, antiquo morbo.* Gotting. 1741.

**) Hiſtoriam huius febris enixo ſtudio propoſuerunt *Dau. Hamilton* Tr. *de praxeos regulis et febre miliari*, Lond. 1710. 8. *Car. Allionius* Tr. *de miliarium origine, progreſſu, natura et curatione.* Aug. Taurin 1758. 8. et *Cph. Molinarius de miliarium indole et tractatione disquiſ.* Vienn. 1764. 8.

§. 137.

Pectoris cum ſuſpiriis oppreſſio, vigiliae, et deliria, quotiescunque aegri ſe ad ſomnum componant, et pulſus frequens, miliaria exanthemata certiſſime praeſignificant.

Mentitur initio ſaepe purpura anginam, pleuritidem, tuſſim, coryzam, rheumatiſmos, conuulſiones, eryſipelas.

las. Interdumque ſub larua febris intermittentis, inde tantum non ſemper exitialis, ſe abſcondit.

Lingua in nonnullis obſeſſa eſt aphthis; in quas reliquiae febris aliquando deriuantur.

Aluus in aliis adſtricta, in aliis ſoluta eſt cum inteſtinorum doloribus.

Vrina modo naturalem colorem habet; modo inſtar aquae pallet, vel ſubuireſcit.

Vtraque et rubra et alba interdum confluunt *). Tumque ſparſim etiam aliquando veſicas piſi, imo nucis iuglandis magnitudine, et in ambitu rubras efformant **).

Purpura mixta febrem ſemper ardentiorem oſtendit.

Nonnulli per vices efferueſcente febre noua exanthemata, prioribus exareſcentibus, ſemel vel bis excludunt. Tumque morbus fere non letalis per quatuor vel plures hebdomades trahitur.

Qui ſemel hac febre laborarunt, facile in eam rurſus incidunt.

In declinatione ſaepe manus ſudore frigido madent.

Exanthemata alba, miliaria ſtricte dicta abs nonnullis, peiorem indolem, quam rubra, ſemper prae ſe ferunt; ex communi fere omnium Medicorum conſenſu.

*) vid. *Andr. Ottom. Goelicke* diſs. *de purpura alba confluente.* Frf. ad Viadr. 1740. Rubram confluentem notauit Ill. *Stoerkius ann. med.* I. p. 66.

**) vid. *Primit. Med. Polon. vol. II.* p. 49.

§. 138.

In puerperis, quas inprimis purpura infestat inde a tertio, quarto, aut quinto die, vel serius, lochia plerumque tunc retinentur, et e mammis lac resorbetur, simulque saepe vterus inflammatione correptus est.

Saepeque iam ante partum in his morbus incipit, cum calore praeternaturali, ardore internorum, vel partis alicuius dolore, et cum maxima pectoris oppressione ac suspiriis: quae cuncta post partum continuant, pustulis tertio die erumpentibus.

Sub salubri morbi decursu sanguinis ex vtero fluxus reuertitur, vel diarrhoea in eius vicem oritur, aut foetidus humor ex vulua profluit

§. 139.

Symptomatica purpura malignis febribus se addit, exanthematicis, inflammatoriis, intermittentibus, arthritidi; adeoque tum ipsa quoque malignitatem prae se fert.

§. 140.

Vtraque, primaria et symptomatica, rubra et alba, lymphae vitio peculiari spontaneo, sed vix determinando, ortum suum debet; quamquam interdum quoque et immoderato conclauis aestu, et stragulis multis, et cardiacis copiose datis in acuta febre extorqueri possit, cui alias non accessisset *).

Per populum subinde grassari solet febris **), et nonnullis locis ac regionibus magis familiaris est ***), maximeque Martio et Aprili mense se monstrat.

Nullumque fere exanthema tam facile, quam miliare, regreditur.

Sed

Sed idem valde ancipitem euentum vbique habet, siue rubrum siue album sit, saepeque vim necis in oppressos excercet; quae maxime verenda, si profundi sopores, peripneumonia, deliria, vrina ab initio turbida, aut pallida, conuulsiones, aphonia, linguae tremor, suspiria crebra, paralyses artuum, sudores largi praecoces, dolor faucium anginodeus, apoplexia, gangraena in parte externa, oboriuntur. Leucophlegmaticus tumor plerumque etiam infausto omine obseruatur.

Alia consequentia mala sunt tumores vel abscessus mammarum, fluxus nimius vrinae et lochiorum, memoriae defectus, hypochondriaca et hysterica pathemata, tussis vehemens, lenta corporis consumtio cum anorexia coniuncta.

Contra salubris exitus sperandus est, si respiratio haud oppressa, et moderatus sudor cum pustulis erumpit; sique alui fluxus *), aut diuresis, aut sputa oriuntur, perquae nonnunquam totus morbus soluitur. Etiam aegri, quo magis somnolenti, eo felicius euadunt. Nec haemorrhagia narium insalubris deprehenditur.

Vrina pallida facta ex citrina meticulosam metastasin significat. Albescens vero, et sero lactis similis diuturnitatem morbi plerumque portendit.

*) Ab hoc calido qualicunque regimine purpuram semper excludi, nec vnquam sponte ingruere, nostris temporibus demonstrare gestiit doctissimus *Haenius Rat. medend.* P. VIII. c. 3 P. IX. c. 3. P. X. c. 5. cui vero alii docti viri contradixerunt *Collinus* in *lettre à Mr. de Haen au sujet des maladies avec eruption* 1763. Diss. *de miliaribus*, 1763. *Epist. ad Baldingerum* 1764. *Cranzius lettre à Mr. Tissot.* 1763. *Molinarius libr. cit.* et *Alethophili Viennenses* in *elucidat. epistol. de Cicuta.* 1766.

*) vid. *Iuon. Io. Stablii* diss. *de purpura epidemica*, Erf. 1732. *Io. Godofr. Salzmanni* diss. *historia purpurae milia-*

miliaris, *Argentoratum et viciniam infestantis*. Argent. 1766. *Actor. Heluet. T. II.* p. 76.

***) vid. *Allion. l. c. cap. I.*

*) Cui tamen non semper fidendum esse, Cl. *Binningenus* obseruauit, *Act. Helu. T. cit.*

§. 141.

Purpurae primariae curatio multam molestiam creat medentibus; horumque tentamina ostendunt, non omnibus aegris eadem remedia prodesse; vt adeo nec inter se circa istorum effectus consentiant. Quod inprimis de acidis et vesicatoriis valet, quae ab aliis damnari, ab aliis vero praedicari videas.

Maxime vero omnium prodesse mihi videntur purgantia antiphlogistica, aut saltem clysteres emollientes, diaphoretica fixa, diuretica temperata, nitrum, sanguinis missiones, et apozemata diluentia atque demulcentia. Nec ego quidem vesicatoria respuo.

In purpura puerperarum aluus quouis vesperi per aliquot dies pilulis balsamicis Beccheri vel Stahlii, ad duodecim vel quindecim grana datis, ducenda est; quo vel lochiorum fluxus restituatur, vel vicaria diarrhoea exsuscitetur. Saltem enemata repetitis vicibus iniicienda sunt. Nec restitante lochiali sanguine venaesectio omittenda.

Purpuram regressam reuocant fricationes thoracis cum panno laneo, vapore succini imbuto, et lotiones eius cum aqua calida.

Sudores deficientes vnico opii grano, pulueri absorbenti admixto, restituuntur. Fricationes pectoris modo memoratae etiam ad id valent. Videndum quoque, annon sanguinis copia minuenda sit?

Contra

Contra conuulsiones in hac febre puluis Tunquinensis proficit. Qui ipse quoque vna cum cucurbitulis occipiti affixis deliria moderatur.

Tumorem leucophlegmaticum relictum cathartica et diuretica iterato data minuunt.

§. 142.

Ceterum ignorare non oportet, purpuram rubram etiam sine febre exsistere, eandemque chronicam esse, et *scorbuticam* vulgo cognominari. Obseruatur illa frequenter aestate in adultis succi plenis, ac in foeminis, quibus mensium fluxus cessauit, aut fluor albus incommodat. Eadem etiam subinde febribus intermittentibus pertinacioribus ac lentis accedit, easdemque soluit. In cortice Peruuiano aduersus eam magnum praesidium est.

Neque hoc ignorandum est, in puerperarum cute persaepe sudamina copiosissima efflorescere, quae imperitis facile pro purpura imponant; sed ex defectu symptomatum ipsi propriorum (§. 137.) haud difficulter ab hac discernantur.

FEBRIS PETECHIALIS.

§. 143.

Epidemica saepe, militibus in castris maxime infensa febris petechialis est, quam olim *purpuratam*, *puncticularem*, et *peticularem* vocarunt, itemque *Hungaricam*, *Pannonicam*, et *castrensem*: quae summe maligna vbique, vt quaeuis fere malignitatis symptomata, a me alibi enumerata, in eadem occurrant.

Eius vero ratio maxime talis est. Multi ante febris eruptionem aliquamdiu imbecillos se sentiunt; caput et dorsum

dorsum iis dolet; ventriculus cibos auersatur; somnus fere nullus est; mens leuiter hebescit; ex aluo in nonnullis putrida descendunt; alii vomunt. Quibus perpessis, febre demum acuta comprehenduntur, in dies exardescente, plerumque tritaeophya *a*). Sunt vero etiam, quos febris protinus corripit sine eiusmodi praecurrente molestia *b*).

Inque hac febre infirmitas increscit, aegri leuiter delirant, perpetuis vigiliis torquentur, vrinam rubram emittunt, mox turbidam, in qua multa vel feculenta aut mucosa desident; at saepe etiam viridem, aut subnigram. Quidam videntur ab ipso morbi principio propter dolorem in latere acutum pleuritide laborare, et sic medicos fallunt; aliis ille paulo post accedit. In aliis febris sub prima facie benignam mentitur, et propter tussim, quacum inuadit, sub larua catarrhalis imponit medentibus. Die primo, secundo, tertio, quarto, septimo, nono, aut vndecimo in extrema cute, circa collum, ad mammas, in brachiis *), femoribus, interdumque etiam in vniuerso corpore, nec facie quidem excepta **), maculae erumpunt, vel rotundae et paruae, tanquam acu factae et pulicum morsibus similes, vel inaequales et latiores, rubrae, vel liuidae aut nigrae, multae vel rarae, mobiles aut fixae: quae in aliis post triduum euanescunt, in aliis vero diutius et ad finem morbi, imo etiam superato illo ***), vel post mortem adeo persistunt *bb*). Febris autem nec quidquam, postquam eae eruperunt, remittit, sed crescit potius. Iamque facies oculique rubent, lingua tremula et aspera, interdumque nigra est, tussis sicca, hactenus moderata, fortius vrget, deliria vehementiora fiunt, mens formidolosa stupet, manus tremunt, labia oris resiccantur, indecens corporis nudatio, floccorum aut festucarum collectio animaduertitur, aeger anxie respirat; dumque haec aliquamdiu perdurarunt, sub faucibus inflammatis, conuul-

conuulſionibus, aut phrenitide, extrema corporis inalgeſcunt, ſudorque frigidus ab eodem defluit, aegrique intra viginti dies decedunt, rubro macularum colore in liuidum et nigrum conuerſo.

Si qui vero ad valetudinem redeant, hi ex aluo multa putrida dimittunt, et perſaepe circa nonum diem ſurdeſcunt ac ſoporoſi fiunt, et mentis vſum poſtea recuperant, et tenacia ſputa tuſſi extundunt, ſaepeque etiam per vnum, duos vel complures dies acidulo, foetidoque ſudore madent.

In quibusdam morbus in febrem intermittentem conuertitur; in aliis rheumatici dolores, aut parotides, bubones, furunculi, abſceſſus iuxta articulos, vel tumores oedematoſi in facie, manibus, aut pedibus oriuntur. Ipſa febris interdum ſemel vel bis repetit, etiamſi integre ab vrinis et ſudore iudicata ****).

a) vid. *de Haen rat. med. T. V.* p. 23. et *Strack* L. *de morbo cum petechiis.* p. 101.

b) Hanc quidam autores vocant *veram*, illam *ſpuriam febrem* ſiue *catarrhalem petechizantem*; vid. *Hoffm. Med. rat. ſyſt.* T. V. p. 226. ſeq. Sed eſſentialiter nulla ab altera profecto differt.

*) vid. Cel. *Car. Strack Obſeruationes medicinales de morbo cum petechiis*, p. 17. 27. qui affirmat, niſi in his partibus petechiae ſint, harum etiam nullas in ceteris deprehendi.

**) Ill. *de Haen* ibi vidit, *Rat. med. T. III.* p. 36. et Cel. *Strack* l. c. p. 18. 87. 97. 121.

***) *Strack l. c.* p. 96.

bb) *Strack l. c.* p. 174.

****) vid. *de Haen l. c.* T. V. p. 2. *Strack l. c.* p. 101. 103. 104. 106. 190. 194.

§. 144.

§. 144.

Obſeruatione dignum eſt, quod durante epidemia huius pernitioſae febris multi occurrant, qui eandem quidem febrem, at ſine petechiis, experiantur; viciſſimque et nonnullis petechiae ſine febre, alioue prauo ſymptomate erumpant *). Ex quo efficitur, febrem a petechiarum miaſmate omnino non excitari, ſed per ſe exſiſtere.

*) Vtrumque ſaepius viſum et adnotatum eſt a Cel. *Strackio l. c.* p. 119. ſeq. 125. 129.

§. 145.

Celerior vel tardior petechiarum excluſio vim morbi nec auget, nec minuit.

Neque peius illi habent, quorum cutis pluribus, quam quibus paucioribus obſeſſa eſt.

Quibus petechiae ſine febre ſunt (§. 144.), his nullum periculum inde imminet.

Latiores, inaequales, et quaſi confluentes maculae morbum multo grauiorem, quam paruae et rotundae, faciunt, ex quo fere nemo euadit; etiamſi his rariores, et pallidiores ſint; inprimis vbi narium haemorrhagia accedit *).

*) vid. *Strack l. c.* p. 28. 165.

§. 146.

Hactenus febrem petechialem, quae morbum per ſe facit delineaui. Sciendum vero eſt, petechias etiam aliquando tum ſporadice, tum populariter, ad alios morbos, pleuritides, dyſenterias, variolas, morbillos, purpuram, febres intermittentes *) tanquam ſymptoma acce-

accedere eorumque malignitatem, licet non ſemper funeſtam, prodere.

*) Febris purpurata, quae per Burgundiam a. 1652. et 1666. graſſata, ac a *Io. Marchantio* deſcripta eſt, adeo nec primaria febris, ſed quotidiana intermittens fuit cum petechiis.

§. 147.

Petechias tanquam criticas eruptiones intueri haud licet, quum non leuent morbum, ſed potius exaſperent.

Neque nimio feruori aut calidis medicamentis illae ortum ſuum debent, quum et in contrario ſtatu viſantur. Contra vero a putrida in primis viis haerente colluuie rectius excludi videntur. Quare hoc morbi genus magis etiam familiare eſt militibus in caſtris, et pauperibus male nutritis; inter quos, ſi qui naturae beneficio conualeſcunt, nemo proinde deprehenditur, qui ſine largo alui profluuio a morbo liberetur. Neque aliud certe remedium plus valet ad ſuperandum morbum, quam purgans iterate exhibitum.

Videtur equidem morbus petechiarum contagioſus eſſe, quum plures homines in eodem loco, inque vna domo aggreditur. At dubito tamen, an vere talis haberi poſſit, cum id ideam contagioſi morbi non perfecte efficiat.

§. 148.

Neque putridae diſſolutioni ſanguinis exanthemata proprie deberi videntur, quum in hoc morbo ſanguis nonnunquam, vt pleuriticorum, denſiſſima cruſta tectus eſt. Hinc veriſimilius eſt, a ſpiſſa putridaque lympha totum morbum prouenire; quam et natura et medicamenta per varia loca excretoria quam copioſiſſime educunt.

§. 149.

§. 149.

Quemadmodum natura alui profluuio ad sanationem febris petechialis potissimum vtitur; sic quoque nullum medicamentum hic maiore cum successu, quam purgans, exhibetur. Quod, quoad morbus durat, saepe iterumque decernendum *).

Inter hanc vero medicinam cortex Peruuianus vtilissimus est, cum succo citri, et pauxillo vini datus in decocto.

Ceterum communibus auxiliis, in febrium malignarum curationibus supra praescriptis, etiam hic assidue vtendum est.

Interdum tamen et vomitorium exhibere, et sanguinem mittere e vena expedit.

Calefacientia medicamenta et vesicantia hic non conferunt; quorum illa febrem accendunt et aegros in mortis periculum coniiciunt, haec vero saepe gangraenam excitant.

*) Quantopere haec prosint, iam dudum indicauit *Ioach. Burserus* L. *de febre epidemia seu petechiali*. Lips. 1621. 12. Sect. II. c. VII. p. 96. et *Io. Marchantius l. c.* et *Petr. a Castro* L. *de febre maligna puncticulari*, Patau. 1653. 12. p. 162. seq. Sed plurimis experimentis nunc denuo confirmauit Cel. *Strackius*, per totum libr. cit.

§. 150.

Si ad alios morbos petechiae accedunt, (§. 146) pariter hic purgantibus repetitis, aut saltem clysteribus opus est, inter remedia, quae primario morbo conueniunt.

Eademque purgantia in febre petechiali sine petechiis, et pleuritide, in epidemico harum statu interdum

dum occurrente, praesidio esse, nec negligi debere, sciendum est.

FEBRIS SCARLATINA.

§. 151.

Febris hoc nomine et multis aliis Purpurae, Rubeolarum, Morbillorum igneorum, Zonae, Ignis sacri, Rossaliorum, veniens, ad remittentes amphimerinas spectat, et sic decurrit.

Horrorem sequitur mediocris aestus, sub qualibet vespera, nocteque ingrauescens, saepeque nausea, vomitu, haemorrhagia narium, interdumque etiam comate et conuulsionibus ante eruptionem macularum stipatus. Quae ipsae die secundo vel tertio se ostendunt vel in tota superficie cutis, vel saltem in facie, dorso, pectore, cruribus et manibus; quae partes inde inaequaliter rubent, et plus quam in morbillis, et tam late, vt pars aliqua, velut manus vel facies, tota inde rubescat. Digiti manus simul nonnihil intumescunt, et flecti facile non possunt. Fauces vel initio saltem, vel per totum morbumdolent. Inter sextum et nonum diem iterum disparent maculae sub perfecta crisi per sudorem et vrinam, quae per totum morbum intense rubet. Cutis nunc demum in maioribus ac minoribus frustis desquamatur, ac simul ingens pruritus aegros vexat. Quibus fauces dolent, hi sputa per morbum emoliuntur non pauca, indeque etiam ex parte iudicantur *).

*) Post *Sennertum* optime *Sydenhamus* hanc febrem delineauit, et post hunc, nostra aetate, *Storchius* in peculiari libro, lingua vernacula conscripto, Goth. 1742. 8. et Cl. *Marc. Anton. Plenciz* in *Oper. med. phys. Tr. III.* Vindobon. 1762. 8.

§. 152.

Sed duplex genus febris ſcarlatinae conſtituendum eſt pro diſcrimine, quod in maculis occurrit. Alterum *ſimplex* dicendum, ſiue *maculatum*, maculas, prout §. 151. deſcriptae ſunt, extrudit *). Alterum *puſtulare* vocandum eſt, propterea quod iisdem maculis in priori quaſi nudis numeroſiſſimae puſtulae ſubflauae aut lacteae, magnitudine capitis aciculae, inſident **), vnde noſtri non ſolum plebeii homines, ſed etiam Medici *den Frieſel* vocant, et reuera pro miliari exanthemate habent; a quo tamen toto coelo differt.

*) Haec febris eſt, quam *Sydenhamus* deſcripſit, *Opp.* p. m. 328. ſeq.

**) Hanc ſpeciem deſcripſit *Foreſtus Obſeru. L. VI.* 41. *Storchius l. c.* et *Störck ann. med. II.* p. 48. 50. Et *Storchius* quidem has puſtulas nunquam deeſſe autumat; at neſciuit, maculas ſcarlatinas etiam ſine illis conſiſtere, prouti a *Sydenhamo* et multis aliis medicis, ac a me ipſo ſaepe viſae ſunt.

§. 153.

Morbus infantes ac pueros prae ceteris adoritur, ſaepeque populariter graſſari *) ac per tres menſes continuos plerumque ſaeuire conſueuit. Admodum vehemens vero non eſt, neque periculoſus, vt nec vlla remedia deſideret, praeter calorem temperatum. Tumque ad benignos referendus, et eodem modo iudicatur.

Interdum tamen et multum malignitatis, velut variolae ac morbilli, oſtendit, et vim necis omnino habet, inprimis vbi angina pituitoſa ſe adſociat; quae intra primos nouem dies accedit, et ad quatuordecim dies ac vltra cum ipſa febre extenditur **): quaeque et ſola infantes nonnullos epidemiae eiusmodi malignae tempore comprehendit.

*) Ta-

*) Talis memoratur in *Act. Med. Berol. Dec. I. vol. I.* 28. *VI.* 21. *Dec. II. vol. I.* 33. *vol. X.* 43.

**) Talem obſeruarunt *Sennertus*, *Storchius*, *Plenciz*, et V. Cl. *Io. Conr. Guil. Schmidt* in *epiſt. ad* Cl. *Frid. Guil. Klaerich*, obſeruationes de febre ſcarlatina complexa. Hannou. 1753.

§. 154.

Superato morbo parotidum tumores aliquando exſurgunt, per aliquot hebdomades durantes, ſed non vehementer aeſtuantes: itemque leucophlegmaticus tumor, qui poſt tertiam hebdomadem demum plerumque ſubnaſcitur, et perſaepe letalis eſt, longeque plures adhuc rapit, quam ipſa febris ſcarlatina. Vrina tum parca mingitur, et fuſca eſt, perinde ac id, quod infra ſubſidet *). Denique et conuulſiua tuſſis infauſto omine ſuccedit.

*) *Storch l. c.* p. 184.

§. 155.

Ipſe morbus facile repetit, ſi conualeſcentes nimis mature liberiori aëri ſe exponunt; aut ſi purgantia pharmaca finito morbo non exhibentur.

§. 156.

Cura diuerſa eſt pro benignitate aut malignitate febris, vt ex ſupra dictis conſtare poteſt.

Purgantia ac enemata, et venaeſectiones, quo recurſum macularum metuit *Sydenhamus*, hunc certe non praeſtant.

Optima potio in quouis morbi ſtatu lac eſt, cum triplo aquae coctum.

Conuulſiones et Coma ſyrupo de meconio et epiſpaſtico amplo ad ceruicem dato mitigantur.

Leucophlegmatiae vero medentur veſicatoria, et poſt haec diuretica, velut tinctura tartari, aut ſpiritus ſalis coagulatus, vel purgantia, aetati atque viribus accommodata.

De remediis contra anginam alibi ex profeſſo dicetur.

ESSERA.

§. 157.

Eſſera, noſtris regionibus non infrequens exanthema, maculas exhibet latas, diſcretas, coloris rubri ſplendentis, glabras, planas, ardentes ac prurientes, in manibus ac facie potiſſimum, vel cum diaria febre, etiam dorſi et capitis dolore et vomitionibus, erumpentes, vel ſine febre. Febrem horror praecedit, et aeſtus cum ſudore ſubſequitur. Iudicatio fit tertio die per ſudorem et vrinam.

Mobiles admodum ſunt hae maculae, at regreſſus haud verendus. In manibus, cum ſub lecto continentur, laetiſſime efflореſcunt; cum extra protriguntur, iterum ſe ſubducunt. Viciſſim tamen et nonnullis contingit, vt in frigido, quod mireris, magis emergant, et in calido euaneſcant.

Tertio ad ſummum die exanthemata palleſcunt, et cutis poſthaec deſquamatur.

Interdum febres bilioſas illa antecedunt. Interdum in ſtatu exſiccationis variolarum, rubente in interſtitiis cute, ſe oſtendunt; quod mihi ſemel viſum.

Morbi.

Morbi natura eſt, quod inprimis aeſtate aut hyeme accidat, et ſemel ſalutatos ſaepius occupet.

Mitiora diaphoretica cum regimine calido ad curam ſufficiunt.

Sennertus hunc morbum bene deſcripſit, ſed cum febre vrticata confudit. *Opp. L. V. P. I. T. II. c.* 26.

FEBRIS VRTICATA.

§. 158.

In diaria febre quum maculae prominentes rubrae, valdeque prurientes et ardentes in facie et collo, vel et in aliis corporis partibus erumpunt, quoad magnitudinem non minus, quam quoad ardorem ad tubercula, vrticis excitari ſolita, accedentes, febris inde vrticata dicitur: cui horrores frequentes intermiſti, et alui profluuium plerumque ab initio, cum vrina turbida ac limoſa copulatum eſt *).

Haec exanthemata inſtabilia quidem ſunt, vt priora (§. 157); ſed in eruptione tamen ſua accuratas ſubinde ſtationes ſeruant, vt certis diei horis erumpant et rurſus diſpareant; maxime vero circa veſperam cum exacerbatione febris ſe laetius efferant.

Illud etiam ſingulare habent, quod in frigido magis emergant, et in calido euaneſcant.

In toto morbo, infantibus multo quam adultis frequentiore, ſaepiusque ſemel comprehenſos infeſtante, nullum periculum eſt, et febris primo ſeptenario inter ſudores decedit, cute deinceps in ſquamulas defluente.

Lenientia medicamenta ab initio data et cum diaphoreticis permixta, veluti tinctura rhei cum octaua par-

te mixturae ſimplicis, eum citiſſime debellant, exturbando tam per cutem, quam per aluum acrius illud ſerum, quod tum ipſam ſebrem, tum exanthemata producit. Niſi vero vel hoc medicamenti genus, vel aliud quidquam ſimile in vſum trahatur; ſufficit, vt aegri ſe contineant, et ſubinde infuſum ex floribus ſambuci et chamomillae vulgaris hauriant.

Non ſolum vero ſponte haec exanthemata ſubnaſcuntur, et primarium morbum conſtituunt; ſed ſubinde etiam febri vulnerariae tanquam ſymptoma accedunt, aut in grauiori contuſione citra febrem ſubnaſcuntur **).

*) Nolim hanc febrem cum *Lochnero Eph. Nat. Cur. Cent. VI. obſ.* 96. et *Iunkero Conſpect. med. pract. Tab.* 74. ad purpuram; neque cum *Sydenhamo* ad eryſipelatoſam, *Opp. Sect. VI. cap. VI.* p. m. 353. neque cum *Sauuageſio Noſol. method. T. II* p. 426. ad ſcarlatinam referre; ſiquidem exanthematis ſingularis natura atque habitus eſt, quo cum nullo alio exacte conuenit.

**) Vtrumque hiſtoria probatur in *Actor. Med. Berol. Dec. I. vol. II.* p. 67.

FEBRIS BVLLOSA, PEMPHIGODES RECENTIORVM.

§. 159.

Singulare exanthema ſeroſum, ex maculis formatum, hydatides repraeſentans, nucis auellanae magnitudine, et adhuc ampliore, vel in tota cute corporis *), vel in ſingularibus partibus, potiſſimum facie et collo **), vel ſimul etiam in faucibus, circa uvulam et pharyngem ***), effloreſcens in febre acuta vel benigna *a*), vel maligna b) ſiue ſynocho putri hunc morbum determinat, raro obuium, ſed nonnunquam tamen adeo populariter graſſantem *c*), valdeque contagioſum, a quo pauci

pauci euadunt, inprimis si fauces pustulis simul obsessae sint, quod iam primo die mortem afferre potest *d*).

*) *Car. Piso de morbis ex colluuie serosa, Sect. IV. c. IV. obs.* 150. p. m. 440. *Act. Nat. Cur. vol. X. obs.* 76.

**) *Henr. Frid. Delii amoenit. med. Dec. I.* cas. IX. p. 71.

***) *Act. Heluet. vol. II.* p. 265.

a) *Delius* l. c. *Vidii medic. P.* 2. *S.* 2. *L.* 6. *c.* 6.

b) *Piso* l. c. *Act. Heluet. l. c.*

c) *Medicine experimentale*, (par Mr. *Thierry*) p. 134. *Act. Heluet.* l. c.

d) *Act. Helu. l. c.*

§. 160.

Quodsi ad decursum huius febris accurate attendas, et ad ipsius euentum, non difficile erit iudicare, eam, vt variolosam et plures alias exanthematicas, vel benignam, vel malignam esse, et pro hac eius diuersa natura, modo non grauiter afficere aegrotantes, modo internecioni, nisi omnes, certe plurimos tradere, similesque metastases, vt malignas febres, per abscessus facere *).

*) *Act. Helu. l. c.*

§. 161.

Vesiculae sero limpido subflauo, interdumque foetido, plenae, valdeque simul ardentes ac prurientes, vtrobique die morbi primo, secundo, tertio vel ad summum quarto proueniunt, et inter hunc ac septimum, si benigna febris fuerit, exarescunt, nullo humore diffluente, sed cuticula quasi ambusta, incinerataque breui in surfures, sordidaque crassamenta abeunte; sin autem

tem maligna, circa decimum quartum diem demum ſubſident. Puſtulis ita faceſſentibus et euaneſcentibus, nulla in vultu earum veſtigia, aut reliqua corporis ſuperficie, cauitates nullae in exeſa cute reliquuntur, ſed maculae ſaltem ex atro rubrae ſuccedunt, cruſtis epidermidis nigricantibus cinctae.

§. 162.

Interdum morbus ſine notabili febre ſubnaſcitur, tumque eo mitior, atque breuior decurrit *).

*) Bis vidit *Sauuages* talem Pemphygon apyreton in mendicantibus. *Noſol. method. T. II. Cl. III*, *p.* 383.

§. 163.

Curatio ad naturam febris, iuxta praecepta generaliora alibi tradita, accommodanda eſt.

In maligna febre vſus aceti bezoartici conſtans ſe maxime probauit *); quod omnino imitandum videtur.

Puſtulae, niſi ſponte rumpantur, forfice caute aperiendae ſunt. Sed a reſiccantibus abſtinendum.

Faucibus infectis linctu congruo, et collutionibus putredini aduerſis proſpiciendum eſt. Et ad haec latum veſicatorium ſcapulis applicari, collo vero cataplaſmata, ad id, quod intus haeret, euocandum, circumdari debent.

*) *Thierry l. c.*

FEBRIS APHTHOSA.

§. 164.

Febribus continuis putridis, intermittentibus putridis, exanthematicis, dyſentericis, inflammatoriis, aphthae

thae oris, ad instar criseos lentae quoddam, at insidae, aliquando superueniunt vel succedunt.

Sunt autem aphthae pustulae albicantes, aut ad cineritium colorem vergentes, vuam, fauces, palatum, tonsillas, genas internas, gingiuas, linguam, labia occupantes, ab uvula frequentissime incipientes, atque tenacem ac glutinosum mucum emittentes.

Tegitur itaque harum vel omnium, vel pauciorum partium superficies hisce pustulis, telam siue crustam albam nunc formantibus, tenacissime adhaerentem; quae vero, non exedendo escharam illis inducunt, sed integras illas relinquunt, dum mature frustulatim deciderint.

Neque his limitibus contineri semper putantur aphthae, sed et oesophagum, ventriculum ac intestina creduntur inficere: quod quidem non alio argumento probatur, quam quod et quandoque magna deglutiendi difficultas aegros vexet, aphthaeque post maturationem tanta copia per os et alvum nonnunquam aliquot dies reiiciantur, vt aliquot pelves eas congestas vix capiant. *)

*) *Vincent. Ketelaer Comment. de aphthis* p. 13.

§. 165.

Aphthis destuis, et sic quasi disparentibus, quod intra paucas horas fieri potest, quo et totum os internum obtectum illis, iterumque plane purum ac nudum inuenias, aliae nouae subinde succrescunt, quae suum spatium ad maturationem iterum requirunt; sicque vel sexies aut saepius noua progenies subnascitur *), ex ancipiti et diuturna lucta naturae et morbi moras nectens, et morbum longe in hebdomades et menses protrahens.

*) *Ketelaer l. c*, p. 18. *van Swieten T. III.* §. 986.

Atque ſub hoc ſtatu quamuis aegri ipſi, dum expeditius ſpirare ac deglutire poſſint, reſtituti ſibi videantur, in ſummo profecto verſantur periculo, dum reſiduum virus protinus febrem denuo accendit cum moleſto oppreſſionis ſenſu circa praecordia, interdumque etiam excitato alui profluuio; vnde, niſi denuo prodierint aphthae naturae vel medicamentorum ope, mors facile ſubſequitur.

Progenies autem noua aphtharum expectanda eſt, ſi deciduis illis locus ſiccus conſpicitur, aut tela alba is obtectus eſt. Vbi autem humidus eſt et rubet, tum vel nullae, vel paucae admodum renaſcuntur.

Interim nullum certum tempus, quo aphtharum ſeparatio fit, determinari poteſt; aliquando enim iam primo die, aliquando poſt plures decidunt. Neque omnes ſimul ſeparantur.

Inter deciduas aphthas et renaſcentes aliquot dierum interuallum quandoque intercedit.

§. 166.

Fugit quaſi febris aphthoſa regiones calidas; contra vero borealibus et paludoſis frequens eſt, quamuis non vbiuis aeque ſolemnis et grauis.

Atque in his regionibus etiam aphthae non raro occurrunt ſine febre *).

Febres autem, in quibus aphthae metuendae, nec vllum peculiare ſymptoma oſtendunt, quod iſtas ſignificet. Conueniunt tamen maxime cum miliari.

Quemadmodum vero nec proxime inſtantes aphthae a medico dignoſci poſſunt; ita etiam praeſentes anceps et

et incertum malum ſunt, ex quo nec ſalutem, nec mortem hariolari liceat.

Interim quae in adulta aetate, conſtantibus viribus, inque coctionis ſtadio a ſeptimo vel nono morbi die, non magna copia, ceſſante aut multum remittente febre emergunt; quaeue cito decidunt, licet etiam nouae repullulent, breui denuo cadentes, eae mitiores et tutiores ſunt; contra vero cineritiae et nigreſcentes ſemper periculoſae; itemque fugaces, etiamſi reuocari ſe ſinant; aut totum os obſidentes, et praecurrente ſingultu ex imis faucibus adſcendentes; aut in cruditate morbi prouenientes; nec non, ſi menſtruus vel haemorrhoidalis ſanguis fluit, aut aluus liquatur; ſique primis diebus morbi nulla euacuantia fuerunt adhibita. Denique et ſenibus ob vires fractas ſemper periculoſae obſeruantur.

In longo morbo appetitus rediens ſalutis ſpem oſtendit.

*) Multoties vidit in adultis *Ketelaer l. c.* p. 21. bis *Boerhaauius*, ſemel *van Swieten Comment. T. III.* §. 983.

§. 167.

Enimuero tam periculoſae non ſunt neque aphthae adultorum ſponte absque morbo praegreſſo vel febre prodeuntes (§. 166); neque recens natorum eaedem cum aphthis acutis, quas ſupra deſcripſi (§. 164), ſed admodum benignae, nec aliud ſymptoma praeter ardorem in ore et difficilem ſuctionem atque deglutitionem inducentes, facileque etiam abſtergendae. Symptomaticum genus quoddam ac ominoſum ex hac claſſe conſtituunt aphthae in vltimo phthiſeos ſtatu ſaepe oriri ſolitae.

Atque hoc loco monere non alienum eſt, praeter hoc aphtharum tum benignarum, tum malignarum, fe-

brilium et non febrilium, genus, aliud vlcerosarum nomine insigniendum, et chronicum existere, quod vlcuscula vera, parua, in superficie macula albicante ex humore, quem fundunt, mucoso atque glutinoso obtecta, in ambitu rubra et inflammata ac dolorifica, tam in lingua, buccis et labiis, quam etiam in partibus naturalibus efformat, antiquis magis, quam hoc, de quo hactenus tractaui, perspectum ac cognitum. Quae vlcuscula vel solitaria sunt, vel non valde numerosa *).

*) Epidemice grassari ea vidit *van Swieten T. III. §. 978.*

§. 168.

Sed ad aphthas malignas in morbis reuertor.

Per se patet, saporem omnem ab aphthis tolli, et linguam, buccas ac labia ob siccitatem rigere, omniumque rerum deglutitionem difficulter procedere, vel prorsus tolli. Sed et aliae molestiae praeter haec oriuntur.

Ab aphthis scilicet densis omnia loca oris interni obsidentibus tumores harum partium fiunt, et circa fauces periculum suffocationis inducitur.

Deciduis crustis saliuatio copiosa succedit non solum, sed etiam diarrhoea; quae bonae, si moderatae, nec nouae aphthae renascuntur.

Etiam excoriatae partes cruorem saepe stillant, et dolorificam masticationem atque deglutitionem aliquamdiu pariunt; interdumque etiam singultum et cardialgiam a quouis cibo vel potu deglutito aliquamdiu generant.

Nescio, an experientia vere docuerit, subiectas partes a crustis lentis et compactis etiam aliquando in vlcera mutari, et gangraenescere.

Sed multo magis de lienteria ab aphthoſa ventriculi tunica dubito, vtpote quam nemo in hoc morbo natam vnquam vidit; et quae, quotieſcunque adeſſet, profecto longe citius mortem, quam lienteriam, induceret.

§. 169.

Proximum eſt, vt, quomodo huic malo medendum ſit, praecipiam.

Vltro liquet, naturam nullo modo in hoc molimine excretorio morboſae materiae turbandam eſſe; contra vero talia adhibenda, quae eam ipſam adiuuent, quaeque cruſtas quantocyus ad lapſum diſponant.

Prius praeſtant medicamenta, quae febrem ita moderantur, vt nec nimis torpeat, nec nimis intenſa ſit. Inprimis vero ptiſſanae diluentes, et abſtergentes ex radicibus chinae, ſcorzonerae, hordeo, paſſulis, melle copioſe ſumtae, et modicus vini vſus cum ipſa ptiſſana egregie conducunt, adiuncta commoda victus ratione, qua natura roboratur.

Alterum ſtomaticis medicamentis detergentibus et maturantibus, in collutione vel in gargariſmo calide vſurpatis, obtinetur, quae aphthas non ſugant, ſed prouocant. Plebeium remedium, idemque tutiſſimum eſt ſolum raparum iuſculum, ſaccharo edulcatum, vel, ſi id haberi non poteſt, ſola cereuiſia tenuis ſaccharata: quae duo non ſolum pro ſtomatico, ſed etiam pro potu commodiſſime inſeruiunt. Ad collutionem et gargarizationem vero proprie facit decoctum ex radicis liquiritiae vncia vna, hordei mundati, paſſularum minorum, ſingulorum vncia dimidia, ficuum vncia vna cum dimidia, cum aquae fontanae libris tribus paratum, adiectis colaturae mellis roſarum vnciis duabus. Infantibus ad collutiones ineptis linctus ex ſucco raparum ex-

expreſſo, leuiter cocto et ſaccharo edulcorato, aut ex melle roſarum, ſyrupo mororum et octaua parte ſpiritus ſalis dulcis magis accommodati ſunt, et penicillo quoque partibus oris internis illini debent.

Ceterum decoctum corticis Peruuiani ſeparationem aphtharum egregie facilitat, et ipſam febrem putridam edomat.

Aluus adſtricta altero quouis die enemate ſollicitanda eſt.

Purgantia contra per totum aphtharum decurſum vitari debent, ob periculoſam, quam ſubito excitare valent, hypercatharſin. Ante eruptionem vero et in fine mali ea vtiliſſime exhibentur.

Immoderatus alui fluxus pulueribus ex cornu cerui vſto, theriaca et croco coerceri debet.

Saliuae vero nimium profluuium, etiam ſanguinolentum, decoctum agrimoniae cum melle moderatur. Vbi vero in poſteriori caſu haud ſuffecerit, adhiberi debet aliud fortius adſtringens ex balauſtiorum floribus et oxymelle paratum.

Dolorem excoriatarum partium linimentum ex vitellis ouorum, cremore lactis, et ſyrupo papaueris albi pulchre lenit.

Singultus moleſtus ſub finem febris aphthoſae accedens, plerumque quidem poſt aliquot dies, redintegratis viribus, ſponte euaneſcit, et vix vnquam pernitioſus eſt; hinc etiam auxilium medici vix requirit. Vbi vero pertinacior fuerit, molliſſimo tantum victu, et gelatinoſis rebus ipſi occurrendum eſt; a purgantibus vero, et vomitoriis prudenter abſtinendum.

OTAL-

OTALGIA ACVTA, OTITES.

§. 170.

Venio iam ad nouum ſebrium acutarum genus, quae inflammatoriae cognominantur, quoniam ex inflammatione partis ſuccreſcunt, vel eam ipſam ingenerant.

Itaque ab Otite ordior, ſub quo intenſum auris vel internae, vel externae dolorem cum aliis aliquanto grauioribus ſymptomatibus intelligo: quique pro diuerſa ſua ſede in internum et externum diuidendus eſt.

Dolor auris in *Otite interno* et magnus, et ardens, et pulſatilis eſt. Summa anxietas, inquietudo, peruigilium, dolor capitis, cum febre acuta horrifica praeſto eſt. Saepeque etiam deliria *a*) et animi deliquia, et conuulſiones *b*) excitantur; et ſub iſtis pathematibus otites ille intra ſeptem dies, et iam primo, necare poteſt, niſi laudabilis diſcuſſio extiterit, et ſanguis e naribus, aut puris copia ex aure effluat *).

Frequentius autem ad ſuppurationem, quam ad diſcuſſionem tendit.

Abſceſſus autem difficultatem auditus plerumque relinquit; et, ſi virulenta atque foetida ſanies emanat, metum ſimul fiſtulae et cariei facit, vbi ipſa auris oſſicula effluunt **).

Morbus multis, ſiue ſenes ſint, ſiue iuniores, reuertitur.

a) *Zacut. Luſit. Prax. admir. l.* 69.
b) *Hoffmann. med. ſyſtem. Cap. de otalg.* §. 3.
*) *Hippocrat. Coac.* 189. et *Praenot.* p. 54.
**) *Hagendorn Obſ. I.* 64.

§. 171.

§. 171.

Non tantum periculum inflammatio auris externa (*otites externus*) infert. Poteſt tamen omnino etiam in ſenſibilioribus mentem alienare, et mortem quoque ex doloris atrocia inducere *). In ſuppurationem quoque non raro abit.

*) *Hoffmann l. c.* §. 5.

§. 172.

Non aliae cauſae Otiten, quam Otalgiam, vniuerſim ingenerant, cum eo ſaltem, vt in iſto vehementiores ſint. Quas autem non hoc loco, ſed alio, vbi ad otalgiam venero, enarraturus ſum.

§. 173.

Quoniam vero tam acutum atque praeceps malum Otites, inprimis internus, eſt; omnia auxilia cum celeritate rapienda ſunt. Quae vero non alia, quam quae ad inflammatarum partium curationem vniuerſim requiruntur; quo ſtaſis inflammatoria, ſi fieri poteſt, diſcutitur.

Intus itaque laxantia antiphlogiſtica atque temperantia ſedulo exhiberi debent; et ſanguis quoque e vena mitti.

Extus autem primo hirudines circa auriculam adponere oportet, et cucurbitulam cum ferro iuxta parotidem; deinde in aurem oleum amygdalarum cum lacte miſtum tepide per vices inſtillare; pone aurem vero ſpiritum vini crocatum et camphoratum illinere; aurique ipſi ſacculos diſcutientes ex maiorana, pulegio, ſerpillo, baccis lauri, ſale ammoniaco, croco, ex vino aut aceto vini coctos ſedulo ſuperimponere; denique

que etiam clyſteres ex decocto hordei, melle et ſale prunellae in aluum iniicere.

Nec alienum multis videtur, afflictis veſpertino tempore ad conciliandum ſomnum, doloresque leniendos, laudani opiati grana duo vel tria exhibere. Verum diſſimulare hoc loco non poſſum, me ab opiatis nunquam dolorem acutum, ab inflammatione ortum, vidiſſe leuatum, adeoque nec placidum inde productum ſomnum.

Suppurationem imminentem cataplaſmatibus ex furfuribus triticeorum, puluere radicis altheae, ſeminis foenugraeci et croco cum lacte paratis promouere oportet: vlcus vero factum detergere et conſolidare; quod pulcre praeſtat balſamum ſulphuris ad guttas tres tepide et quater de die in aurem inſtillatum; aut decoctum ex herbae centaurii minoris manipulo et aquae fontanae vnciis octo confectum, cuius colaturae mellis roſarum vncia vna et pulueris aloes hepaticae drachmae duae adiiciuntur: quod tepide in aurem ſyringa iniicitur. Sin vlcus ſordeat, eidem decocto poteſt pauxillum vnguenti aegybtiaci admiſceri, vel aliquot guttae balſami ſulphuris. Interne datur tinctura antimonii tartariſata ad guttas ſexaginta ter de die, quoad pus ex aure effluxerit.

Otites externus, quum in ſe eryſipelas ſit, eadem quidem interna remedia, ac prior, deſiderat; circa externa vero aliter procedendum eſt; de quo tamen alibi praecipiam.

CHEMOSIS ET OPHTHALMITES.

§. 174.

Ex variis Ophthalmiarum generibus duo memorata lubens hic ſeiungo, ac in ordine inflammatoriarum ſe-

febrium recenſeo, quoniam et acutiſſimae paſſiones, et nunquam ſine febre ſunt, etiamſi non adeo vehementi, ac in aliis inflammationibus.

§. 175.

In *Chemoſi*, *a*) omnium oculi inflammationum externarum grauiſſima et periculoſiſſima, tunica adnata et albuginea tota tamquam pannus ſcarlatinus rubet non modo, verum etiam non mediocriter intumeſcit, vt ſuper corneam feratur; qua ſubſidente quaſi hiatus cuiusdam ſimilitudo oritur *).

Haec inflammatio atroces dolores tum oculi, tum capitis, peruigilia, itemque ſebrem, et palpebrarum peruerſionem **), in qua oculus perpetuo apertus manet, inducit. In ſuppurationem quandoque abit, et coecitatem facile adferre poteſt.

a) *Aetius Tetrab. II. Serm. II. c. V. Paul. Aegin. L. III. c. XXII.*

*) Nitida icone hoc vitium expreſſum eſt in *Io. Petr. Rathlauw Traité de la Cataracte*, lit. K. et *Io. Taylor Noſograph. Ophthalm. tab.* G. *LXXIII. A.*

**) Obiter hic animaduerto errorem, quem *Boiſſier de S.* in deſcriptione ſua commiſit, dum palpebras non apertas, ſed occluſas eſſe in hoc vitio poſuit. *Noſolog. method. T. III. Claſſ. VII.* p. 85.

§. 176.

Grauior ictus oculo illatus, reprimentia in leuiore ophthalmia inconſiderate admota, et chirurgica operatio in oculo inſtituta, cauſas externas huius mali efficiunt. Alias ſponte a metaſtaſi febrili vel alia humorum corruptorum, aut a plethora oritur.

§. 177.

Curatur victu et remediis antiphlogiſticis, ſanguinis miſ-

miſſione repetita, medicamine purgante etiam iterato, veſicatorio aut cucurbitulis pro conditione cauſae nuchae et occipitio impoſitis, et herbarum mollientium, florum chamomillae, meliloti, ſeminis lini, croci in aqua et lacte coctorum fotibus aſſidue admotis. Quae cuncta vero tranſitum inflammationis in ſuppurationem non ſemper impedire poſſunt: qua imminente, nil amplius praeter fotum conuenit, quo maturetur. Maturata vero Chirurgi manum deſiderat.

Subſidente inflammatione fotus roborantes ex ruta, ſaluia, roſmarino, atque vino; vel aquae ophthalmicae, quibus octaua pars ſpiritus matricalis admixta eſt, admoueri debent.

§. 178.

Ophthalmitis nomine mihi venit inflammatio intra oculum, quae interiores oculi membranas, et praecipue choroideam, occupat; quaeque alias *Phlegmone oculi* appellatur.

Dolor fere intolerabilis in oculo percipitur, cum febre, dolore capitis, maxime in affecto latere, vigilia nocturna, et delirio, inprimis in iunioribus. Oculus lucis impatientiſſimus eſt, licet nullus extus in albo rubor, vel paucus ſaltem conſpicitur. Idemque nonnihil lacrymat, et pupillam conſtrictam oſtendit. Interdumque adeo e ſede ſua propellitur.

Neque aliae cauſae hanc inflammationem excitant, quam a quibus Chemoſin oriri ſupra ſcripſi (§. 176.).

Eſtque haec omnium ophthalmiarum et acutiſſima et periculoſiſſima; ſiquidem vix aliter, quam hypopio intus orto finitur, quo et oculus rumpitur et immedicabilis coecitas ſuboritur.

Eadem remedia hic, quam in Chemosi (§. 177.) requiruntur; praetereaque et Periscyphismi administratio *) et palpebrarum scarificatio repetita valde necessaria est **), vt quouis modo ad externas partes inflammatio euocetur: quod nisi ad summum intra quindecim dies contigerit, omnium humorum oculi internorum colliquatio, et ruptura eius certissime subsequitur. Tumque nihil superest, quam vt oculus artificialis in locum deperditi, ad vitandam deformitatem, immittatur.

*) *Paul. Aegin. L. VI. c. 7.*

**) *Platneri Instit. Chir.* §. 298.

§. 179.

Ceterum in Chemosi aeque ac Ophthalmite oculi contra aera, omnemque lucem custodiendi sunt. Vitandaque est omni modo causa, quae lacrymas excitat. Omniaque acria medicamenta, quae tam hoc nomine, quam alio, oculis nocent, fugienda sunt.

LINGVAE INFLAMMATIO.

§. 180.

Hanc grauem affectionem, quae a subito affluxu humorum vitiosorum ad linguam plerumque oritur, quamque *Glossiten* vocare mihi liceat, ego forte quoque, vt multi alii ante me, praeteruidissem, nisi mihi fuisset visa; quod cum bis factum est, eo maiori cum sedulitate ad omnia eius symptomata attendi, quae protinus recensebo.

Sub febrili frigore, quod calor praeternaturalis excipit, lingua subito dolet et intumescit. Loquela et deglutitio mox difficulter peragitur. Dolor atque tumor in dies increscunt. Saliua spissior sponte nunc ex

ore

ore continuo profluit. Loquela et deglutitio perit. Facies rubet. Caput dolet. Vigilia nocturna est. Lingua plane moueri non potest, et ob tumorem praemagnum ex ore protruditur. Os ideo hiat. Fames et sitis aegrum vexat. Spiritus difficulter ducitur. Suffocationis periculum tandem imminet *).

Morbus valde periculosus et acutus est, dum intra quinque vel septem dies suffocatione iugulare potest; nisi inflammatio se inclinauerit, aut in suppurationem abierit.

Horrendo malo ocyssime succurrendum est, omnisque fere generis reuellentia cum maturitate rapienda sunt. Expedit, protinus sanguinem e vena, maxime iugulari aut ranina, mittere, idemque pluries repetere, cucurbitulas tergo, concisa cute, admouere, aluum medicamentis idoneis, satis tamen valentibus, si deglutire adhuc aegri possunt; alias vero lotionibus quater de die in aluum immissis, ducere, cataplasmata collo constanter circumdare; praetereaque os, quoad licet, decocto leniente ex floribus meliloti, sambuci, croco, caricis, melle rosato et lacte, parato, colluere.

Aliquando tamen his omnibus auerti nequit, quo minus aeger miserrime suffocetur, aut saltem abscessus oriatur, qui vel sponte viam sibi parit in laterali vel inferna linguae parte, vel scalpello aperiri debet.

*) Casus Glossitis occurrit in *Eph. Nat. Cur. Dec. II. an. 7. obs.* 51.

§. 181.

Ceterum hoc loco animaduertendum est, linguam etiam ex aliis causis, quam ex inflammatoria humorum stasi, tumere: quod malum licet valde molestum, tam acutum tamen, ac exitiale non est.

Tumet autem illa quibusdam a natiuitate *), aliis tumor quasi ex copia alimenti in linguam conuersa oritur, absque vllo doloris sensu **). Interdum vero tumor est ab affluxu humorum vitiosorum a), a morbo Venereo ***), aut, quod pessimum, a scirrho atque cancro ****). Idem interdum ex inunctione hydrargyri accidit †). Nonnunquam vero et ex materia venenosa linguae tumor excitatur b).

Atque singuli fere isti tumores tam grandes aliquando existunt, vt ore contineri lingua non possit, vel totum collum cum faucibus non sine periculo suffocationis impleat, ita, vt nec vocem edere, nec quidquam cibi vel potus assumere vel deglutire aegri queant.

Denique etiam obseruatum fuit, calculum in linguae carne genitum tumorem ibi partialem excitasse aa).

*) Talis tumor congenitus mihi semel occurrit. Lingua in latum magis extensa erat, in totum vero tumida cum mollitie. Infans iam tertium annum agens fari nondum poterat. Ex ore perpetuo saliua emanabat. Alium magis portentosum eiusmodi tumorem describit *Barthol. Hist. cent. III. obs.* 43.

**) Exemplum vide apud *Galenum de diff. morb. c. IX.*

a) *Galen. method. med.* XIV. 8. *Forest. Obs.* XIV. 18. *Gockel. obs. Decad. IV.* 2. *Tricen Obseru.* p. 142.

***) *Alex. Benedict. L. V. c. X.*

****) *Forest. L. XIV. obs.* 24. *Schol. Hildan. Cent. III. obs.* 84.

†) *Riuer. obs. a Des grand-prez commun. I.*

b) *Borell. Cent. II. obs.* 43.

aa) *id. L. IV. obs.* 26.

AN-

§. 182.

Frebrilis et acuta faucium ac laryngis affectio, qua respiratio atque deglutitio impeditur, nobis Angina dicitur. Quae pro modi et causarum diuersitate in quinque genera, *veram*, *gangraenosam*, *strangulatoriam*, *pituitosam*, *et arthriticam* diuidenda *). Gulae resolutio inepte a quibusdam ad anginam translata est.

*) Aliter veteres, sed minus solide nec sine dissensu, anginam distinxerunt pro diuersa eius sede in affectis partibus. vid. *Aretaeus L. I. c. 7. de sign. et caus. acut. morb. Aetius Tetrab. II. Serm.* 4. *Cael. Aurel. L. III. c. II. de morb. acut. Alex. Trall. L. IV. c.* 1. *Paulus Aegin. L. III. c.* 37. *Celsus L. IV. c.* 4.

§. 183.

Angina vera, quam et *exquisitam* ac *inflammatoriam* vocant, quoniam faucium, pharyngis et laryngis inflammationem sensim vel coniunctim pro causa habet, ab horrore aut rigore incipit, interdumque etiam a vomitu. Febris acuta praesto est; in qua aegri subinde delirant et cum tinnitu aurium difficulter audiunt. Respiratio atque deglutitio sensim difficilior redditur, sic, vt periculum suffocationis demum immineat, aegrique hiante ore spirare cogantur, et quaeuis adsumta per nares refundant, et in imis faucibus stertant, et saliuam duram sensim exspuant. Exquisitus simul ardor, et quandoque conspicuus rubor atque tumor in faucibus est. Fauces interiores saliua viscida implentur, neque exscreare aeger potest, neque decubitum sustinet, sed si decumbat, suffocatur. Maxilla saepe intumescit. Lingua tumida, arida, interdumque etiam nigra est, et fauces adeo replet interdum sua crassitie, vt extra os emineat, et deglutitio inde penitus impediatur. In nonnullis pars eius postica inflammatione tantum corripitur. Facies ipsa quoque tumet et obscuro rubore perfunditur.

tur. Oculi prominent. Vox rauca et clangoſa redditur. Loquela vix vlla formatur. Summe anxia inquietudo eſt, nocturnaque vigilia.

Corporis aeſtuantis ſubita refrigeratio, retenta ſanguinis euacuatio, eryſipelas regreſſum, venena, morſus animalium rabidorum, metaſtaſis ex praegreſſo morbo acuto communiſſime hunc morbum inferunt: qui valde periculoſus eſt, ſic, vt aliquos iam primo die, alios intra quintum, ſeptimum aut nonum interficiat. Vt nihil certi, in principio ſaltem, de ſalute affirmari poſſit.

Nulla vero angina periculoſior eſt, quam quae linguam ſimul afficit, aut in larynge cum annexa aſpera arteria, et muſculis quandoque oſſis hyoidis, absque tumore conſpicuo conſiſtit, et voce acuta, clangoſa, reſpiratione parua, erecta, dolente, cum extrema anxietate ſe manifeſtat. Sed frequentius ſymptomatice, quam idiopathice occurrit; imperitis vero pro catarrho ſuffocatiuo imponit.

Inter bona vero ſigna haec referenda: ſi ſuffocatio ſtrangulatoria remittit; ſi tumor in pectore aut ceruice extuberat, ſicque morbus extrorſum vergit; ſi ſanguis e naribus, aut inteſtini recti vteriue venis fluit; ſi ſputum flauum, copioſum atque craſſum, et celeriter quidem coctum, exſcreatur; ſi inflammatio in abſceſſum tendit; ſi aluus liquatur, et ſudor aequaliter prorumpit, et vrina ſedimentum craſſum deponit, et purpura in cute effloreſcit.

Contraria viciſſim contingentia mortem praemonſtrare ſolent; quam plerumque phrenitis cum conuulſionibus, aut peripneumonia praecedit. Alioquin autem ex his nonnulli ſuppurati euadunt.

Pernitioſi quoque dolores exiſtunt, cum febre ad crura delati, ſine vlla ſignificatione; itemque praecor-

dii

dii dolores cum impotentia et torpore citra iudicationem contingentes; qui latenter necant, etsi moderate habere aegri videantur.

Dolores ad pectus aut aluum progredientes, gracilescentibus faucibus, absque vlla significatione, modo solutionis spem prae se ferunt, modo purulentas deiectiones faciunt.

Abscessus in exterioribus partibus ortus vertebras interdum erodit ac dissoluit **); tumque fieri potest, quod *Hippocrates* obseruauit ***), vt ceruicis vertebrae intro vergant.

Febris in hoc morbo videtur mihi biliosa esse, quod copiosus bilis vomitus tam spontaneus, quam artificialis, et diarrhoeae biliosae arguunt. Atque si recte suspicor, aegri quoque magis ex febre, quam ex strangulatu rapiuntur.

Qui semel morbum istum experti sunt, facile in eundem rursus incidunt.

*) In larynge sedem reperit anginae, eiusdemque membranas tumidas *Sam. Cloſſy* in *Obſervations on ſome of the diſeaſes of human body* &c. Lond. 1763. 8. et *Morgagnus L. de ſede et cauſ. morb. epiſt.* XLIV. 3. *Ellerus* vero non solum membranas, sed et musculos laryngis, et cartilagines cum epiglottide inflammatas reperit. *Obſerv de cognoſc. et curand. morb. p.* 176.

**) Cl. *Heuermann* in *Beobacht. P. II.* p. 210.

***) *Epidem. II.* p. 984. *Coac. praenot.* 266. *Aph.* III. 26.

§. 184.

Angina gangraenoſa *), *Paedanchone Severini*, priori periculosior, et contagiosa, aegros repente corripit. Fauces calent. Lingua dolet. Collum riget. Tonsillae, uva, velum palatinum, et omnes partes faucium inflammatione tentantur, sic, vt mox malum in gangraenam abeat, cuius praenuncia macula alba est in inflammata sede conspicua. Febris continua, maligna statim in initio apparet, cum dolore capitis, deliriis,

ſaepeque vomitu et alui deiectione. Secundo die in multis facies, collum, pectus, brachia, rubere incipiunt, velut eryſipelate affecta; ſubinde etiam papulae in his locis erumpunt. Magna debilitas praeſto eſt. Os tetrum foetorem exhalat; tonſillae humore putrido atque acri inturgeſcunt; et macula alba in cruſtam cineream, liuidam aut nigram, aliquando iam primo die, conuertitur et exſcreatur, noua mox rurſus adparente. Vlcus ſimul per tracheam ſerpit, eiusdemque membranam exedit, quae fruſtatim per tuſſim reiicitur. Ipſique pulmones adeo inficiuntur. Inflammatio autem interdum in trachea ſola ſedem figit; tumque deglutitio haud impeditur, neque in faucibus inflammatorii quidquam conſpicitur. Quidquid tamen contigerit, excrementa foetida ex aluo exeunt, et ſordida ſanies per os et nares excernitur.

In collo interdum tumores oedematoſi extrinſecus ſubnaſcuntur; et ſanguis ex naribus, ore vel aure periculoſe erumpit. Quibusdam labia ſimul inflammantur, inque interiori ſuperficie ac in buccis veſiculae erumpunt, ichore acri erodente repletae.

Interdum vlcera vicaria in inguinibus oriuntur, et fauces immunes manent.

Pueros plerumque hic morbus comprehendit, et epidemice vagatur, et vel primo iam die, vel intra nonum, et, ſi lentiſſime procedit, intra vigeſimum primum necat. Quidam ex improuiſo poſt triginta et ſexaginta dies, cum conualuerunt, ſubito ſuffocantur.

Abſentia eſcharae albae, et in vicem eius ſaltem ſuperficialia vlcuſcula, tumor mediocris colli, copioſa pituitae per os excretio, halitus non foetidus, oculi naturalem ſuum ſplendorem ſeruantes, ſalutis ſpem faciunt; itemque pulſus tardior factus, ruboris in cute et caloris imminutio, tumoris in collo detumeſcentia, et tranquillus ſomnus cum appetitu rediens.

In Anglia, Gallia, America, et Suecia noſtro ſeculo,

culo, ſuperiore vero in Hiſpania et regno Neapolitano morbus ſaeuiit.

*) Nemo eſt, qui non firmiter credat, hoc malum quam accuratiſſime deſcribi ab *Aretaeo L. I. de ſignis et cauſis acutor. morbor. cap. IX.* et *Aetio Tetrabibl. II. Serm. IV. c. XLVI.* Mihi vero videntur hi graues viri de aphthis ſcripſiſſe hoc loco, cum memorent, vlcera ſenſim a tonſillis ad columellam, linguam, gingiuas, et dentium alueolos prouenire; quae aphtharum natura eſt. Et certe in angina gangraenoſa lingua et gingiuae immunes ſunt ab omni labe; nec haec tam diu excruciat. Quam accuratiſſime vero morbum ſuperiore ſeculo deſcripſerunt *Io. Andr. Sgambatus* Opuſc. *de peſtilenti faucium affectu Neapoli ſaeuiente*, ib. 1620. 4. *Io. Bapt. Corteſius* in *Miſcell. medic.* Meſſan. 1625. 4. *Aetius Cletus* L. *de morbo ſtrangulatorio*, Rom. 1636. 8. *M. Aur. Seuerinus L. de recondit. abſceſſ. natur.* edit. Frf. 1643. 4. p. 428. ſeq *Petr. Mich. de Heredia Opp. medic.* T. III. *Thom. Bartholinus de angina puerorum Campaniae Siciliaeque epidemica*, Par. 1646. 8. et noſtra aetate *Io. Fothergill* in *account of the ſor throad, attended with ulcers.* Lond. 1748. 8. Anonymus (*Chomel*) in *diſſertation hiſtorique ſur l' eſpece de mal de gorge gangreneux qui a regné parmi les enfans l' année derniere.* Par. 1749. 8. et *Sam. Auriuillius* in diſſ. *de angina infantum in patria recentioribus annis obſeruata.* Vpſ. 1764. Hiſtoriae aliquot recitantur in *phil. Transact.* n. 495. Foetida ſanies in trachea reperta, *Journal de Medecine*, *M. Jun.* 1763.

§. 185.

Angina ſtrangulatoria ſiue *conuulſiua*; *) quae quidem proprie ad inflammatorios morbos non ſpectat, ſed potius ad ſpaſmodicos referenda eſt: neque in faucibus, neque in ceruice, quidquam conſpicuum monſtrat, plurimum vero dolorem et difficultatem ſpirandi, quae erecta ceruice obitur, atque vehementem ſuffocationem cum abolita deglutitione inducit. Comitantur eam gracilitas, pallor, oculi concaui, fauces et gurgu-

lio retracti, tonsillae multo magis subsidentes, vocisque priuatio.

Haec angina, sponte nata, grauissima quidem est, et celerrime interimit, siquidem aeger eodem etiam die, et secundo, et tertio et quarto strangulatur, neruis omnibus conuulsione distentis.

Non solum autem ea per se oritur, sed et hydrophobiae, tetano, hysterico et hypochondriaco morbo, epilepsiae interdum, vt et grauiori plagae tanquam symptoma superuenit **). Praeterea nonnunquam putrida pulmonum, hepatis, aliorumque viscerum labes, aut immodica euacuatio eam excitat.

Ab ignaris pro catarrho suffocante haberi potest.

Incisae post mortem fauces ne minimam quidem tumoris vel inflammationis notam in glandulis vel musculis ostendunt; sed sanguine tantum crassiore arteriae turgent, et venae omnes vbique prominent a).

*) *Hippocrat. L. praenot.* p. m. 55. *Coac. praenot.* 363. *Aretaeus L. I. de sign. et caussis acut. morb. c. VII.*

**) Post digiti lacerationem, subsecuto demum tetano vniuersali, animaduertit *Zwingerus Act. Heluet. T. III.* p. 319.

a) *Rich. Mead monit. et praecept. med.* c. IV. p. 58.

§. 186.

In *angina pituitosa* siue *aquosa* fere omnes glandulae oris et vicinarum partium, itemque uvula et velum palatinum sero mucido copiosius distenduntur, et fauces saliua viscida impletae sunt. Aeger saliuam nec deglutire, nec ob tenacitatem facile exspuere potest; nec nisi per vim spiritum attrahit ac stertit; interdumque eum febris detinet. Dolor nonnunquam acutus est.

Mor-

Morbus autem letalis eſt, et omnino pauci euadunt. Mors vel ex ſuffocatione vel ex febre ſimul contingit, altero, tertio vel longiſſime ſeptimo die *).

*) Aquoſam hanc luem apud Wallenſes in febris popularis modum ſaeuiiſſe, multosque intra biduum aut triduum trucidaſſe, *Meadius* memorat *l. c.*

§. 187.

Angina arthritica, paucis cognita, licet non admodum rara, ea mihi dicitur, quae a materia arthritica vel ſponte ad fauces delata, vel inconſiderate repreſſa inducitur. In ea fauces prorſus non tument, ſed vehementer ardent, et ſub deglutitione praeſertim, ac loquela, dolore punctorio afficiuntur, non ſecus, ac ſi innumeris aciculis diſpungerentur. Mucus viſcidus e faucibus extruditur. Dolor aliquot dies perſiſtit, poſteaque, apparente exiguo tumore in faucibus et ad ceruicem, euaneſcit, glandulis faucium ſpiſſiorem humorem adhuc copioſe eructantibus.

§. 188.

Ad *curationem anginae* progredior, quae ſecundum diuerſa eius genera, hactenus recenſita, adornari debet.

1. In *angina vera* ſanguis mittendus eſt, etiam repetitis vicibus, etſi non abundat, ſi fieri poteſt e venis, quae ſub lingua ſunt, aut ex iugulari, certe brachiali vena. Cucurbitula quoque recte ſub mento et ad ceruicem admouetur, deinde in grauiore caſu capiti ante raſo ad aurem vtraque ex parte apponitur; vt id, quod ſtrangulat, euocet.

Secundum eſt aluum ducere potione ex ſeri lactis vnciis decem, mannae electae ſeſqui vncia, et tartari tartariſati drachmis duabus parata.

Tum

Tum commodum eſt, origanum, ſatureiam, mentham, nitrum cum mulſa decoquere, eoque frequenter gargarizare; vel ad id mixturam ex aquae roſarum vnciis ſex, oxymelitis duabus, et aluminis crudi drachma vna adhibere.

Opus eſt ſimul fomentis humidis, aut ſaltem linimentis collo circumdatis. Ergo admouere cataplaſma oportet ex farina aut ſeminis foenugraeci puluere ex vino et oleo lini coctis, ſaltem ſalem cum ſaccellis calidis imponere. Ex linimentis vero efficaciſſimum eſt, quod ex pulpae caſſiae vncia vna, olei amygdalarum dulcium vncia dimidia, elaterii drachmis duabus, et ſpiritus ſalis ammoniaci tuntundem componitur.

Praeterea aqua ex furfuribus decocta potui exhibeatur; pro medicamento vero mixtura antiphlogiſtica, qualis §. 42. expoſita eſt.

Si per haec intra tres dies parum proficitur, vltimum eſt, vomitorium dare, quod ſuffocato paene aegro aëris vias quam celerrime aperit, et magnam vim pituitae durioris ex faucibus extrudit, ſaepeque etiam abſceſſum formatum rumpit aut rupturam eius accelerat.

Iniectiones per ſyringam prorſus repudiamus, quoniam per eiusmodi ſtimulum inflammatio exaſperatur. Satius eſt, ſi non poſſit aeger medicamentis ad gargarizandum vti, iisdem os crebro colluere.

Repertis ſuppurationis ſignis, haec facilitanda eſt gargariſmatibus ex emollientibus frequenter in ore detentis, et cataplaſmatibus ex iisdem cum lacte paratis et collo quam calidiſſime circumpoſitis.

Sin tonſillae a puris copia nimium diſtendantur, vt metus ſit, ne et reſpiratio et deglutitio interrumpatur, tumor ſcalpello ancipiti in diuerſis locis incidi debet,

vt

vt puri exitus facilitetur, etiamſi nondum perfecte coctum ſit: quo deglutitio et reſpiratio optime, ſubitoque reſtituitur, aegerque a letifera ſuffocatione vindicatur. Quibus peractis, naturae ſanatio abſceſſus permitti poteſt. Satisque eſt, potionem ex furfuribus aliquandiu continuare, donec homo nihil amplius morboſi humoris exſpuat, et aluum leniente medicamento iterum ducere ad humores verſus inferiores partes reuocandos.

2. In *angina gangraenoſa* ſtatim ab initio, vbi inflammatio nondum in gangraenam abiit, gargariſmata repercutientia ex decocto hordei, aceto, et pauxillo aluminis frequentanda ſunt. Sin autem gargariſmata adhiberi non poſſint, ſaltem iniectiones ex his fieri debent. Quandocunque vero eſcharae apparent, detergentibus et antiſepticis gargarizandum eſt vel in iniectione vtendum; cuiusmodi eſt decoctum radicis Serpentariae Virginianae aut corticis Peruuiani, admixto oxymelite et pauxillo aluminis. Si denſiores cruſtae appareant, et nigreſcant, decocto vnguentum aegybtiacum admiſceri oportet; aut melli roſarum ad ſextam partem addi, et penicillo frequenter illini.

Vapores ceterum ex aceto, origano, myrrha et melle per totum morbum vſurpari poſſunt. Et emeticum ab initio dari vtile eſt: deinde vero cortex Peruuianus, radix Serpentariae, puluis contrayeruae compoſitus ſedulo exhiberi; et collo atque ſcapulis emplaſtrum veſicatorium ſuperimponi debet. Ceterum alui profluuium nimium coercendum eſt Diaſcordio vel alio remedio accommodato. Vires modico vini vſu erigendae ſunt; vt et pulli iuſculo.

A deglutitione ſaliuae aegri ſibi cauere debent; et antequam quidquam deglutiant, os diligentiſſime eluere.

Quid

Quid de venaesectione, cucurbitulis, scarificatione gangraenosarum faucium, et purgantium vsu in hoc morbo statuam, experientia propria destitutus nunc plane nescio, quum ab aliis haec auxilia laudari, ab aliis contra culpari legam.

3. *Anginae strangulatoriae*, si praeuideri possit, depletionibus omnis generis occurri debet, sanguinis scilicet detractionibus, ex iugulari inprimis vena, aut ranina, purgationibus, clysteribus, emplastris vesicatoriis ad collum et ceruicem admotis, cucurbitulis vtrinque ad aurem, capillo raso, adfixis, et collutionibus ex decocto ficuum, fabarum, aliorumue mollientium medicamentorum. Neque haec cuncta, praesente faucium strangulatione, cunctanter administranda sunt.

4. Eademque auxilia in *angina aquosa* cum celeritate rapienda sunt; sin autem per haec intra duos vel tres dies parum proficitur, vltimum est, incidere satis altis plagis in palato circa uvam; vt per ea vulnera morbus erumpat. Quibus si non fuerit aeger adiutus, scire licet, a malo victum esse. Interim febris causa ter, quaterue de die puluis contrayeruae compositus cum pari portione nitri purissimi assumendus est.

5. Denique in *angina arthritica*, omnium quidem tutissima, minimeque pestifera, cantharides in ceruicem coniiciendae sunt; et linctus ex mellis rosarum vnciis duabus, syrupi ribium vncia, nitri tabulati drachma frequenter delingendus est; intusque simul mixtura simplex exhibenda.

§. 189.

Memoranda nunc venit *angina spuria*, quam quidam etiam *aquosam* et *catarrhalem* vocant, *Hippocrates* vero *Tonsillas* et *Vvam* strictim appellauit *).
Hu-

Humor ſeroſus copioſe in his partibus vel in palato ſtagnat, easque in tumorem extollit ex rubro albicantem, in faucibus conſpicuum, quo reſpiratio atque deglutitio ſatis difficilis ac dolorifica redditur, at longe mitior febris, quam in angina vera (§. 183.) praeſto eſt, vel nulla plane mouetur; neque tanto periculo angina iſta procedit, vt mortem ex ſuffocatione timere poſſis. Expreſſus humor ex affectis locis in denſam pituitam cogitur, quae mole increſcendo omne fere ſpatium in faucibus replet, operoſiſſimamque deglutitionem reddit.

In *Vua* ſpeciatim curgulio pituita repletus, vel ſanguine, pendulus et rubicundus euadit, et ſucceſſu temporis ab hoc nigreſcit. Interdum extrema eius pars tantum a ſuffuſo ſero intumeſcit et pellucida redditur, reſpirationemque intercipit. Maxillae vtraque ex parte nonnunquam ſimul inflammatione tentantur.

Si *Tonſillae* oriantur, ſub maxillis ex vtraque parte tumor fit, ad contactum foris durus; et totus curgulio ſimul aliquando inflammatione vexatur. Tumor tonſillarum plerumque in ſuppurationem abit, vel in vno loco vel in duobus. Diſcuſſio cum profluuio ſanguinis e naribus, diarrhoea, ſudoribus et vrina critica die tertio, quinto, vel ſeptimo contingit. Raro ſcirrhus relinquitur a).

Interdum inflammatio in palato conſiſtit, quod intumeſcit et ſuppurat.

*) *L. II. de morb.* p. 454. 463.
a) *Eller l. c.* p. 171.

§. 190.

Autumnali ac vernali tempore haec angina potiſſimum hominem ex ſuppreſſa tranſpiratione comprehendit.

dit. Quemque ſemel dimiſit, rurſus ſtato fere tempore occupat.

Morbus vero in ſe ſalubris eſt hominibus, quum ab aliis grauioribus malis eosdem praemuniat. Quocirca periculum metuendum eſt, ſi natura ab hac congeſtione recedit; niſi forte vicem eius diarrhoea inpoſterum ſuſtinuerit.

§. 191.

Et haec angina celerem tumoris diſſipationem deſiderat; quae tum collutoriis et gargariſmatibus, qualia ad anginam veram ſupra praeſcripta (§. 188. n. 1); tum purgantibus ex manna, ſenna, rheo, cum ſale medio maritatis, et per aliquot dies continuatis; tum denique cataplaſmatibus (§. 188. n. 1.) et apozematibus diureticis ac diaphoreticis, ex radice bardanae, cichorei, pareiraebrauae, ligno ſaſſafras, caſſia lignea peragitur.

Sin autem pituita nimis fauces repleat, et vix ore, quod nec aperiri ſatis poteſt, aeger ſpiritum trahere, neque quidquam fere deglutire queat, expeditiſſimam opem iterum hic vomitorium liquidum pollicetur.

Quodſi obſtruens humor in tonſillis vel palato in pus conuertatur, quod tum contactu, tum augmento doloris et maiori tumoris incremento ac veſiculae quaſi cuiusdam eleuatione cognoſcitur, ſcalpello ancipiti incidere oportet, niſi mature per ſe rumpatur. Quo facto, intra paucas horas morbus tollitur.

Veſicantia ad nucham peculiarem vſum hic non praeſtant. Neque iniectiones ob cauſas ſupra allatas (§. 188. 1.) hic commendandae ſunt.

Vuula nimium relaxata et linguae incumbens polline

line piperis recte inspergitur *), aut admotis adstringentibus in gargarismate eleuatur. (§. 187. n. 1.) Vbi vero haec nihil efficiant, extrema pars forcipe facile praeciditur; ex quo nullum damnum metuendum **). Popularis cura per suspensionem corporis, eleuato capite aegri, periculi plena est ***).

*) *Celsus L. IV. c. IV.*
**) *Hippocrat. l. c.* p. 463. *Eller l. c.* p. 170.
***) vid. Cl. *Zach. Vogel Beobachtungen* XXXI. p. 213.

§. 192.

Anginae nothae genus quoddam peculiare constituit glandularum salivalium, inprimisque parotidum et glandularum maxillarium tumor, infantibus familiaris: Galli *Oreillons* et *Ourles* vocant: quo non solum deglutitio, sed etiam ipsa oris apertio impeditur, propterea quod sine doloris sensu neutra perficitur. Is infarctus fugax est, et nullam febrem mouet, omnique periculo vacat; nec medicamentis, nisi diluentibus sudoriferis, adiuncta congrua victus et regiminis ratione, ad celeriorem impetrandam resolutionem, indiget. Aliquando tamen, sed raro, contingit, vt parotis ad suppurationem vergat, quam commodis auxiliis iuuare expedit; cum eo, vt mature deinceps pus euacuetur, eoque prospiciatur, ne viam sibi ad pectus faciat.

Sciendum praeterea est, syphiliticos et scrofulosos ad quandam anginam spuriam esse pronos; quae, tametsi eandem fere faciem quam catarrhalis prae se fert, ab ea tamen multum distat.

Alia iterum angina notha variolas, morbillos, et malignas quasdam febres comitatur. Alia rursus ab hydrargyrosi efficitur. Quarum omnium causae ex antecedentibus dignoscuntur.

PERIPNEVMONIA. PLEVRITIS.

§. 192.

Transeo ad thoracis atque lateris inflammationem, quarum illa in pulmonibus, haec in pleura aut intercostalibus musculis exsistit, et cum synocho siue simplici, siue putrida coniuncta est, adeoque acutum valde morbum, saepeque popularem constituit.

Vtraque inflammatio saepe simul praesto est, et labe sua quandoque cor, pericardium, diaphragma et mediastinum simul inficit; *Pleuropneumoniam* vocant. Vtraque etiam eadem fere symptomata inducit, praeterquam quod in pleuritide tussis arida sit, et dolor plerumque punctorius et acutus; in peripneumonia vero tussis humida et dolor magis obtusus sentiatur. Vtraque denique ex iisdem caussis nascitur, eodemque modo iudicatur. Quapropter commodum est, de his morbis vno simul loco disserere.

§. 193.

Incipit *Peripneumonia* ab horrore, et mox in aestum non mediocrem erumpit, quem crebra tussis, tertio quartoque die nonnihil sanguinolenta, cum respiratione molesta, dolore in thorace vel latere constante aut interrupto, et sub tussi ingrauescente, pulsuque duro ac frequenti, interdumque inaequali comitantur. Dolor modo alterutrum latus, modo vtrumque occupat; et vel prima iam morbi hora adest, quod saepissime fit, vel etiam febrem praecedit, vel altero demum, aut tertio quartoue die accedit. Idem interdum et scapulas et clauiculam occupat; interdumque, licet raro, ex vno latere in alterum transit, priori vel relicto vel illud adhuc occupans. Decubitus aegri in latus saltem affectum fieri potest; rarissime in sanum. Sanguis e vena missus

plerumque crusta lardosa obtectus est. Inflammatio aut discutitur, aut in pus, aut in scirrhum mutatur. Pulmo facile pleurae in hoc morbo agglutinatur.

Pleuritis quidem in *humidam* et *siccam* vulgo diuiditur; sed hoc discrimen saltem de Peripneumonia valet. Vera enim, et sola pleuritis semper sicca est; humida autem, quam vocant, vel est simplex peripneumonia *), vel cum hac complicata. Et si quid pleuritici veri exspuunt, perpaucum illud est, et album ac spumosum, quod morbum non soluit, et a stimulo duntaxat dolorum, tussim excitantium, proficiscitur.

In *peripneumonia humida* sputum satis copiosum per tussim reiicitur; in *sicca* vero conatus exscreandi saltem cum molestissima tussi vrget, et vel nihil prorsus sputorum vel parum duntaxat effertur. Atque haec sicca peripneumonia multo, quam humida, periculosior est, letumque tantum non semper intra tres, quatuor, vel quinque dies affert **); siquidem omnia symptomata, respiratio inprimis, atque anxietas, grauissime vrgent aegrumque cito suffocant; nisi forte notabilis haemoptysis superueniat ***).

Quamquam sunt, qui pleuram per se inflammari negant, eamque saltem ex consensu ab inflammato pulmone affici contendunt; contrarium tamen tueri tum propriae aliquot obseruationes, tum aliorum me iubent ****).

Vtcunque certae notae pleuritidis et peripneumoniae existant, ceu ex superioribus constat; incerta tamen Pleuropneumoniae signa esse, sciendum est, quam non nisi ex cadauerum inspectione cognoscimus.

*) Hinc in pleuritide plerumque pulmones laborare solos, recte cognouerunt *Platerus Prax. Lib. II.* et *Hoffmannus* diss. *de pleurit. et peripneum.* Hal. 1699. Ex dissectionibus cadauerum autem hoc probant *Ioubertus* Tr.

de affect. thorac. c. VII. *Iul. Caes. Claudinnus* respons. XV. *Vicarius* L. *de optim. aegrot. assist.* c. XI. *Bonetus* in *Sepulchret.* L. II. Sect III. obs. IV. XX. *Hallerus* in *Opusc. pathol.* Obs. XIII. *Ellerus Observat. de cognosc. et curand. morb.* p. 180. aliique.

**) Accuratissime haec letifera peripneumonia ab *Ellero* describitur l. c. p. 194. sequ. Et tristissima exempla aliquot collegit Ill. *Hallerus l. c.* obs XIV. Cl. *Wendt* diss. *obseruat. de Pleurit. et Peripneum.* cadau. 10. et 11. Ill. *Störck ann. med.* II. p. 273. Sanguis in cellulosam fabricam pulmonis effunditur, viscusque alioquin natatile, in aquam proiectum subsidet. Alias putridus et sphacelatus pulmo apparet.

***) vid. *Eller. l. c.* p. 196.

****) vid. *Lazar. River. Opp. L. VII. c.* 2. *Isbr. Diemerbroek Anat. L. II. c.* 13. p. 447. Cl. *Wendt diss. cit.* cadau. 1. et 7. et *Comment. de Bonon. Sc. Acad. T. I.* 153.

§. 194.

Iudicatio horum inflammatoriorum morborum plerumque fit septimo, nono, vndecimo, decimo quarto, aut vigesimo primo die; in quibus proinde etiam mors expectanda; quam tamen et citius aliquando contingere supra scriptum est, (§. 194.) quaeque strepitu multo in pectore, respiratione gemebunda, suppresso sputo, vultu demisso, oculis aurigine suffusis et caligine obductis, vrina tenui copiosa, pulsu paruo, celeri ac molli, et subitanea doloris cessatione significatur.

Iudicant autem maxime sputa liberalia subflaua, saltem alba, quae quo citius cocta exspuuntur, eo celeriores solutiones faciunt; et sudores calidi, vniuersales, cum vrina hypostatica; interdumque etiam alui profluuium atque haemorrhagia narium: quae duo primis quandoque diebus iam accedunt.

Sputa nigra, viridia, liuida, glareosa damnantur.

Sin

Sin autem dolores inde ſoluantur, et reſpiratio liberior fiat, bona ſunt.

Sputa, finito morbo, per plures dies adhuc cum facilitate extunduntur, et moleſtus aliquis dorſi dolor remanet.

Quidam peripneumonici non ſputa eiiciunt, ſed materiam albam, denſam, ramoſam, velut arteriae ramos. Morbus tum plerumque letiferus eſt. Rariſſime ſanguinis nigri tunica alba incluſi portio reiicitur *).

Haemorrhagia narium et haemorrhoidum fluxus intra primum et quintum diem ſalutaris eſt.

Circa quintum aut ſeptimum diem nonnullis puſtulae magnae, vrentes, quarum aliquae acerrimum ichorem fundunt, in pectore, ſcapulis et ceruice erumpunt: quod ſemper fere ſalutare eſt.

Abſceſſus purulenti nonnunquam per metaſtaſin ſub axillis et alibi ſalutariter plerumque oriuntur, et interdum ſine omni praegreſſa illinc inflammatione.

Rarum eſt, pus criticum ex aure fluere. Vbi vero hoc fit, immanis otalgia aegrum antea torquet.

Rarum etiam eſt, per urinam, aluum, aut vterum materiam purulentam critice excerni; vt quidam docti viri eiusmodi obſeruationes adeo pro fallacibus ac incertis habeant.

Raro etiam febris intermittens, ſublato morbo acuto, ſuccedit.

Bonum exitum vbique fere ſperare licet, vbi dolor hactenus fixus, die incerto, ſe magis diſſipat et in clauiculis, ſcapulis aut dorſo ſubito ac vehementius percipitur

pitur. Perindeque etiam dolor in brachiis obortus salutaris est **).

Et surditas repente oboriens bonum praesagium exhibet; sique alui profluuio superuenit, illud sistit.

Melius est, sputa nulla esse in peripneumonia, quam suppressa. Ab his enim suppuratio, aut gangraena metuenda est.

Letiferus status est, si toto corpore neruorum resolutionem aegrotus sentit, et sine sensu frigidus iacet. Is secundo aut tertio die plerumque moritur.

Ex sanguinis e vena missi conditione nulla vera nota, neque salutis, neque mortis, sumi potest.

Aeger, si moleste respirat finito morbo, in recidiuam facile delabitur; quam vero aliae quoque causae producere possunt.

*) *Wendt diss. cit. aegr.* 19.
**) *Wendt l. c. aeger* 16, 23, 27.

§. 195.

Aliquando morbus vterque inflammatorius scenam maligni ludit ob Synochum putridam *); tumque statim ab initio insignis virium prostratio et anxietas adest, facies a naturali statu recedit, sputa reiiciuntur praua, parum aut nihil plerumque leuantia, cutis arida est, lingua sicca, subfusca et fissa, mens alienata, tussicula perpetua, alui profluuium vexat, exanthemata miliaria aut petechiae inter copiosos sudores ac praegresso horrore accedunt, spasmique in naribus, labiis, brachiis, cum sudore inaequali frigidiusculo, et pulsu debili ac intermittente subnascuntur. Alui fluxus, papulaeque miliares morbum iudicant. Fausti ominis etiam plerumqne est

vlcus-

vlcusculorum in labiis eruptio. Parilis malignitas subest, si lethargus cum peripneumonia coniunctus est **). Et his quidem aegris exigua vitae spes superest.

*) Peripneumoniae malignae descriptionem vid. apud *Io. Huxhamum Opp. T. I.* p. 332. 333. *T. II.* p. 170.
**) vid. *Hippocrat. L. III. de morb.* p. 482. 488.

§. 196.

Frequentissime inflammatio thoracis et lateris in hos saeuit, qui aestuante corpore frigidum potum auidissime ingurgitant, aut frigida tempestate perspirationis successum turbant, plurimumque aeris frigidi inspirando inter anhelitus hauriunt. Potus multus spirituosus, iuxta atque durus ac impurus victus altera causa frequentissima est.

Inter rariores polyposa corpora in pulmonum vasis haerentia, & ossescentia arteriarum intercostalium referri meretur.

Praeterea febribus exanthematicis malignis ea superuenit aliquando, nec non a repressa scabie, ab alui fluxu suppresso, et in tussi epidemica generatur. Ceterum violentia externa pleuritidem producere potest.

Denique ignorare non oportet, vtramque inflammationem mares plus infestare, quam feminas, iuuenesque plus, quam senes aut pueros; et qui semel hanc vel illam inflammationem passi sunt, eidem facile pluries subiici. Non aeque verum esse videtur, ructantes acidum haud facile pleuriticos fieri; neque perpetuum, dextrum latus pleuritin frequentius occupare, ac sinistrum, tumque benigniorem esse.

Ad haec non alienum est, hoc loco adnotare, quod affectus verminosi et dolores colici et ingluuies nonnunquam

quam pleuritin mentiantur; atque etiam lienis inflammatio interdum pro pleuritide imponat.

§. 197.

Curationem sanguinis missio larga, cathartica antiphlogistica, ptissana, nitrum et paucissima alia feliciter absoluunt. Contra vero pretiosa et speciosis titulis splendida remedia ab ignorantibus medicis iactata, vt sanguis hirci, dentes apri, mandibulae lucii piscis, semen cardui mariae, et ex his compositi pulueres pleuritici incassum adhibentur.

vid. Ill. *Dan. Wilh. Trilleri Commentat. de Pleuritide, eiusque curatione.* Frf. ad Moen. 1740. 8.

§. 198.

Venaesectio, quae tam contra inflammationem, quam ad faciliorem sputorum reiectionem valet, optime in latere adfecto *), et qualicunque die, quo saeua vis morbi vrget, administratur. Raro vna sufficit, sed altera, vel tertia requiritur. Vltra vero non temere procedendum, neque indicatio ex conspicua lardosa crusta in sanguine formanda est, vtpote quae tuto remanere potest sine vllo vitae periculo, quaeque adeo non causa morbi, sed potius eius et nimis repetitae venaesectionis effectus est.

Interim vero dissimulandum non est, quod venaesectio etiam omitti possit, inprimis vbi febris non vehemens est; neque repeti debeat, quando cruor prima vice eductus nimis attenuatus deprehenditur, aut offam mollem, gelatinosam, viridem, cum pellicula tenui coerulescente ostendit, aegerue inde debilitatus fuerit. Nec pleuritis aut peripneumonia maligna sanguinis missionem facile sustinet.

Cathar-

Cathartica antiphlogiſtica ſtatim in principio, non minus ac in progreſſu morbi exhibita, tantum abeſt, vt obſint, vt potius ſumme proficua ſint, et curationem egregie facilitent. In maligno ſtatu (§. 196.) pariter ſumme neceſſaria ſunt, nec vnquam omitti debent. Nec vero vtilitate deſtituta ſunt, neutiquam vero tutiora et praeſtantiora catharticis, enemata tepida, ſingulis aut alternis diebus, ſub veſperam inprimis, iniicienda.

Ad aeſtum temperandum non minus, quam ad ſpiſſam pituitam reſoluendam, reſpirationem alleuandam, pectorisque expurgationem ſenſim promouendam, mixtura ex aqua florum roſarum, ſambuci, ſingularum vnciis tribus, nitri depurati drachmis tribus, ſalis ammoniaci depurati drachma vna, et Oxymellis vnciis duabus, per totum morbum vſurpanda egregie prodeſt, ſi per bihorium duo cochlearia plena aſſumantur.

Ptiſſanarum formulae alibi iam expoſitae fuerunt (§. 43.).

Expectorationem vero, praeter mixturam paulo ante praeſcriptam, iuuat infuſum calidum ex veronica, hyſſopo, floribus ſambuci, papaueris erratici, et ficubus. Vbi vero illud haud ſuffecerit ob nimiam pituitae tenacitatem, tum iterum ad catharticum, mannatum inprimis, et ad vſum eſſentiae galbani cum ſpiritu frumenti paratae, ſic, vt vnciae dimidiae galbani impurioris ſuperaffundantur ſpiritus dicti vnciae octo, procedendum eſt, cuius cochlear plenum quouis bihorio exhibendum. Idque remedium ex reſoluentibus potentiſſimum eſſe, atque ſimul omnino tutum, experientia me docuit.

Sin autem ſputa aut pus nimis copioſe erumpant, et

et metum suffocationis faciant, emetica medicina et infusum mannatum ea optime moderantur.

Ad dolorem pleuriticum leniendum linimentum confert ex vnguenti altheae, olei hyosciami, singulorum vncia dimidia, Camphorae drachma dimidia, quod frequenter lateri inungendum; itemque essentia galbani cum linteis lateri applicata.

Nisi vero per haec remedia neque dolor, neque laboriosa respiratio leniatur, vesicatorium magnum lateri imponendum est, aut cucurbitulae, incisa cute, infligendae.

Finito morbo homo purgandus est clementiore pharmaco, si sputa perseuerent, et sapor prauus in ore, appetentiae defectus, et capitis grauitas relinquantur.

*) vid. Petr. *Brissotus de incisione venae in Pleuritide.* Basil. 1529. 8. *Renat. Moreau de missione sanginis in pleuritide.* Paris. 1622. 8. recus. Hal. Magd. 1742. *Dau. Wipacheri genuina ratio, cur pleuritide vera saeuiente venaesectio affecti lateris, alias deriuatoria dicta, praeoptanda sit.* Lugd. Bat. 1756. 8.

§. 199.

In pleuritide verminosa, flatuosa, et ingluuiosa, cuius supra mentio iniecta (§. 197.), quaeque nomine tantum est pleuritis, non vero re, quia febre acuta sputisque caret, nec regulares crises obseruat, neque sanguinis missione opus est, neque methodo medendi refrigeratoria, sed carminatiuis et aluum ducentibus, interdumque etiam vomitione, si nempe a nimia ingluuie, atque hinc ventriculo intestinorumque tubo saburra, flatibus, spasmisque onerato ac distento ortum duxerit.

§. 200.

De *empyemate* a pulmonis vel pleurae inflammatione relicto specialia quaedam adhuc monenda sunt. Nascitur illud vel intra pulmones, *Vomicam* tum proprie appellant, vel intra pleuram, aut mediastinum. Neutrum ego quidem temere ab omissa vel serius facta venaesectione, aut a malis medicamentis deriuare velim, sed ab inquilinis prorsus causis, quum et vitatis illis medendi erroribus oriri subinde consueuerit, nec suppuratio partium inflammatarum a medico semper impediri queat. Multoque probabilius est, ab abusu venaesectionis suppurationem interdum produci, quam a paruo vel nullo eius vsu.

Empyema autem futurum esse intelligitur, si circa criticos dies nulla luculenta morbi solutio fit, si dolores neque ad exspuitionem, neque ad eductionem sanguinis, neque ad alia remedia desinunt, si symptomata continuant et aeger nihil plane exspuit, si subinde inhorrescit, si febris, cum notabili tamen remissione, perdurat, si in dolente loco obscurus dolor percipitur, si tussicula quaedam adhuc vexat, et nihil emolitur, sique in ore purulentus vel alius prauus sapor, cubatioque in affectum latus iucundior est, vel in neutrum fieri potest propter tussis et oppressionis incrementum, sed erecta ceruice obiri debet, et corpus denique contabescit *).

Formato pure latus pleuriticum se aliquantum attollit, inde valde distentum **). Pusque interdum, quod ipse vidi, intra paucos dies, vna cum pleura omnes musculos intercostales et periosteum costarum colliquando consumit putridissimum. Idem in sacco pleurae interdum inclusum est.

Empyema pulmonum intra decimum quartum diem et sexagesimum plerumque rumpitur ***). Pusque vel

ſenſim per ſputa educitur, vel vno impetu erumpit, aegrumque vel levat, vel ſuffocat, aut, ſi abſceſſus in ſuperficie pulmonis haeret, is in cavum pectoris a ruptura eius effunditur, vel denique ſuffocando ſine vlla praegreſſa reiectione necat. Interdum etiam pus varios ſacculos in pulmonibus format, quae proprie *vomicae* appellandae, ibidemque condenſatur, aut exſiccatur adeo, induraturque, vt deinceps lapillorum forma reiiciatur.

Malum vlcus inde plerumque exſurgit, pulmonem exedens atque lentam contabeſcentiam efficiens. Condenſatum pus in vomicis pluribus languidos, aſthmaticos ac tuſſiculoſos aegros plerumque reddit.

In empyemate thoracis natura interdum ſalutarem medelam praeſtat, et pus tam per aluum, quam per vrinae vias eliminat. Quod artificium vero nobis imitari non licet, qui paracenteſi cogimur humorem e thorace euocare; id quod vero non ſemper proſpere fieri, ſciendum eſt.

Pulmonis vomica variis adminiculis ad rupturam deducenda eſt, poſteaque repurganda. Quod vero quomodo fieri debeat, luculentius exponam, quum ad deſcriptionem Tabis peruenero.

*) Conferri hic merentur egregia *Hippocratis* dicta de futuri empyematis ſignis in *Coac. praenot.* 389. 394. 403. 421. 422.

**) *id.* n. 428.

***) *id.* n. 402.

§. 201.

Denique reſtat, vt de ſcirrho pulmonis, ex ipſius inflammatione orto, ſpecialiter quaedam praecipiam. Is non niſi ab imperfecta morbi iudicatione oritur; ſuſpicionemque eius inprimis facit impedimentum quoddam in reſpiratione relictum, cum grauatiuo ſenſu in aliquo pectoris loco, et tuſſicula ſicca poſt paſtum et

ab

ab exercitio. Malum non eſt letiferum, ſed priorem morbum facile reuocat. De curatione eius commodiore loco diſſeretur.

VENTRICVLI INFLAMMATIO.

§. 202.

Minus cognita antiquis quam recentioribus medicis ventriculi inflammatio, quam Gaſtritin vocant, a quam plurimis cauſis, vehementiore corporis et animi commotione, vomitorioque poſthanc aſſumto, ſudantis corporis ſubita refrigeratione, potu gelido et horaeis fructibus artificiali glacie induratis, in aeſtuans corpus abunde ingeſtis, nimia item ventriculi repletione a cibo crudo et difficilioris digeſtionis, porro febre peſtilentiali, exanthematibus et podagra regreſſis, venenis cauſticis, violentioribus draſticis, narcoticis, diarrhoea ſuppreſſa, et vicinorum viſcerum, hepatis et ſepti transuerſi, inflammatione ſuſcitatur. Ad externas cauſas grauior ictus ventriculi, et vulnus referenda ſunt.

§. 203.

Immanis ardor in ventriculo, grauisque dolor in praecordiis vna cum febre acuta remittente, modo λειπυρία, modo λυγγώδης Graecis dicta, anxietate item vpraemagna, ſingultu pene perpetuo, dolorifico, vomitu ad omnem rem ingeſtam dolentiſſimo, et pulſu intermittente, inprimis in remiſſione, hunc morbum acutum efficiunt. In quo non raro quoque mens aut deficit aut emouetur; et nonnunquam etiam conuulſiones, ac, licet rariſſime, hydrophobia *), oriuntur.

Gradus hinc morbi non ſemper idem eſt, et pro cauſarum indole inprimis differt; adeoque etiam morbus nunc citius, nunc tardius, quarto, ſeptimo, nono, vnde-

vndecimo die vsque ad decimum quintum iudicatur; sique a venenis, regressa podagra, potu frigido, et remediis drasticis productus fuerit, vel intra paucas horas mortem inferre valet. Phrenitis letalis in vigore morbi saepe accedit. Sub finem inflammatio in gangraenam terminatur, quam frigoris in praecordiis sensus, summa debilitas, pulsus languidus, et singultus hactenus deficiens significant.

At monendum est hoc loco, ventriculum vel ex toto vel ex parte inflammari; inflammatum vero non semper ita, vt oculum, hepar, pleuram, intestinum, pulmones, rubere, sed interdum prorsus album ac exsanguem in sectione conspici, cum tamen intus vndique inflammatione infectus sit.

Vicinas partes, pulmonem, lienem, diaphragma, subinde simul cum ventriculo in inflammationem rapi, etiam sciendum est.

Nec alienum est annotare, inflammationem musculorum abdominalium in epigastrio Gastritin mentiri; in qua tamen tumor magis elatus, et grauior atque sensibilior a contactu dolor percipitur.

*) vid. *Medical Essays of Edinb. T. I. obs.* 29.

§. 204.

Curatio morbi pro causarum diuersitate dirigenda est.

1) Quandocunque igitur ab inquilina causa, aut ab iracundia vehementiore, aut potu frigido inflammatio orta est, larga, et, si necesse est, iterata sanguinis missio, cucurbitulae ad regionem epigastricam sine ferro, clysteres ex mollientibus parati et pauxillo nitri acuati, balnea item, ac fomenta ex similibus, intusque

que blandiſſima ptiſana, qualis eſt decoctum album Sydenhami cum melle, aut iuſculum pulli, ſed parce tamen ingerenda, requiruntur.

2) Quodſi venenum aut aſperius emeticum in cauſa eſt, promtiſſimum praeſidium eſt lac tepidum cum oliuarum aut amygdalarum oleo feſtinanter, affatimque hauſtum, donec vsque et ardor, et dolor, omnisque latentis veneni ſuſpicio euanuerit, vomitionesque quieuerint.

3) Vbi denique a regreſſo exanthemate aut materia podagrica inflammatio imminet, eadem non ſolum facienda ſunt, quae ad n. 1. fuere praecepta, ſed et veſicatorium latum regioni epigaſtricae imponendum eſt, et linimentum leniens ac diſcutiens eidem loco inungendum, quale ex olei amygdalarum dulcium vncia et camphorae drachma componitur. Intus vero datur mixtura ex liquoris mineralis anodyni parte vna, et ſpiritus bezoartici Buſſii duabus confecta: de qua guttae ſexaginta et vltra ſingulis horis aſſumuntur.

§. 205.

Anodyna opiata, itemque ſtomachica et carminatiua vbique vitanda ſunt; ſiquidem morbum peiorem reddunt, breuique letiferum.

Nec nitrum hic tutum eſt, ob inſignem refrigerationem non minus, ac ob eminentem vim exſtimulantem, quam in ſtomacho exſerit. Hoc ergo clyſteribus ſaltem deſtinandum.

Ceterum ab omni acri, maximeque vomitorio, ad quod praebendum facile deduci medicus poſſit, vtique cauendum eſt.

§. 206.

§. 206.

Inflammatio ventriculi, inprimis quae ab inquilinis caufis nata, aliquando in fuppurationem, aliquando in fcirrhum, isque demum in cancrum abit.

Vbi tranfitus in *abfceffum* fit, qui, quamdiu tunicis ventriculi adhuc inclufus eft, *Vomica ventriculi* nuncupatur, fymptomata morbi, inprimis naufea, vomitus, atque dolor infigniter ingrauefcunt, tumque intra vnam hebdomadem, aut plures, aeger magnam vim puris atque fanguinis euomit, et quandoque etiam per aluum reddit: vtrobique quidem cum omnium fymptomatum hactenus praefentium leuamine. Vlcus nonnunquam felicem fanationem recipit. Aliquando vero viam fibi extrorfum parat et fiftulam relinquit, ex qua pars ingeftorum per totam vitam effluit. In hoc ftatu coftae quoque erodi poffunt. Ceterum erofo ventriculo interdum haemorrhagia lethalis accidit.

§. 207.

Quum ergo intelligimus, inflammationem in abscessum tendere, tum decoctis mollientibus ex radicibus altheae, liquiritiae, maluae, femineque lini, aut ptifana fimili ex furfuribus triticeis, melle, et aqua parata, parce, at frequenter calideque affumtis, vomica relaxanda et ad rupturam feftinanter deducenda eft. Rupta vero ea, ad detergentia et confolidantia procedendum, quorum illa primo die fola, reliquis cum balfamicis rebus exhibenda. Atque detergendi quidem fcopo ptifana paulo ante praecepta optime inferuit; confolidandi vero balfamum Locatelli ad dimidiam drachmam bis die datum, aut Peruuianum vel de Copaiua, vitello oui fubactum. A quibus tamen cunctis balfamicis rebus, vtpote valde calefacientibus, abftinendum, quam primum febris lenta in aegro animaduer-

maduertitur. Tumque decoctum veronicae aut virgaureae in eorum locum substituendum, quod melle recte edulcatur. Interim certe haec balsamica non admodum necessaria sunt; siquidem natura abscessum istum perinde vt alium ex angina in faucibus aut ex odontalgia in buccis natum, sponte celeriterque sanare valet. Quamdiu vero consolidatio nondum facta est, nonnisi blandissimi cibi parce offerendi sunt, et ad abstinentiam cogendus aeger est, intereaque lac per clysterem in aluum iniiciendum.

§. 208.

Scirrhus ventriculi frequentius, quam abscessus, occurrit, cum non solum, vt is, ex inflammatione, sed ex pluribus aliis causis, cacochymia, metastasi, infarctu vasorum ventriculi, ictu, liquorum ardentium et acidorum abusu nascitur. Idem plerumque partem tantum ventriculi, rarissime totum viscus *), occupat.

Signum eius principale est intolerabilis stomachi ad quaelibet assumta dolor, nulla re, nisi vomitu molesto vel citius vel tardius ingruente, leniendus. Dolor nonnullos tantopere excruciat, vt in animi deliquia delabantur. Quidam in vacuitate stomachi peius habent, quam in ipsius repletione. Ciborum desiderium sensim perit.

Malum valde longum est, et cachexiam inducit, sensim in peius ruentem. Aluus semper adstricta est, et tormina crebro vexant. Quodsi scirrhus os ventriculi occupat, letalis fames inde nascitur; si pylorum, tabes sicca letalis **). Vicinae partes, eadem labe non raro adfectae, in vnam massam cum stomacho concrescunt.

Temporis diuturnitate et per emetica atque acria

temere exhibita, in cancrosum vlcus subinde mutatur scirrhus, quod assiduos et atrocissimos dolores cum animi deliquiis, miserrimamque mortem demum parit ***).

*) vid. *Haller. Opusc. path. obs.* XXI.

**) vid. Ill. *Dan. Wilh. Trilleri* Diss. *de fame letali ex callosa oris ventriculi angustia.* Viteb. 1750. et Ill. *Ge. Aug. Langguth* Progr. *de tabe sicca letali ex callosa pylori angustia.* ib. eod. an.

***) *Fred. Ruyschii observ. anat. chir.* XXXIX.

§. 209.

Scirrhus, etiam recens, insanabile malum est, multoque magis cancer ventriculi. Si qui enim scirrhi curati dicuntur recentes (de vetustis enim nullum dubium est, quin medelam respuant) profecto non fuerunt scirrhi, sed aliud malum, quod scirrhum mentitum est. Mentitur vero talem, quod certe scio et ex incisione cadaueris compertum habeo, inflatio dura ventriculi, cum vomitionibus, etiam bilis viscidae nigricantis, crebrisque doloribus et malo corporis habitu coniuncta. Quae cum ita se habeant, nulla remedia aduersus illum commendare possum. Neque sane palliatiua cura per anodyna opiata aliquid leuaminis in dolorum cruciatu adferre valet. Suo fato igitur ineluctabili miserrimi aegri relinquendi sunt, saltemque cauendum habent, vt ne quid vel de medicamentis, vel cibis assumant, quod exasperare malum possit, cuiusmodi est medicina emetica, aut purgans, aliaue acris, cibusque omnis similis et flatuosus. Mollissimis ergo cibis, atque iusculis duntaxat pro victu vtendum, et aluus tarda per interualla lenissimo enemate sollicitanda est.

LIE-

LIENIS, PANCREATIS, OMENTI INFLAMMATIO.

§. 210.

Quae de inflammatione, ſuppuratione, ſcirrho, cancroque ventriculi hactenus praecepta ſunt, ea omnia quoque de iisdem morbis lienis, pancreatis, ac omenti valere, vbi ſedes morbi duntaxat diuerſa, ſciendum eſt. Quapropter ſpeciatim, multisque verbis de iisdem agere, ſuperuacaneum eſt; ſufficietque ſingularia quaedam paucis duntaxat animaduertere.

Minus frequenter lienis inflammatur, quam alia viſcera. Symptomata vero eius praecipua ſunt febris acuta, dolor in loco ſplenis, ad humerum, clauiculam, et ſiniſtram mammam ſe quandoque extendens. Hinc facile pro Pleuritide haberi poteſt.

Scirrhus lienis longe frequentius occurrit, ſub quo ille vel nimis tumet, ita, vt ad peluim vsque deſcendat, aut in thoracem adſcendat; vel gracileſcit et mole ſua valde minuitur.

Cancer lienis ſcirrhoſi intolerabiles dolores mouet, et eroſis vaſis viciniſque, quibuscum concreuit, inteſtinis, letalem haemorrhagiam per aluum excitat.

Pancreatis, omentique inflammati, ſuppurati, ſcirrhoſi diagnoſis obſcura atque difficillima eſt.

INTESTINORVM INFLAMMATIO.

§. 211.

Enteritis ex iisdem fere cauſis, quam Gaſtritis oritur (§. 207.) Quibus grauior dolor colicus, incarce-

rata hernia, materies dura et immeabilis inteſtinorum tubum infarciens, omneque liquidum corruptum, putridum, ichoroſum, purulentum, arthriticum, ſcorbuticum, ſcabioſum, ex ſanguine et viſceribus ad inteſtina delatum adhuc annumeranda ſunt. Lac nutricum, corruptionem acrem ex quacunque cauſa adeptum, in infantibus infirmis talem ingenerat. Vulnera inteſtinorum ad externas cauſas pertinent.

§. 212.

At tenuina inteſtina frequentius, quam craſſa, et ex his rectum frequentius inflammari ſolet.

Inflammationis vero notae hae ſunt: Grauior febris, vel praecedens aliquot horas ipſam inflammationem aut eidem ſuccedens; atrociſſimus inteſtinorum dolor, qui quidem initio plerumque latius ſe per abdomen expandit, ſubinde remittens, ſubinde rurſus immaniter ingraueſcens, deinceps vero in puncto quaſi figitur, vbi in unum locum ſe vis morbi collegit; porro ructus aſſidui inanes, nihil proficientes, aluus dura adſtricta, inflata, et flatibus murmurans, neque vero hos transmittens; vomitus frequens; et increſcente malo, ſtercoris, clyſmatum, ſuppoſitoriorum per os reiectio. *Ileum* tum vocant abominabilem iſtum morbum, itemque *voluulum*, quoniam intra ſe inteſtina, praegreſſa conuulſione, nunc vno loco, nunc pluribus, recipiuntur *).

In inteſtini recti inflammatione ſimul continuus teneſmus praeſto eſt, quo mucos albus copioſe exprimitur, atque ipſum inteſtinum tanquam pannus ſcarlatinus rubens, non ſine immaniſſimo dolore, ex ſede ſua protruditur. In viris ſaepe etiam ſtranguria moleſta vrget.

*) Ignorare vero hic non oportet, inuaginationem inteſtinorum non in omni Ileo contingere, neque conſtantem

tem eius causam esse, sed ab aliis vitiis istum etiam produci, velut a continuo alui fluxu (*Abr. Vate* Progr. *de inuaginatione intestinorum*, Viteb. 1727.) a calculo intestinali (*A N. C. vol V.* 81. *VI.* 100.) a conuulsionibus subito letalibus, (*Eller obs.* p. 259.) ab intestino aliqua parte valde constricto, aut in tumore quodam incluso, ab omento item scirrhoso, et compactis atque induratis scybalis (*Mem. de l'Ac. de Chir. IV.* 12.). Praeterea vero sciendum est, inuaginationem intestinorum quandoque esse potius effectum, quam causam ilei.

§. 213.

Vltra nouem dies Enteritis vix persistit, imo iam primo die interdum necat, inprimis a praepostere adsumtis carminatiuis acrioribus excitata.

Exitus salutaris per discussionem fit; ominosus per abscessum et scirrhum; letalis per gangraenam.

Discussio facta ex reclusa aluo, feces subcruentas atque biliosas plerumque demittente, cognoscitur. Aeger autem restitutus dolorem obtusum in affecto loco saepe aliquamdiu adhuc percipit.

Abscessus futurus ab horroribus febri se sine causa immiscentibus, et acuti doloris in obtusum atque grauem mutatione indicatur. Effusio puris intra quatuordecim dies plerumque contingit, sic quidem, vt non semper id in intestinorum canalem deferatur, sed quandoque etiam extrorsum, aut in abdominis cauum; vnde letalis tabes lente nascitur, quae tamen etiam in priori casu non semper abest, vbi pus per aluum fluit, et cum ipso saepe integrae intestinorum membranae separatae exeunt. Rarius pus etiam per vesicam exit *). Rarissime id ipsum ab inferiori parte intestini indurata ex ipsa inflammatione, et contracta retinetur, et gangraenam letalem deinde producit **).

Scirrhus ex protracta et non admodum valida inflammatione metuendus est. Formatus autem inde cognoscitur, si dolor praemens et obtusus remanet et aluus praeter consuetudinem nunc tardius post quatuor, sex et plures dies, non sine multa molestia ac torminibus, secedit, et per omnem vitam tarda perseuerat. Si maior scirrhus fuerit, et in superiore loco, vt transitum pene omnem excernendorum per intestinorum canalem impediat, aegri vix vnquam aliquid ex aluo exprimunt, sed post aliquot dies inter summam anxietatem omnia reuomunt, quae toto hoc tempore assumserant; idque malum per plures annos toleratur. Ad satis magnam molem distentus scirrhus, et in superiore aliquo loco positus, grauitatis et distractionis sensum in abdomine sub quolibet motu infert, et tactu etiam aliquando deprehenditur. Ex scirrho denuo fieri potest ileus, idemque letalis.

Transitus in gangraenam cognoscitur, si abdomen intumescit, si calori magno succedit frigus, si intestinis hactenus acute dolentibus omnis doloris sensus perit, si deiectio obstinate supprimitur, aut sponte citaque sequitur, foetidissimis fecibus, liquidis, cineritiis, saniosis, nigricantibus sine sensu, ex indolentia intestinorum, egressis. Sphacelo affectum intestinum interdum rumpitur, et secum illuuies in ventris cauum effluit***).

*) Obseruauit hoc *Aretaeus de caus. morb. chron.* L. I. c. 9.
**) vid. *Elleri obseru.* p. 263.
***) vid. *River. Observ. Cent. III.* 26.

§. 214.

Omnia auxilia in tam graui morbo cum maturitate rapienda sunt; et protinus quidem, etiamsi dolor tantum vrgeat absque febre atque vehementi calore, sanguis

guis e vena liberaliter mittendus eſt, miſſioque etiam, prout febris et doloris augmentum requirit, repetenda; ſimul vero cucurbitulae pluribus locis defigendae ſunt, non vbique quidem inciſa cute; tum aluus ter de die clyſtere emollienti ex avenae cremore percolato cum oleo et melle, aut ex ſolo rutae oleo, per decoctionem facto, calidoque ducenda, et totus venter linimento ex unguento altheae, oleo carminativo, et pauxillo camphorae compoſito inungendus, ſupraque cataplaſmate calido obtegendus; aut, ſi fieri poteſt, aeger aliquoties de die in balneum calidum, ex fluviatili aqua cum furfuribus cocta et multo lacte admixto paratum demittendus. Et ſaepe id auxilii in his partibus magnum remedium eſt *). Interdum vero et lintea aqua frigida madida cum ſucceſſu applicari, ſaepeque plus praeſtare, quam fomenta calida, idonei autores teſtantur.

Intus vero attenuantia, humidantia, antiphlogiſtica et anodyna dari debent. Aqua frigida copioſe hauſta, tecto probe corpore, hoc nomine maxime commendanda eſt, aut in vicem eius decoctum hordei et raſurae cornu cerui, cuius libris tribus remiſcentur oxymelitis duae unciae. Idque etiam liberaliter ſumitur, eiusque cyatho ſingulis horis vel longiore intervallo laudani liquidi Sydenhami guttae decem adiiciuntur. Calefacientia et ſpirituoſa peſſime inflammationem exaſperant et gangraenam invitant. Idque etiam de purgantibus acrioribus noſcendum eſt.

Aeger vero ſervabitur, ſi per haec remedia conſecuti ſumus, ut dolor et febris quieſcant, ſpiritusque una cum fecibus ex inferiore parte transmittatur. Atque tum demum uti molliore cibo licitum eſt; ſed neque inflante, neque valido, ne inteſtina adhuc imbecilla laedantur; potui vero nihil praeterquam puram aquam aut decoctum aqueum.

 *) vid-

*) vid. *Medic. Essays of Edimb.* T. III. p. 373. *Elleri observ.* p. 262.

§. 215.

Atque haec remedia, quae spasmos insigniter relaxando, dolores leniunt, in omni intestinorum inflammatione fere communia sunt. Specialia vero haec sunt.

1) Vbi inflammatio a rebus duris intestina obstipantibus imminet, exhibere oportet per intervalla potiones purgantes paullo fortiores, ex foliis Sennae, manna, tamarindis, et cremore tartari; aut saltem oleum lini *), vel olivarum, aut amygdalarum cochleari mensura, singulis horis, cum iusculo calido; simulque clysteres emollientes ac stimulantes ex decocti seminis foenugraeci et olei rutae cocti singulorum sex unciis, et nitri depurati uncia dimidia, ter vel quater in die iniicere. Quodsi vero per haec alvus intra quatuor et viginti horas, cum bis repetita potio purgans fuerit, et tres vel quatuor clysteres iniecti, haud aperiatur, ipsumque pharmacum vomitu reiiciatur; protinus ad hydrargyri usum procedendum est, eiusque omni horae quadrante drachmae duae usque ad unciam deglutiendae, superbibendo carnis iusculum; sicque pergendum, donec circiter libra integra consumta sit: sique intra quatuor vel sex horas aeger, quem, si fieri potest, in conclavi obambulare oportet, stimulum ad exonerandam alvum non sentiat, idem remedium iterum exhibendum, simulque clysteres aliquot per intervalla in alvum ex inferiori parte iniiciendae sunt: sique demum mercurius vivus viam expediat, potione mannata utendum, quo materia obstruens, quam nunquam fere una vice is educit, paullatim eliminetur **. Sin autem nec per hanc rationem Ileus aut obstructio expediatur, ope machinae hydraulicae in Italia

Italia nuper repertae multa aqua tepida ex inferioribus partibus impetuose in alvum per intervalla quatuor circiter horarum iniicienda est ***). Vbi vero haec non ad manus fuerit, aut speratum effectum haud praestiterit, ad aliud curandi genus, idemque summe desperatum, tandem est procedendum, ad ipsam nempe ventris incisionem, ubi intestina sensim educuntur, volvuli locus quaeritur, inventusque digitis explicatur: quo facto intestina reponuntur atque vulnus consuitur. Enimvero, ut id opportune fiat, nec ubi iam signa gangraenae adsunt, tenendum est; ne, qui servari sic non potest, a nobis interemtus videatur. Nec mercurius quidem vivus in posteriori casu exhiberi debet.

*) Huius egregium usum nuper denuo praedicavit Cl. *Io. Godofr. Gallesky* in *der Abhandl. vom Miserere.* 1767. 8.

**) Sunt, qui globulos plumbeos in vicem mercurii devorare aegros iubent; verum tristia exempla nos illis uti vetant, siquidem hi ipsi immobiles haerere in intestinis et inflammationem excitare consueverunt. vid. *Act. Nat. Cur. Vol.* X. p. 22.

***) Quantopere superet hoc remedium omnia alia, etiam hydrargyri usum, et clysterem tabacinum, Cl. *Io. Videmar*, Medicus Milanensis, per experimenta cum felicissimo successu in tribus aegris instituta probat in *Giornale di Medicina*, *T. II.* p. 245. cf. Ill. *de Haen rat. med. T. VIII.* c. V. p. 241. sequ. *T. IX.* p. 214. sequ. ubi Cl. *Videmar* per literas significat *Haenio*, sibi iterum curam in duobus aegris feliciter citoque successisse. Simillima huic est antiquorum *curatio per utrem*, hodie prorsus oblita, qua in desperato casu, irritis purgantibus, relaxantibus, et clysteribus, folle fabrili in ventrem indito flatus immittebant, ad contractum intestinum distendendum. vid. *Hippocr. L. III. de morb.* p. 493. *Alex. Trallian. L. X. c. I.* cf. *Amat. Lusitan. Curat. medic. Cent. I.* 100. *Epiphan. Ferdinand. hist.* 74.

§. 216.

2) Sin ab hernia incarcerata inflammatio orta est, atque purgantibus et clysteribus alvus non solvitur, nulla efficacior medicina reperitur, quam emetica, vel clyster tabacinus *) tam diu applicatus, donec aeger deiiciendi conatum sentiat. Epithemata insuper adstringentia ex maiorana, abrotano, alumine et aceto vini parata tumori assidue imponenda sunt. De emollientibus enim, utut valde usitatis, noscendum, quod plus obsint, quam prosint, regressum intestini magis impediendo, quam facilitando, dum flatuum vim et contentorum putredinem in tumore augent, ipsumque motum peristalticum, relaxando intestinorum fibras, valde debilitant.

3) Vbi a regressa materia exanthematica aut podagrica malum ortum, praeter haec, quae supra (§. 214.) praecepta, vesicatorium satis latum ventri imponi debet.

4) Quodsi denique in infantibus lactantibus inflammatio obtigerit, clysmata emollientia duntaxat, et semicupium cum linimento supra descripto, et terrea demulcentia, leviterque anodyna, velut pulvis Marchinis cum Croco, conveniunt.

*) V. Cl. *Io. Gottl. Schaeffer* egregiam machinam huic scopo inservientem excogitauit. vid. ei. *Tr. vom Nutzen und Gebrauch des Tabackrauchclystiers*, Regensb. 1766. edit. 2d. 4. c. fig. Aliam, quae hic etiam describitur et delineatur, invenit Ill. *de Haen*; aliam Cl. *Nokkenius* in *den Abhandl. der Hollaendisch. Gesellsch. der Wissensch. T. II.*

§. 217.

Vbi signa docent, abscessum fieri (§. 213.), iisdem remediis vtendum est, quae alibi praecepi, cum de curatione

ratione abſceſſus ventriculi ſcriberem. (§. 207.) Quodſi inteſtinum mediante pure, ut aliquando fit, cum peritoneo concrevit, abſceſſum extrinſecus aperiri oportet.

In ſcirrho pariter ea facienda ſunt, quae de eodem malo illinc ſcripſi. (§. 209.) Quamquam et hic noſcendum, quod ars in diſſolvendo illo nihil valeat; et tolerabile ſaltem malum tenuiſſimo victu et clyſmatibus emollientibus reddi poſſit. A purgantibus quam maxime abſtinendum, quippe quae ſumme pernitioſa.

Gangraena nullam curationem recipit, niſi inteſtinum extra abdomen, ut fit in hernia incarcerata, pendeat. Sciendum tamen, nec hic ſemper curationem feliciter ſuccedere. Decoctum interim corticis Peruviani locum hic habet.

HEPATITIS.

§. 218.

Minus frequens eſt apud nos Hepatis inflammatio atque ſuppuratio, aliter ac in utraque India, ubi populariter is morbus acutus graſſatur *). Multoque rarius hepatitis cum peripneumonia ſimul afficit; id quod quidem accidere poſſe, ex cadaveris ſectione mihi conſtat.

Signa vero inflammati hepatis haec ſunt: Horror validus eſt: febris acuta continua: vehemens et perſeverans dolor dextra parte ſub praecordiis eſt, idemque ad latus dextrum et ad iugulum humerumque partis eiusdem pervenit: nonnunquam manus quoque dextra torpet: decubitus in utroque latere dolorificus, certe in ſiniſtro, eſt: reſpiratio laborioſa eſt: tuſſis frequens

ſicca

ſicca, brevis, ac dolorem augens: urina flammea emittitur: inque cute atque oculorum albo ſecunda vel tertia die, aut ſeriori icteritius color plerumque *a*) apparet. Vbi male eſt, hypochondrium dextrum tumet, et bilis euomitur: interdumque ſingultus prope ſtrangulat, et alvi fluxus praeſto eſt, inque nonnullis macula rubra extus in cute conſpicitur **).

Perfacile minus curioſis medicis aut imperitis iecinoris inflammatio pro ventriculi inflammatione aut pleuritide imponit. Sed poteſt omnino etiam gaſtritis cum hepatite coniuncta eſſe; idque tum fieri exiſtimo, ſi vomitus atque ſingultus praeſto ſunt ***). Aliquando etiam pulmonis inflammatio iecinoris inflammationem mentitur ****).

*) vid. *Medical facts by Fr. Home*, p. 153. & *Iac. Lind eſſay on diseaſes incidental to Europeans in hot climates.*

a) Ex communi Medicorum ſententia icterus quidem nunquam abeſt in hoc morbo. Sciendum vero eſt, illum omnino abeſſe poſſe, ſi diarrhoea ſtatim in initio morbi ingruit; quamquam id non ſemper ita evenire, mihi quoque ſatis conſtat.

**) vid. *Io. Bapt. Bianchi Hiſtor. hepat.* T. I. p. 434.

***) vid. *Eph. Nat. Cur. Cent.* 4. & 5. obs. 145.

****) vid. *Morgagni de ſed. & caus. morb. Epiſt. XX.* 30.

§. 219.

Inde a quarto die usque ad vigeſimum reſolutionem aeque, ac mortem ſperare licet. Iſtaque bilioſo ac cruento alvi fluxu, haemorrhagia narium, urina craſſa cum ſedimento lateritio, et ſudore copioſo, quo induſia interdum ſubflaveſcunt, abſolui conſuevit. Interdumque, ſed raro, accidit, ut eryſipelate in facie,

cie, absque ulla alia excretione critica, ſolvatur morbus *). Mortem plerumque phrenitis antecedit.

*) *Bianchi* l. c.

§. 220.

Quandocunque hepatitis in ſuppurationem tendit, tum nulla reſolutionis ſigna, certe non perſecta *), apparent; color icteritius corporis perſeverat; dolori aliquid pulſantis et febri nonnihil horroris ſe immiſcet.

Vbi ea facta eſt, in loco antea dolente plerumque gravitas ſentitur, et ſitis vexat, et icterus permanet: ſique vomica in externa hepatis parte haeret, ea extus in tumorem elevatur, integumentaque ſenſim interdum erodit, extusque erumpit *a*).

Apoſtema vero in interioribus haerens, vel totum hepar ſenſim exedit **), vel ruptum in abdominis cavum pus ſanioſum effundit ***), vel intra inteſtina, ubi tandem per alum deſcendit, ſique cadaveroſi odoris eſt, mortem demum inducit ****).

Interdum materia purulenta per metaſtaſin ad varia loca, ventriculum, renes, pulmones deponitur, aut ad quaedam horum per viſcerum concretionem viam ſibi facit.

*) Vrinam ego quidem ſemel vidi criticam, at nullos ſudores: interim aeger poſt ſuppurationem rurſus lectum reliquit, appetens bene cibos & dormiens, donec aliquot hebdomadibus elapſis ſubito in novum horrorem ac febrem incidit, quae biduo poſt, impetuoſe exſcreato multo ſputo purulento, letum ſub anxietate ſumma accerſivit. In ſuprea hepatis parte ingens apoſtema detectum fuit.

a) vid. *Eller obs.* p. 221.

**) vid. *Klaunig noſocom. charit. obs.* 21. *Eller l. c.* p. 229.

***) vid.

***) vid. *Halleri opusc. pathol. obs. XXXII. hist. III.*
****) *Kiaunig l. c.* Nunquam quidem feliciter evenire suppurationem hepatis, Cl. *Home l. c.* asserit, experientia sua innixus; exempla tamen fausti successus a Cl. *Cheston* l. c. p. 21. et Cl. *Lind* l. c. et ab aliis notata sunt.

§. 221.

Permultae caufae hepatitin inferunt; ad quam hepar praegrande, lapides in iecinore et vesica fellis haerentes, vermes in hepate aut ductibus biliariis, et steatomata, aliaeque hepatis indurationes dispositionem faciunt.

Lapsus atque gravior ictus hepatis, et vulnera capitis notabiliora *) ad externas pertinent: ad internas vero bilis intemperies, sanguis tenax et piceus, subitanea corporis refrigeratio, excedentes vomitiones, venena varia, apoplexia, coma, epilepsia, paralysis, denique materia scorbutica, purulenta, ichorosa, ex ulcere vel interno vel externo ad hepar deposita. An etiam pinguedo ex omento per validum corporis motum aut acutam sebrem affatim fusa, et humorum orbitae subito mixta?

*) Ista suppurati hepatis frequentem causam esse, docet cum aliis Cl. *R. B. Cheston* in *pathological inquiries and observations in Surgery.* p. 32. et 122.

§. 222.

Atque pro discrimine harum causarum hepatitis modo levior, modo gravior et acutior esse consuevit. Et persaepe febrem lentam eadem relinquit, posthaec demum letiferam. Inprimisque a suppuratione haec contingit. Praeterea abscessus in longum trahens hydropem inevitabilem affert. Levior inflammatio interdum

dum epidemice grassatur. Gravior aliquando subitam mortem inducit, inprimis si ventriculus simul in consensum rapitur *).

*) vid. *Eph. Nat. Cur. l. c.*

§. 223.

Ad sanandum morbum resolutio stagnantium humorum quovismodo tentanda est. Quod fit sanguinis missione in brachio vel pede affecti lateris, diluentibus et quae putredini hic metuendae resistunt; externe vero per discutientia et clysteres.

Pro diluente remedio ptisana hordei cum mulsa et pauxillo nitri, aut cum oxymelite inservit.

Aestui et putredini succurritur mixtura ex aquae florum sambuci unciis sex, nitri depurati, concharum citratarum, singulorum drachmis tribus, syrupi acetositatis citri uncia una; quae cochleari mensura singulis horis exhibetur: aut elixir acidi Dippel. drachmis tribus, mixturae simplicis drachma una, in unum mixtis et ad viginti guttas ex patella aquae per bihorium datis.

Discutiendi scopo epithema ex decocto aquoso herbae absinthii, florum sambuci, meliloti et seminis cumini parari potest; in cuius libra dissoluitur saponis veneti uncia dimidia. Adhiberi etiam potest in vicem huius epithematis linimentum, quod supra in pleuritide praescripsi. In graviore malo vesicatorium latum hypochondrio dextro imponendum, aut cucurbitulae toti hypochondrio, incisa altius cute, ut multum sanguinis effundatur, adsigendae sunt.

Clyster optime ex decocto malvae cum melle et nitro conficitur, et bis vel ter de die iniicitur.

§. 224.

§. 224.

Praeterea excretio materiae morbi coctae, languente natura, omni modo ſuſtentanda eſt; iſtaque eo ducenda, quo maxime vergit.

Quocirca, ſi per alvum fit, tum clyſteres immitti, tum infuſum tamarindinatum ſorberi, aut cremor tartari ſaltem ſumi vel per ſe vel cum rheo mixtus debet: ſin autem per urinam, decoctum radicis apii vel ononidis cum oxymelite: ſi denique per cutem, diaphoreticis apozematibus ex ſcordio, veronica, et floribus ſambuci utendum, aut conchis praeparatis cum tartaro vitriolato et antimonio diaphoretico remixtis.

Vbi a retento et acriori pure hepar conſumitur, et in ipſum ſanguinem ſe ichoroſa liquida effundunt, nulla medela, et ne palliativa quidem, locum habet. Interim tamen gratiora acida, cuiusmodi ſunt ſuccus citri, aurantiorum, aut vinum rhenanum multa aqua, fontana vel Selterana, dilutum crebro exhibere aegris convenit.

§. 225.

Si in anteriore et convexa hepatis parte abſceſſus ſedet et elatum tumorem efficit, ancipiti cultro vel acu triquetra *) pertundi alte debet et pus contentum evocari; licet vix unquam felix eventus eſt, inprimis, ubi ſanies putrida, nigra aut fuſca effluit, eademque ſpecillum nigro colore inficit. Chirurgia ulterius docet, quomodo ulcus apertum tractandum ſit. Intra illud tempus autem acida grata ſupra nominata conveniunt.

Sed vide, ne aneuryſma ſpurium in dorſo pro abſceſſu hepatis habeas, ex cuius inciſione ſubita mors inducitur **).

*) Indi

*) Indi elatum iecur eadem pertundunt. vid. *Home medical facts.* p. c.

**) vid. *Halleri Opusc. pathol. obs. XXXII. hist. II.*

§. 226.

De scirrho hepatis, qui tam ex inflammatione, quam ex aliis caussis nascitur, libere et aperte profiteor, istum et cognitionem meam effugere, et, siquidem cognoscendus sit, incurabilem tamen prorsus mihi videri.

Icterus longus, immedicabilis, dolores atroces in abdomine, sanguinis per ventriculum et alvum eruptio, perperam sane prosignis huius mali venditantur veris ac indubiis, quum tam saepe medicos fefellerint, qui in obstructo ac indurato hepate pathematum istorum caussam quaesiverunt. Etenim scirrhi non raro reperti sunt in hepate, cum horum symptomatum vel nullum adfuerit; vicissimque non sunt visi, cum simul vexaverint diu aegros.

Longe facilius etiam asseritur, quam probatur, quod quo recentior scirrhus sit, eo maior spes sit resolutionis. Ecquis enim recentem agnoscat scirrhum, cum nec ipse aeger eius sensum habeat?

Quale remedium capax sit fundendi scirrhum, ego pariter nescio. Si quid vero exhibere aegro sub coniecturalibus eius signis liceat, neque fas sit, eum, quem curare non possis, deserere, extracta ex saponaceis plantis parata, decoctum taraxaci, tartarus tartarisatus, similiaque salia fundentia ipsi pro euphoria dari poterunt.

NEPHRITIS.

§. 227.

Inflammatorius renum morbus, utcunque rarus, a diversis causis producitur, velut a contusione, vulnere, abscessu, tumore, valido corporis incurvati nixu, diuturna equitatione aut vectione in rheda, aut cursu intento ac longo, iterata item ductuum uriniferorum strictura, lapillo in pelvi aut uretere haerente, acrioribus diureticis: quae quasi proprias nephritidis causas constituunt. Aliae communes sunt. Decubitus diuturnus in dorso occasionalem praebet causam.

§. 228.

At inflammatio frequentius renem sinistrum, quam dextrum, rarissime utrumque *) exercet, et sic cognoscitur: Dolor in eum locum, ubi ren positus est, modo levis, modo gravis, incidit; urina admodum rubra parce fluit, vel prorsus demum intercipitur; vomitus et ructus frequens est; febris acuta, aut saltem febricula plerumque affligit. Si gravius malum, stupor aliquis aut tremor in crus respondens, et dolor in testem ac inguen affecti lateris ingruit.

*) Talem casum V. C. *Paul. de Wind* Ill. *Swietenio* communicavit, *Comment. in Boerh. aphor. III.* p. 229. §. 994.

§. 229.

Intra septem aut ad summum quatuordecim dies morbus plerumque iudicatur vel discussione, vel suppuratione.

Discussio per sudorem et largam urinae crassioris, et

et plerumque fuſcae miſſionem contingit. Aliquando etiam fluxus haemorrhoidalis iuvandae ſolutioni eſt.

Suppuratio incipiens ex horroribus vagis et pulſatione cognoſcitur; facta vero ex remiſſione doloris, gravitate et ſuſpenſi velut ponderis ſenſu, ſtupore inflammati renis, ſtranguria, atque puris cum urina, quae inde foetet, effluxu, carnoſis particulis innatantibus, ſignificatur; ex quo aegri tarde plerumque pereunt. Interdum etiam pus per alvum deſcendit. Sique ren ex toto purulentus fuerit, aliquando is, ſed rariſſime ad ſpinam intumeſcit*). In ſaccum autem purulentum ſucceſſive converſus ren diu ſuſtinetur, et poſt aliquot demum annos, ſub continuo puris cum urina ſeceſſu, tabe demum perimit.

Scirrhus ab inflammatione relictus, immedicabile malum, ſtuporem crurum et mictum parcum facit, tandemque tabem ac hydropem infert.

Gangraenae, in quam pariter nephritis terminari poteſt, ſignum proprium eſt urina, ſi qua exit, livida atque putrida, aut carunculis fuſcis nigrisque foeda. Interdumque dorſum ſimul liveſcit. Is ſtatus quidem non aeque hic, ac in aliis viſceribus, mortem ſemper adferre nonnullis doctis viris videtur, quoniam humores putridi, parteſque emortuae per ureteres exire poſſunt: id autem unquam factum eſſe, nulla obſervatione, mihi certe cognita, adhuc conſtat.

*) vid. *Hippocrat. de intern. affect.* p. m. 561.

§. 230.

Si quid materiae inflammatae intra renum inflammatorum ſubſtantiam haerentis non reſolvitur, aut de purulenta quidquam remanet, arenulis aut calculo re-

nali inde facile ſuppeditatur occaſio. Siquidem iſtiusmodi materies baſin praebet materiae calculoſae, quae vel in ſaniſſimi hominis urina continetur.

§. 231.

In curatione inflammati renis oportet ſanguinem e vena mittere: cucurbitulam renibus in regione coxendicis adhibere: alvum clementioribus pharmacis ſolvere; refrigerantia medicamenta, velut nitrum, tartarum vitriolatum, emulſiones ex ſeminibus frigidis, ſumere: mulſum, lac, aut ptiſſanam liberaliter bibere: adhaec etiam cataplaſmatibus vti, et, ſi calculus inprimis morbum genuit, ſimul clyſteres emollientes in alvum infundere, et in aquam calidam deſcendere: denique ad dolores et ſpaſmos et vomitus leniendos, aquam mulſam cum laudano liquido Sydenhami potui dare: ceterum ubique molliter cubare, decubitum in dorſum vitare, et ab his abſtinere, quae valde urinam citant.

Catheter incaſſum hic in veſicam immittitur, in urinae reddendae impotentia.

Renibus exulceratis auxilio ſunt pilulae ex therebinthina et ſucco glycirrhizae confectae; emulſiones ex ſeminibus cucumeris et nucleis pini, cum decocto aquoſo ſeminis aniſi et pauxilli croci paratae; itemque lac vel per ſe vel cum fonte Selterano mixtum, et ſerum lactis, et tinctura ſuccini ſine alcali. Pro potu etiam inſervit mulſa aquoſa, et hordei cremor cum melle modico. Curatio omnino longa eſt.

Quodſi vero ren ſuppuratus in dorſo tumorem effecerit, et materies proinde extrorſum exitum moliatur; oportet iſtum ſatis altis plagis et mature incidere, antequam humor ſibi ſinus longe lateque per vicina

loca

loca paraverit; Nephrotomiam vocant. Fistulosum equidem ulcus in dorso plerumque relinquitur; ex quo vero nulla noxa aegro emergit. Ad ulceris repurgationem internus atque longus usus uvae ursi videtur proficere.

Vbi denique, transitu in gangraenam facto, dorsum livido colore infectum apparet; necesse est, gangraenoso tabo exitum profundis incisionibus conciliare, neque alia auxilia, quae gangraenae coercendae sunt, omittere; de quibus in Chirurgia praecipitur.

VESICAE INFLAMMATIO.

§. 232.

Nulla fere fit huius morbi a recentioribus autoribus mentio; non est tamen is praetermittendus, cum valde gravis sit et penitus horrendus, sic, ut celerrimum interitum adferre possit *).

Atque principem fere locum inter eius causas occupant deficientes vel suppressae sanguinis per menses haemorrhoidesve egestiones; dyscrasia arthritica, rheumatica, scorbutica; ulcera prostatarum aut vesicularum seminalium venerea; uteri ulcus; diuretica acriora; et metastasis in acutis, quae tamen rarissime in hoc viscere contingit.

Vehemens ictus abdominis ad externas causas pertinet, quo ego in cadavere detexi morbum, undecimo die letalem.

In aetate virili, magis etiam in senecta, viget morbus.

*) vid. *Hippocrat. Coac.* 471. *Aretaeus L. VI. c.* 9.

§. 233.

At ſi inflammatio veſicam exerceat, eam hae notae manifeſtant: dolor acutus, ardens, preſſorius in regime pubis, ad lumbos etiam, et totum hypogaſtrium procedens; perpetuus et ſumme dolorificus ad mingendum atque deſidendum conatus, ſubſequente urinae reddendae impotentia; et febris continua, ſaltem febricula. Quibus, ſi valde acuta eſt paſſio, alia pathemata, abdominis tumor a diſtenta veſica *) oblongus et durus, tormina ventris, praecordiorum anxietates, vomitiones, alvi adſtrictio, extremorum frigus, pervigilium, mentis alienatio, pulſus inaequalis, convulſiones et ſyncope ſe adiungunt. Morbum autem praecedit interdum per intervalla dyſuria quaedam, aut urinae incontinentia.

Quodſi veſica ab ulcere proſtatarum aut veſicularum ſeminalium comprehenſa fuit (§. 232.), urinae quidem nulla adeſt retentio, ſed craſſum, mucilaginoſum, atque purulentum ſedimentum copioſe iſta dimittit.

*) vid. *Act. Haffn.* 1679. obſ. 121. *Steph. Blancardi anatom. pract. Cent. II. obſ.* 17. *Car. Biſſet medical eſſays and obſervations.* XII. p. 143.

§. 234.

Exitus morbi non alius eſt, quam ceterarum inflammationum; ſolvitque eum urina craſſa, copioſa, et doloris ſucceſſiva remiſſio. Remanet autem diu aliquando aliquis veſicae tumor, cum incontinentia urinae aut ſaltem impotentia eam diu retinendi *a*).

Si non ſolvitur, in ſphacelum letalem, aut in ſuppurationem, cuius anceps eventus, propter ſphacelum inprimis, nunc etiam adhuc metuendum *), terminatur.

minatur. Suppuratio autem inde a quarto die usque ad decimum quartum contingit.

Veſica vero exulcerationem experta tormentum vehemens in pectine, imoque ventre movet; urinae difficultas vel etiam incontinentia urget; urina foetet; pus in eadem ſubſidet, et ſquamulae vel laminis ſimiles inſunt particulae.

Exulcerata veſica, ſi non ex ſphacelo, ut paulo ante dictum, celeriter necat, plerumque tabem lente infert, ſaepeque etiam inteſtinum rectum erodit; unde nunc cum urina ſtercoreae partes, et aliae res aſſumtae, exeunt, ipſumque lotium involuntarie quoque ſecedit **).

a) *Biſſet* libr. cit. p. 144. 145.
*) vid. *Breslauiſch. Verſ. XXXI.* p. 204.
**) vid. *Blancardi anat. pract.* II. 17.

§. 235.

Curatio nihil fere ſingulare a praecedentibus habet. Praeter ſanguinis detractionem et clementiora purgantia et emulſiones nitroſas, quibus febris et ſanguinis impetus verſus locum inflammatum ſenſim infringitur, clyſteres conveniunt ex emollientibus et anodynis, oleo lini vel olivarum, in quo crocus et pauxillum opii cocta, itemque iniectiones ex oleo et pauculo opii, et cataplaſmata ex radice altheae, ruta, et ſeminibus foenugraeci ac aneti parata, quae regioni pubis ſedulo imponi debent. Vſus balnei quotidianus etiam perutilis eſt. Vrina quotidie ſemel e veſica, immiſſo cathetere, educenda eſt. Ceterum multa potio vitanda, et ab iis abſtinendum, quae urinam citant. Potioni vero optime aqua mulſa inſervit.

Si cognitum fuerit, malum a dyscrasia rheumatica vel alia ortum esse, vesicatorium latum internae parti femoris applicari oportet.

Tumorem vesicae cum incontinentia urinae aliquando remanentem sensim tollit pilularum saponacearum usus, decoctum radicis bardanae, et fotus ex sapone veneto paratus.

Pus reddentibus per urinam, lactis potio auxiliatur, et ptisana ex glycirrhiza, apiique semine. In hanc etiam chamaedris et veronica recipi possunt; itemque quoque cum ea aut cum lacte contrita semina papaveris albi et nuclei ex pinu potui dari. Ac insuper quoque recte aqua mulsa, in qua hypericum aut veronica aut agrimonia decocta, vel lac cum paucula mellis et cucumeris semine detritum in vesicam niicitur.

VTERI INFLAMMATIO.

§. 236.

Ex internis aeque ac externis causis nascitur uteri inflammatio, vel totum viscus vel partem ejus saltem exercens.

Internae sunt mensium et lochiorum suppressio aut parcus saltem fluxus, laboriosus partus, secundinarum retentio aut violenta extractio, abortus, enormis vomitus, animi affectiones sub mensium vel lochiorum fluxu, exaestuatio corporis subsequente abdominis refrigeratione, potus frigidus a vehementiore motu in corpus nimis calidum ingestus, fluentibus inprimis lochiis, mensibus vel haemorrhoidibus, denique colica convulsiva, atque gravior hysterica affectio.

Externae

Externae vero ſunt abdominis gravior contuſio, vulneratio, caſus in torrentem, inceſſus pedibus nudis per aquas aut pavimenta frigida, praecipue ſub menſtruorum fluxu, et quaevis alia abdominis refrigeratio.

Verum tamen ex his cunctis cauſis nulla eſſe frequentior, quam ſuppreſſio lochiorum, ſecundinarum retentio, ſanguinis quidem ex utero excluſione impedita, violenta item earundem extractio, et extra partum abdominis, maxime ſub menſtruorum fluxu, refrigeratio conſuevit.

Neque vero ab iſtis cauſis abſolute ſemper inflammationem produci, ſciendum eſt. Inprimis vero mulieres tenerae, ſenſibiliores, in vehementes animi commotiones pronae, pathematibus ſpaſmodicis et flatulentis obnoxiae, dolorificum menſium fluxum, aut inordinatum expertae, primiparae, in febrem uteri inflammatoriam incidere ſolent.

In puerperis quarto, quinto, vel ſexto die morbus accedit, quum antecedentibus optime valuerint.

§. 237.

Notae inflammati uteri hae ſunt: ardor et dolor fixus in toto abdomine, aut inguine, inflatio ac durities ventris totius vel in uno tantum latere, difficilis mictus, deſidendi frequens ſtimulus, et febris gravior acuta cum ſuis ſatellitibus et purpura plerumque alba, ſanguinisque lochialis retentione.

§. 238.

Vbi non admodum magna inflammatio eſt, ea quarto vel ſeptimo die, ubi gravior, nono, undecimo, decimo quarto iudicatur vel per ſudorem, vel ſi

mul etiam per ventris fluxum, puerperis inprimis familiarem; et ex vulva plerumque quoque foetidus humor, aut ſanguinolentus emanat.

Benignior in univerſum ea inflammatio exſiſtit, quae extra puerperium incidit; gravior contra, quae in eodem aut ſub partu.

Quae in abſceſſum terminatur, ea tantum non ſemper extra puerperium contingit, et in abortu. Notae vero abſceſſus eaedem ſunt, quae in aliis inflammationibus internarum partium fuerunt commemoratae.

Abſceſſus ruptus per genitales vias plerumque eliminatur, interdum ſimul etiam per alvum, nonnunquam, licet rariſſime, per ſcreatum.

Ex abſceſſu facile ulcus generatur *), quod nonnunquam ad veſicam pariter ac ad inteſtinum rectum pervenit **).

Sub puerperio, quando diſcuſſio obtineri non poteſt, ſphacelus plerumque ſequitur iisdem diebus ac diſcuſſio alias fieri conſuevit. Iſtamque letalem mutationem ſubita doloris et ardoris ceſſatio, et urina limpida, aquoſa, ſubviridis indicat.

Gangraenam aliquando etiam purpura alba praecedit. Sed extra puerperium inflammatio raro in eam tendit, niſi poſt diuturnam exulcerationem.

*) vid. *Hippocrat. L. I. de morb. mulier.* p. 666. Memorabile eſt hoc loco, uterum etiam poſſe a vicino ſcirrho ulceroſo in pelvi exulcerari. vid. *Halleri Opuſc. pathol. obſ. XXXIX. hiſt. I.*

**) vid. *Roedereri* Progr. *de ulceribus utero moleſtis.* Gott. 1758. *obſ. I.*

§. 239.

§. 239.

Quum nunquam frequentius, quam in puerperio et ex abortu, inflammetur uterus; eo maxime consilium dirigendum est, ut, confecto partu, impetuosus humorum motus compescatur, lochiorumque fluor promoveatur. Quapropter statim post illum clyster emolliens et antiphlogisticus ex inferioribus partibus infundendus est, simulque ubi lochia praeter naturam parce fluant, pilulae balsamicae Beccheri per septem vel novem dies mane aut vesperi, ad duodecim vel quindecim grana, exhibendae sunt.

§. 240.

Quodsi vero per ista remedia (§. 239.) lochiorum fluxus intra paucos dies revocari se non sinat, neque ventris fluor aut sudores largi per aliquot dies ipsorum vicem suppleant, signaque inflammationis se manifestent; alia medendi via tunc ineunda est.

Sanguis igitur protinus e vena pedis educendus est, simulque antiphlogistica una cum ptissana assidue propinanda, et dolori extus quoque idoneo remedio succurrendum.

Pro antiphlogistico inservire potest mixtura ex aquae florum sambuci unciis sex, nitri depurati, concharum citratarum, singulorum sesqui drachma, antimonii diaphoretici drachma dimidia, syrupi acetositatis citri uncia, parata, et cochleari mensura singulis horis exhibita; aut emulsio ex seminum aquilegiae, cardui Mariae, singulorum drachmis tribus, et decocti cornu cervi citrati unciis octo confecta, cui Borracis Venetae et lapidum cancrorum citratorum, singulorum drachmae duae admiscentur; cuius duo cochlearia plena sumuntur.

Pti-

Ptiſſana ex furfuribus triticeis et floribus ſambuci recte conficitur; aut mali citrei ſuccus aqua temperatus potui datur.

Dolores lenit cataplaſma ex farina bordeacea, cinere foci, ſemine lini, aceto oleoque ſubactis, ventri impoſitum; Teneſmum vero, qui interdum valde moleſtus, oleum amygdalarum ad aliquot uncias, admiſtis extracti croci granis duodecim, in alvum per clyſterem aliquoties calide iniectum.

§. 241.

Vteri inflammati ſuppuratio ubi imminet, cataplaſmatibus, regioni hypogaſtricae per diem impoſitis, per noctem vero illito unguento altheae, ſuperque datis pannis complicatis, maturanda eſt.

Exulcerato autem utero repurgantia et detergentia conveniunt; cuiusmodi ſunt decoctum ſalviae, aut marrubii, aut veronicae, aut centaurii minoris, aut hordei, in cuius libra diſſolvitur mellis uncia; quod in vulvam aliquoties de die calide iniiciendum tamdiu, donec nihil amplius puris e naturalibus effluat. Simul vero intus recte decoctum putredini adverſum et abſtergens, quod ex ſaponaria, millefolio, ligno ſantalo, lentiſci, radice ſarſaparillae et glycirrhiza conſtat, ſumitur: et potui ſerum lactis vel lac ipſum datur. Ac inter haec frequens alvi purgatio ex rheo, tamarindis, manna, ſenna, polypodio, roſis rubris, quovis quarto die neceſſaria eſt.

Repurgato abſceſſu, vulgo quidem conſolidantia adhuc praeſcribuntur ex rebus balſamicis; verum haec prorſus ſupervacua exiſtimo, quum ulcera repurgata per ſe coaleſcant, neque vero ad tam diſſitum locum, quae intus ſumuntur, penetrare virtute ſua queant.

De

De ulceribus uteri ceterum tenendum eſt, ea celeriter increſcere, brevique putreſcere; mulieres autem inde fere ſteriles reddi, ni moriantur.

§. 242.

De *ſcirrho uteri* ſpecialiter nunc quaedam praecipienda ſunt. Naſcitur is tam ex ipſius inflammatione, quam ex aliis cauſis, et frequentiſſime quidem ex difficili partu, abortu, menſtruorum et fluoris albi ſuppreſſione, et alias ſua ſponte; atque vel totum uterum vel partem eius ſaltem comprehendit. In immenſam molem quandoque excreſcit. Aetate inprimis provectiores mulieres invadit.

Ponderis ſenſus in regione pubis, et febricula lenta ſive typica, ſive erratica, ipſum praeprimis indicant. Ad haec vero menſes vel ceſſant, vel pauciores et deteriores et cum dolore prodeunt; ut tamen etiam, licet rariſſime, immodice fluant: *) gravitatem crurum pariter ac totius corporis laborantes ſentiunt: hypogaſtrica regio ex tumore duro ſenſim elevatur: eademque et lumbaris nunc quoque plus minus dolet: orificium uteri inaequale, aſperum, atque craſſum exiſtit: rarae ac moleſtae fiunt urinae atque ſtercoris egeſtiones: partes vicinae ex compreſſione uteri ſcirrhoſi inflammantur; ſubquente etiam in nonnullis ſtupore crurum, imo adeo gangraena, vel comparentibus ſaltem varicibus. Quaedam mulieres inter ambulandum pondus quoddam in pelvim deſcendere videri ſibi affirmant; at in hoc caſu etiam deſcenſus uteri ſe ſub exploratione in vagina oſtendit; quin extra eam quandoque durus atque tumens uterus prolabitur. Ceterum mulieres concubitum prae dolore, quem inde ſentiunt, ferre vix poſſunt, neque amplius fere ad concipiendum aptae ſunt; gravidae autem factae perdifficilem et longum

partum,

partum, aut nullum plane experiuntur, et rupturae uteri letali patent. Alias uteri ſcirrhus abortum citat. In ipſius meditullio quandoque ulcus continetur.

Verum in indagatione huius mali attenta mente opus eſt, ne ſcirrhus pro graviditate, aut haec viciſſim pro ſcirrho deludat medicum.

Vteri ſcirrhus vix medicamentis obtemperat, praecipue confirmatus, ſed lenta tabe interficit, poſtquam in immenſam molem aliquando excrevit. Hydrops etiam ante mortem plerumque accedit.

*) Ita obſervavit Cl. *Acrel* in foemina, quae ſcirrhum ad cervicem uteri habuit extra vulvam pendulum (*Obſ. de utero duplici.* Holm. 1762. 8.), niſi forte ſarcoma hoc fuerit.

**) vid. *Roedereri* noſtri deſideratiſſimi *diſſ. de uteri ſcirrho.* Gott. 1753. quae nunc in ipſius *Opuſculis* p. 247. continetur.

§. 243.

Lancinans in pelvi dolor, qui vires valde peſſumdat, omnemque ſomnum adimit, atque ex contactu demum orificii uterini, ventrisve compreſſione excitatur, certiſſimum ſignum de carcinode indole ſcirrhi praebet.

Si vero ulceratus eſt cancer, ad dolores, durities ac tumorem, ab ipſo aſſidue fere ſanies tenuis, nigra, fulva, graveolens, aliquando etiam ſanguis fertur, aut laciniae corruptae ſubſtantiae uterinae per intervalla ex naturalibus profluunt. Interdum ex ulcere tympanites uteri oritur, ſub quo venter multum intumeſcit, flatusque per intervalla ex vulva erumpunt.

Atque hoc ulcus inter graves ardentesque dolores, alvi fluxum torminoſum, teneſmum, iſchuriam, tuſſiculam,

lam, vomitiones, mentisque alienationes ſub finem, mulieres miſeras lente interficit.

§. 244.

Quemadmodum maior paullo ſpes eſt curandi uteri ſcirrhum, quam aliorum viſcerum, ſi is neque nimis vetuſtus, neque nimis induratus, omnique doloris expers fuerit ac in corpore non admodum elanguido, pravisque humoribus corrupto; ita curationem intermittere et ſine auxiliis dimittere laborantes ſub hiſce circumſtantiis inconſultum omnino foret.

Non alia vero remedia hic conferunt, quam quae potentiſſime, licet ſub longo duntaxat uſu, impactos humores diſſolvere, et ipſum habitum corporis, qui nunquam non pravus in eiusmodi aegris, quam optime emendare valeant. Alterum prae ceteris praeſtant terra foliata tartari, et qui potentia adhuc ſuperior, mercurius ſublimatus vel dulcis: alterum mars et ipſius aliquot praeparata, praecipue pulvis cachecticus a Quercetano compoſitus.

Quorum omnium legitimus uſus in eo conſiſtit, ut terrae foliatae tartari drachma quotidie in hydromelitis unciis aliquot ſoluta praebeatur; mercurius ſublimatus ad ſex grana in ſpiritus frumenti unciis duodecim ſolutus, admixta ſyrupi de althaea uncia una cum dimidia, cochleari menſura mane et veſperi hauriatur, et aliquot patellae decocti aquoſi ex radice bardanae, ſarſaparillae atque ſaponariae ſuperbibantur; mars vero in varia forma devoretur. Ad haec autem neceſſe eſt, ut qualibet hebdomade alvus pulvere ex radicis ialappae ſcrupulo, ari ſcrupulo dimidio, et mercurii dulcis granis octo ſolvatur. Pro potu decoctum hordeaceum exhibendum. Ceterum omnia acria et calefacientia tum alimenta tum medicamenta vitari oportet.

§. 245.

§. 245.

In ſcirrho carcinode, et ipſo cancro, non niſi opiata conveniunt, ad dolores paulisper tantum leniendos et moderatum ſomnum conciliandum. Cuiusmodi ſunt laudanum opiatum ad grana duo vel tria, et liquidum Sydenhami ad guttas duodecim et ultra pro re nata, ſingula inprimis ſub noctem data. Externe ad levandum dolorem iuvat in balneo aquae dulcis cum furfuribus triticeis bis die per horam et longius deſidere, atque etiam uteros vino tepido aut lacte, in quo pauxillum croci decoctum, frequenter colluere. Lac quoque pro potu prodeſt; cui etiam temperatae aquae minerales admiſceri poſſunt.

FEBRIS ERYSIPELACEA.

§. 246.

Agmen febrium inflammatoriarum, de quibus hactenus praeceptum, claudat nunc eryſipelacea, quae diariae indolem ſervans inflammationem in cute capitis, faciei, naſi, parotidis et auris externae, cervicis, mammarum, abdominis, manuum, crurum, pedumve excitat; ſub qua cutis cum ſplendore et colore roſeo rubet, tumet, ardet, prurit, et dolet, ſuumque ruborem cum ceteris affectionibus poſt duos, tres, quinque, vel ſeptem dies, facta diſcuſſione, inter ſudores ac urinam, in qua multa craſſa decidunt, ſucceſſive iterum deponit, cuticula fiſſa et in ſquamulas ſecedente.

§. 247.

Febris ſubito invadere hominem conſueuit, cum horrore, aeſtu, atque virium proſtratione, interdumque etiam, ſi intenſior, cum ſopore, delirio, et vomitionibus.

In-

Inflammatio aut in ipſo febris initio, vel hoc ipſo die, vel ſecundo, aut longiſſime tertio erumpit.

Vltro liquet, pro ratione partium, quibus inhaeret, eryſipelas differre debere, et diſtinctis ſymptomatibus ſtipari; quae nullibi quidem ſaeviora, quam in facie, exiſtunt.

Interim non ſemper in eodem loco inflammatio perſiſtit, ſed iſtum quoque mutat, et ſaneſcente eo, quem ante occupaverat, in id, quod integrum eſt, proſerpit *).

Interdum fere omnes partes corporis ſimul infeſtat **).

*) Notabile exemplum eryſipelatis, quod in cute capillata capitis et fronte incipiens, ſenſim intra tres hebdomades per univerſam corporis ſuperficiem usque ad manuum pedumque digitos progreſſum eſt, lege in *Traité de Chirurgie*, par *de la Motte T. I. obſ.* 92. p. m. 429.

**) *id. obſ.* 98. p. 451. ſeq.

§. 248.

Sed diverſas cauſas agnoſcit eryſipelas, indeque etiam diverſimode afficit, ſic, ut plura eius genera conſtitui debeant.

Primum enim ſua ſponte ingruit ex corruptis qualitercunque humoribus, ex turbata tranſpiratione, ex morbi acuti cuiusdam reliquiis, ex ſpirituoſorum liquorum abuſu, ardore ſolis, ira, terrore, evacuationibus ſanguineis ſpontaneis interceptis, et artificialibus omiſſis. Repertae ſunt etiam inter mulieres, quas, inſtante quolibet menſium fluxu, occupavit *). Idque eryſipelas *primarium* aut *ſpontaneum* appellare licet; cui

facile adſueſcunt homines, ſic, ut aliqui quotannis ſemel vel pluries eodem tententur; quod quidem non niſi praeſidio eſſe corporibus poteſt, quod inde per intervalla purgantur; quodque adeo ab aliis morbis nonnunquam iſta liberat.

Verumtamen in corporibus, quae mali habitus ſunt, hoc ipſum ſpontaneum eryſipelas non ſemper tam benigna ratione procedit, ſed deteriorem indolem quandoque aſſumit, atque in ſuppurationem vergit, vel puſtulas ardentes maiores minoresve, aqua ſubflava turgidas, exigit **); aut, quod peius, ex ſuppuratione ulcera mali moris, fiſtulas, et gangraenam producit; vel, quod peſſimum, lividum fit et gangraeneſcit, aut retrocedit, ac in utroque caſu mortem plerumque inducit, ſubitaneam quidem in priori, in altero acutam ſub inflammatione interna, deliriis, aſthmate convulſivo aliisque ſtricturis ſpaſticis.

Relinquit eryſipelas ſpontaneum in nonnullis ingentem tumorem pedis, quem occupavit; isque in impuris corporibus difficulter abigitur.

Qui ſaepe hoc eryſipelate corripiuntur, eodem tandem pereunt.

*) vid. *Laur. Heiſteri Wahrnehmungen* p. 693.

**) Tale eryſipelas puſtulare epidemico more graſſatum, nullam non partem corporis, praecipue tamen faciem obſidens, animadvertit *Sydenham*, *Opp.* p. 352.

§. 249.

Scire autem oportet, eryſipelas ſpontaneum non ſolum per ſe excludi, verum etiam aliis morbis tam acutis, quam longis cachecticis aliquando ſupervenire; inque priori caſu ſalutare eſſe et pro critica excretione haberi

haberi debere; in altero vero hominem celeriter iugulare. *Secundarium* dici poſſet.

§. 250.

Aliud genus eryſipelatis ſpontanei prorſus *malignum* dicendum eſt; quippe quod ex eſu venenatorum quorundam piſcium, et mytulorum, et hepatis catuli marini *), oritur, graviaque ſymptomata, ſopores et deliria inducit, inter quae eryſipelas vel uniuerſale vel particulare excluditur.

Nondum res expedita eſt, an ille morbus cutis, quem operarii Chinenſes, ex arbore *Rhus Vernix Linn.* dicta vernicem extrahentes, ab eius exhalationibus incurrunt, ſub quo illa per totum corpus intumeſcit, crepat, et magnam vim ſeri effundit **), pro vero eryſipelate haberi poſſit; quod ſi eſſet, omnino ad hoc malignum genus referri deberet.

*) vid. *Boiſſier de S. noſolog. method. T. II. Claſſ. III.* p. 421. n. 3.

**) *Hiſtoire de la Chine*, par *du Halde* p. 317.

§. 251.

Ceterum eryſipelas etiam ab externis cauſis, venaeſectione, ambuſtione, apum veſparumque ictu, vulneribus nervoſarum partium, fracturis, luxationibus, ſubluxationibus, ac ulceribus producitur, et *ſymptomaticum* appellari meretur.

Atque de eryſipelate ex venaeſectione, quod perperam quidem ei, qui venam ſecuit, tribuitur, ſpeciatim noſcendum eſt, quod plerumque in ſuppurationem tendat, aut phlyctaenas ex ſe proferat, latiusque ſe diffundat, et febrem quoque concitet, pro diverſa humorum corporis, quod invadit, conditione: quae effi-

cit, ut aliquot menses interdum ad sanationem requirantur.

Multo periculosius est erysipelas ex ambustione, quod febrem acutam, acutissimos dolores, convulsiones, et quandoque citam mortem inducit.

Nec erysipelas ex vulneribus partium nervosarum omni periculo caret.

§. 252.

Erysipelas spontaneum ac benignum vix medicamentis opus habet, nisi natura vel stimulum vel frenum in excretorio suo molimine ac febrili motu desideret: malignum vero ob maiorem materiae morbosae corruptionem alterantia et laxantia omnino requirit.

Excretionem et febrilem motum promovent pulveres diaphoretici fixi, infusum theeforme ex floribus sambuci et scordio, aut mixtura simplex cum liquore anodyno minerali mixta.

Excedentes motus moderantur venaesectio, ptisana hordei, et emulsiones ex aqua rosarum, seminibus frigidis, et nitro vel pulvere aliquo temperante. Frigus et aestus nocent. Aliena sunt quoque omnia calida, et, si, quae imponuntur, nimium concalefacta sunt.

Ad demulcendam humorum acrimoniam, praeter iam dicta diaphoretica, praesidio sunt decocta ex radice bardanae, cichorei, saponariae, altheae, liquiritiae, cum semine foeniculi et passulis: quibus lotiones mollientes interponendae, quae optime sic iuvant, si per aliquot dies alvus clementer expurgatur.

Qualiscunque vero morbi conditio sit, quiete et abstinentia opus est, et, ut in blanda diaphoresi servetur,

tur corpus. Praeterea quidquid ſub ſpe diſcutiendae ſtaſeos inflammatoriae alias extus imponi vel inſpergi ſolet, ſed vim repellendi praeſtat, aut ſaltem diſcuſſionem impedit, et firmiorem ſtaſin facit; id quod de ſpirituoſis, unctuoſis, terreis, adſtringentibus, et ſaturninis valet; prudenter arceatur; ſiquidem eryſipelas, ſi retropellitur, ſumme pernitioſum fit, ſaepeque praefuneſta producit mala. Tutiſſimum hinc nihil, praeter herbas paregoricas ſaccellis incluſas, applicatur. Sciendumque etiam eſt, iteratas venaeſectiones, purgantia validiora, et vomitoria vim repellendi exercere.

Ad interiora autem pulſum eryſipelas perverſa ratione revocari ad priſtinam ſedem per veſicatorium oportet, intus ſimul datis antiſpaſmodicis et diaphoreticis remediis. Depulſum malum interdum bona fortuna per ſe redit.

Eryſipelas puſtulare recte fouetur decocto emolliente aquoſo ex malva, centaureo minori, hyperico, floribus verbaſci, ſambuci, meliloti, radice altheae, et ſeminibus lini ac foenugraeci; ex quo panni lanei molliores expreſſi affectae parti calide ſuperhabentur.

§. 253.

Si eryſipelas ad ulcerationem tendit; quod inprimis ex ruboris tranſitu in livorem pateſcit; ad ea veniendum eſt, quae ſuppurationem movent. Si humor profundius haeret, inciſione evocandus eſt. Si ſinuoſum fit vlcus, et ipſe humor mali moris eſt, aqua phagedaenica cum eſſentia ſuccini recte iniicitur.

§. 254.

Dum ſphacelum minatur eryſipelas, praeter interna antiphlogiſtica ac antiſeptica, nitrum, puta, cum momento camphorae, corticem Peruvianum et infuſum florum chamomillae, externa ſpirituoſa et roborantia ex aqua calcis, aceto lithargyrii, vino, in quo ſal ſaturni ſolutum, eſſentia ſcordii, ſpiritu vini camphorato crebrius calideque cum linteis duplicatis admoveri oportet. Reliqua Chirurgia docet.

§. 255.

Quum, quod ſaepe revertitur, eryſipelas, timorem facit, ne tandem aliquando interimat; neceſſe eſt omnino, ut ab hoc malo, quoad eius licet, vindicetur corpus. Ad quod impetrandum ſanguinis miſſione, vere et autumno, potionibus laxantibus, et decocto purificante, ſub exacto in regimine et victu moderamine, opus eſt. Thermae Emſenſes, Carolinae, et acidulae Egranae inprimis, ſi quis eas in uſum vocare poſſit, ſpectatam quoque virtutem exerunt.

§. 256.

Singulare et paucis cognitum eryſipelatis genus, idemque malignum, antiquorum *Zoſter*, *Zona* vel *Herpes* eſt *a*), quod medium hominem, modo in poſteriori thoracis parte *), modo ſupra umbilicum ex praecordiali regione ad dorſi tractum **), modo ab umbilico usque ad genua, ſi latiſſime quidem ſe diffundit ***), latitudine palmae vel aliquot digitorum transverſorum ambiens, rubore ſublivido ardente infeſtat, ac puſtulis partim albis, partim rubris nigreſcentibus, lividis,

lividis, aut flavis, modo in unum conglomeratis, morbo seiugatis, humore rosivo ac pruriente plenis ac instar ignis urentibus exasperatum est, simul vero febrem habet, eamque subinde gravem cum delirio aliisque symptomatibus, quae periculum adferunt, et aliquando, licet rarissime, iugulant, zostere in gangraenam converso ****).

a) vid. *Plinius histor. natur.* L. XXVI. c. XI. *Scribon. Larg. de compos. med.* 63. p. 44. edit. *Rhod. Plin. Valerian. de re med.* cap. 33. et 34.

*) *Severin. de recond. absceß. nat.* Sect. 10. c. 9. §. 11. p. m. 196.

**) *Tulpio* observante L. III. 44. et *Hoffmanno med. rat. syst.* T. IV. P. I. S. I. c. XII. obs. VI.

***) *Langii Epist.* 32. L. I. p. 110. et *Act. Hafn. an.* 1671. et 72. *obs.* 198.


****) Haec verior mihi videtur ratio quam *Plinii Sec. l. c.* et *Valeriani l. c.* qui enecare zosterem adfirmant, si cinxerit. Quamquam nec hoc sine exemplo esse, ex *Act. Hafn. cit.* apparet; nec semper tamen ita evenire, ex Cl. *Russelli* observatione constat; L. *de usu aquae marinae*, Hist. 33. p. 124.

§. 257.

Huic simile aliud genus zosteris mihi cognitum est, quod tam latam aream non occupat, sed minorem, floreni simplicis aut duplicati, nec febrem tam vehementem coniunctam habet. Id malum nunquam exitiosum est, licet ob ardentem dolorem, qui nec somnum capere, nec locum affectum contingere sinit, valde molestum sit. *Spurius zoster* appellari potest, ad modum variolarum spuriarum.

§. 258.

Exigit autem qualiscunque Zoster diaphoretica temperata et blanda cathartica. Et sanguinis missio interdum necessaria est. Extus vero, quae leniunt, utiliter imponuntur, velut emplastrum saponatum, quod bis profecisse comperi. Ex adverso irritantia et spirituosa plane nociva sunt.



CLASS.

CLASSIS II.

PROFLUVIA.

CLASS. II. ORDO I.

HAEMORRHAGIAE.

HAEMORRHAGIA NARIVM.

§. 259.

Sanguinis e naribus profluvium non omne morbosum est, siquidem ex plethora, aut retento fluxu sanguinis naturali, vel neglecta eius artificiali evacuatione, sine ullo alio pathemate, praeter narium siccitatem et leviorem quendam capitis dolorem, ingruit, aut a violenta quadam causa, velut ictu, punctura, casu, contusione, vociferatione, tussi, sternutatione inducitur, aut in acutis morbis, sive levet eos, sive iudicet, erumpit.

Quodsi vero haemorrhagiam faciei rubor, et aurium tinnitus, et gravativus in capite, praesertimque in frontalibus sinubus, dolor, assidue comitantur, sique largissima portio sanguinis absque intermissione, aut brevibus saltim intervallis interiectis emanat, et vires languere incipiunt, si denique dolores ventris, aut refrigeratio extremorum et totius corporis se profluvio addunt; tunc quidem opera nostra necessaria est, ad funestum eventum praepediendum; qui inprimis sub perseverante corporis frigore spastico, et in morbis spasticis, atrabilariis, scorbuticis, ac febribus putridis metuendus est *).

*) Eiusmodi tristia exempla haemorrhagiae narium letalis occurrunt in *Miscell. Nat. Cur. dec.* 2. *ann.* 2. *obs.* 144. *Commerc. Nor.* 1738. p. 283. *Fraenckisch. Samml.*

Samml. vol. 2. P. 7. p. 39. apud *Hagendorn Cent. I. hist.* 60. *Hoffmann. Med. Syst. Cap. de haemorrhag. nar. Obs.* 1. 2. et in nostra diss. *Observat. de morbis rarior.* num. III. p. 4. seq.

§. 260.

Ex dictis manifestum est, non solum haemorrhagiam narium sive Epistaxin (quo uno nomine eam appellare inposterum mihi liceat) in diversa genera secedere, sed ex diversis etiam causis et in vario corporis statu oriri.

Sed aliae praeterea eius affectiones noscendae sunt. In pueris et iuvenibus ea praecipue contingit, et a levissima quoque causa externa suscitatur. At masculinus sexus prae foeminino eam frequentius experitur. Suntque inter eos, quibus a prima infantia ad virilem usque aetatem, ob haereditariam dispositionem, obtinet, citra notabile sanitatis detrimentum: etiam, quos statis periodis affligit et ab aliis morbis praemunit. Quo frequentius tamen ea repetit, inprimis in virili aetate, eo periculosior censenda est.

Non vero ex venis, sed arteriolis videtur promanare sanguis: idemque rarius ex utraque nare simul, sed e dextra tantum, vel sinistra fluit.

In vehementi et periculoso profluvio magna pars eius simul retro ad fauces descendit, nec potest aeger ipsius deglutitionem semper impedire; quae non solum in se molesta est, sed nunc quoque nova mala in ventriculo inducit.

§. 261.

Moderatum sanguinis e naribus profluvium nunquam sisti debet, neque quidem frigida, sive pota sive ad-

adspersa, nisi symptomaticum ac simul perniciosum fuerit, aut a violenta causa productum. A praepostera enim suppressione gravia mala, vertigines, apoplexiae, convulsiones, lethargi, aurium et oculorum morbi, inprimisque coecitates, itemque phthisis, haemoptysis, et alia oriuntur.

§. 262.

Enormi autem et periculum minanti epistaxi, cuius quidem pathognomonicum signum nunquam a certa quantitate sanguinis excreti desumas, sed ex virium, aetatis, plethorae et laesarum actionum conditione: quandoquidem homines aetate, viribus et sanguinis copia, quam in vasis alunt, insigniter differunt; succurrendum est primo aquae frigidae copioso potu, et antispasmodicis ac temperantibus, cuiusmodi sunt pulveres ex nitro et cremore tartari compositi, pulvis item absorbens Wedelii, elixir acidum Dippelii cum tertia parte laudani liquidi Sydenhami, et alia. Si haec nihil praestant, ad sanguinis missionem moderatam veniendum est; quam quidem etiam statim ab initio administrare licet, itemque, si necesse est, iterare; et ad clysteres relaxantes, iteratis pariter vicibus iniiciendos. Et hi quidem maxime exiguntur, una cum maniluviis et pediluviis tepidis ex aqua fontana, si spastica cutis affectio et frigus extremorum subest. Si vero nec haec suffecerint, in nares dari debet alcohol vini, aut pulvis radicis Symphyti, vel aluminis cum lacca pictorum, aut aqua plantaginis, in cuius unciis duabus soluta est aluminis et sacchari saturni drachma, aut turunda albumini ovorum intincta et pulvere vitrioli Goslariensis inspersa, vel solutione vitrioli albi madida, qualem §. 78. memoravi. Iuvat praeterea fronti epithema ex aquae verbenae unciis duabus, aceti vini destillati uncia, et nitri drachmis duabus frequenter

ter alligare. Neque tamen per haec cuncta mors semper evitari potest, quam animi deliquia et convulsiones supervenientes praenuntiant.

Ad epistaxin largam, saepiusque recurrentem prodest serum lactis aluminatum, quod ex lactis ebullientis libra, et aluminis crudi drachma confectum per plures dies calide potatur. Alvus etiam lotionibus mollientibus solvenda est, et cortex Peruvianus aliquamdiu devorandus.

Ad refocillandas aegri vires, sedato fluxu, nutrientia conferunt delibatissima, lac, iuscula carnis, gelatinae cornu cerui, emulsiones.

§. 263.

Dictum iam supra fuit (§. 262.), quantopere praepostera epistaxeos suppressio noceat: nunc de eadem, aliisque eius causis et auxiliis quaedam adhuc praecipiam, scitu summe necessaria. Primo, praeter aquam frigidam vel potam aut adspersam, aliae res, velut adstringentia incaute adhibita, et refrigeratio, et vehementiores animi adfectus eam non solum, dum fluit sanguis, perficiunt, sed hunc quoque inposterum retinent: idemque et affectus spastici, et cacochymia, et lentor humorum praestant.

Ex retentione vero haemorrhagiae, cui pueri inprimis atque iuvenes expositi, innumera mala proficisci consuerunt, in capite quidem cephalalgia, erysipelas, angina, dolores dentium, aurium, oculorum, lacrymae sanguineae, quin phrenitis adeo, et nonnunquam salivatio; in thorace palpitatio cordis, difficilis respiratio, et haemoptysis; in abdomine tormina, dolores dorsi, obstructio alvi, haemorrhoides

muco-

mucosae; in artubus rigores et scorbuticae maculae; in toto corpore motus convulsivi.

§. 264.

Quodsi ergo iuvenis aut puer vnum vel alterum horum malorum experitur, siue nunquam adhuc ipsius nares sanguinem plorarunt, sive is non sufficienter fluxit aut vi quadam coercitus fuit; omnem operam adhibere oportet, ut epistaxis provocetur aut in ordinem redigatur; sin autem hoc fieri non possit, alio modo mala inde orta avertenda sunt.

Provocant autem epistaxin res permultae, exercitatio, potus spirituosus, errhina, millefolium aut marum Syriacum recens coni forma in nares intrusum, aqua tepida frequenter attracta, et artificialis epistaxis per dilacerationem quorundam vasculorum in naribus mediante penna serratim incisa et fortius intrusa *), aut per scarificationem, quali Aegybtii uti solent **).

Quodsi vero per haec fluxus excitari non potest, optimum est, sanguinem pertusa vena in brachio evacuare et alvum solvere; pro potu vero ptisanam aut decoctum cerasorum nigrorum exhibere. Venaesectio postea, quemadmodum et alvi ductio, bis terve per annum iteratur, inprimisque vere et autumno, quo homini alias sanguis e naribus profluere consuevit.

*) vid. *Aretaeus* L. VII. cap. 2. p. m. 124. Graeci etiam sua instrumenta habuerunt, quibus in nares immissis sanguinem detraxerunt; quorum nomina apud eundem autorem invenies l. c.

**) vid. *Prosp. Alpinus de Medicina Indor.* L. III. cap. 2. p. 91.

HAE-

HAEMORRHAGIA ORIS.

§. 265.

Ex ore quoque ſanguis reiicitur: quae profuſio antiquis πτύσις, ἔμπτυσις, αἱμοῤῥαγία dicta *); hodie vero *Sputum cruentum* et *Haemoptoe* appellari ſolet.

Ex apertis palati fauciumve venis, quod frequentiſſimum eſt, rarius ex aliis partibus oris *a*), ſanguis modo parva, modo magna copia, ſaepius per intervalla, imo etiam periodice **), profluit ſincerus ***), et vel ſcreatu vel ſine illo exſpuitur. Screatum et ſputum titillatio plerumque in palato aliave parte praecedit. Rariſſime bulla ſanguinea, vel plures ſubito in palato ante oriuntur *b*).

Vbi multus ſanguis eſt, caput grave eſt et dolet, facies rubet, aures ſonant, vertigo infeſtat, et ex inanitione demum lipothymia incidit, quae letifera fieri poteſt.

Pars ſanguinis poteſt tum in tracheam, tum in gulam defluere; tumque illinc per tuſſim reiicitur, hic cum nauſea evomitur.

*) vid. *Aretaeus de cauſis et ſign. acut. morbor.* L. II. c. 2.

a) *Arnold. Bootius* L. *de affectib. omiſſis*, c. 7.

**) *id. ib.* et in noſtr. diſſ. *de morbis rarior.* p. 23. n. 15.

***) Non videtur *Iunkerus* hanc haemorrhagiam ipſe vidiſſe; alias certe non ſcripſiſſet, in ſputo cruento reiici ſalivam cruore tinctam, aut mucum ſanguineis ſtriis commixtum, idque adeo cum multo laborioſo ſcreatu. *Conſpect. Medic. theoretico-practic.* Tab. VIII. p. 43.

b) vid. *Fiſcheri* et *Zettermanni* diſſ. *de haemorrhoidibus ex palato profluentibus*, Erf. 1723. *Commerc. Noric.* ann. 1735. p. 131. noſtr. diſſ. *de morbis rariorib.* p. 7. n. 5.

n. 5. et Cl. *Fr. Casim. Medici Geschichte periodischer Krankheiten*, L. I p. 99. confer. *Cael. Aurel. L. II. de morb. chron.* cap. XI. p. m. 393.

§. 266.

Vinum largius epotum, calor ingens, frigus, capitis percussio, plethora, haemoptoen inferunt. Interdum per nares et uterum sanguinis consuetum profluvium sistitur, et ad palatum convertitur. Interdum etiam per haemorrhoides, sive apertae alias fuerint, sive nondum apertae, eadem conversio contingit; *haemorrhoides oris* tum vocant. Sed et morbi spastici, atrabilarii, et scorbutus, et ulcera oris, et graviditas et febris acuta hanc haemorrhagiam excitant. Numne etiam hirudo cum aqua inscienter deglutita et sub deglutitione faucibus adhaerens? Omnino, si *Hippocrati* aliisque medicis antiquis credendum est *), et *Borello* **), qui hoc confirmat: nisi vitium subreptionis inciderit, quo quis sanguinis grumum reiectum, qui formam hirudinis assumsit, qualem ipse vidi, pro tali habeat. Nec credibile est profecto, quod hirudo se per aliquot saltem temporis minuta affigat faucibus, quin prae nausea protinus decutiatur: quum fauces nihil peregrini ferre queant. Nec facile concipitur, unde mora concessa sit hirudini, se faucibus sub deglutitione infigere, quae tam celeriter peragitur. Verum ex ventriculo in oesophagum et ex hoc in fauces prorepere posse hirudinem deglutitam, ibidemque se affigere, omnino credibile est ***).

*) *L. II. Praedictor.* p. m. 102. *Galen. L. IV. de locis affect* p. m. 508. *Opp.* ab *Aug. Ricco* edit. *Aet. Tetrabibl.* IV. Serm. I cap. 56. *Paul. Aeginet.* L. V. cap 37. *Avicenn.* Lib. III. Fen. IX. cap. 5. Neque vero, quod miror, *Aretaeus*, neque *Trallianus* hanc rem memorant.

**) in *Histor. et observ.* Cent. I. 24.

***) vid. *Journal de Medecine*, 1758. p. 127.

§. 267.

Modo salutaris est πτύσις, quum corpus a plenitudine ipsi nocitura et a febre acuta liberat; modo periculosa, aliquandoque lethalis, si ex copioso sanguinis fluxu, et qui saepe recurrit, sensim vires consumuntur. Hinc simplex et brevis curatio, vt *Aretaeus* scribit *), profecto ubique non sufficit.

*) *l. c.*

§. 268.

Praecipuum vero auxilium est, adstringentia frigida ore detinere, cuiusmodi sunt acetum vini, et ex hoc decoctae plantae adstringentes, symphitum, tormentilla, cortices balaustiorum; itemque hypocistidis aut acaciae succus, et ipsum vitriolum eodem soluta; et spiritus vini. Alterum est, sanguinis missione in remota parte, et alvum solventibus, et clysteribus emollientibus in alvum datis congestionem sanguinis aliorsum derivare. Tertium in humectantium et refrigerantium, maximeque haematitis praeparati et in tenuissimum pulverem redacti usu consistit. Ceterum et ligaturae conveniunt.

Si vesiculae cruentae in palato occurrant, aperire eas oportet, dum ex harum copia suffocatio metuenda est.

Si denique morbus aliquis πτύσιν fovet et excitat, huic remediis accommodatis succurrendum.

HAEMOPTYSIS.

§. 269.

Sequitur, ut de Haemoptysi praecipiam, in qua, mediante tussi *), sanguis minore vel maiore copia ex trachea aut pulmone reiicitur. Ex trachea quidem parcus procedit, et sincerus cruor; ex pulmone vero vel similis ac simul spumosus, vel ater, quandoque aliquantum etiam putridus. Initium saepe fit sputo subcruento.

Titillatorius in aspera arteria sensus non minus ac in faucibus, tussicula item sicca, ebullitio in pectore calida, atque dulcis vel salsus in ore sapor haemorrhagiam et praecedunt et comitantur; in graviore autem casu, praeter haec, alia quoque symptomata praesto sunt, dolor in pectore, lateribus et dorso, anxietas cordis, febris, artuum gravitas, frigoris notabilis in extremitatibus, ac pressorius et tensorius sensus in hypochondrio dextro vel sinistro, interdumque et nausea.

Id profluvium, ut quaevis alia ab internis causis suscitata, saepe per intervalla seu periodos redire consuevit. Atque titillatorius in trachea sensus, aut punctorius in latere, aut tussis arida aut horripilatio recursum eius praesignificant.

Quum sanguinem spuere homo desinit, sputum copiosum liquidum, interdum etiam viscidum, per plures dies exspuit.

*) Ex quorundam quidem autorum observatione datur quoque haemoptysis, eademque larga, sine omni tussi, cum quadam veluti duntaxat exspiratione: quod ego equidem non negaverim in praemagno sanguinis effluxu; existimo vero, eam saepe πτύσιν saltem esse, de qua in praecedentibus paragraphis dictum, quaeque

 facile

facile pro haemoptyſi imponere poteſt, quemadmodum iamiam a *Galeno* atque *Aretaeo* fuit animadverſum.

§. 270.

Laxa pulmonum compages, haereditaria diſpoſitio, pectus compreſſum vel gibboſum, dorſum male conformatum, et aetas iuvenilis viam ad haemoptyſin ſternunt. Cauſae vero permultae ſunt, quae eam excitant, tam univerſales, quas non recito, utpote ex pathologia cognitas; quam particulares, ut ſunt pulmonum tubercula, vomicae, lapilli, catarrhi vehementiores, febres, peripneumonia, cachexia hydropica, obſtructa viſcera abdominalia, icterus niger, polypoſae concretiones in maioribus vaſis, vehementior pulmonis niſus, percuſſiones et contuſiones thoracis, ulcus pedis conglutinatum, pulmonis vulnus, terror, atque hydrargyroſis.

§. 271.

Haemoptyſis equidem anceps et periculoſum malum eſt: vulgaris tamen opinio, quod expertis eam phthiſi perire neceſſe ſit, prorſus eſt falſa. Iis enim, quibus ſanguis parca copia, nec pleno ore, ſine febre, ac illaeſo pulmone, poſt ſuppreſſas alias haemorrhagias, aut a fortiori exercitio, vel aſpera tuſſi, in graviditate, et per periodos educitur, nequaquam capitalis eſt.

Aetati autem iuvenili contingens haemoptyſis, et ſub magna pulmonum labe, plerumque funeſta eſt; utique, ſi crebra et effuſiſſima eſt profuſio, ſi pleno ore fit et cum levi tuſſicula ſaltem, ſi ſanguis coccineus eſt, ſi convulſiones accedunt, ſi extrema frigent, ſi reſpiratio laborioſa eſt, ſi de ſubſtantia pulmonum quidquem reiicitur, ſi appetentia perit, ſomnus abeſt, vires in dies decreſcunt et corpus conſumitur, ſi febris ſubgliſcit,

ſubgliſcit, ſi haemoptyſis ex cachexia et obſtructione viſcerum orta, ſi inflammatio pulmonum accedit, ſi dolores in pectore adſunt et ſudores nocturni, denique, ſi tuſſis ſicca cum raucitate, dyſpnoea, et pectoris oppreſſione remanet.

Aliquando contingit, ut repetens et habitualis quaſi fluxus copioſo ventris profluvio ſuccedente expugnetur.

§. 272.

Ad haemoptoicum vocatis nobis ante omnia modus, quo ſanguis reiicitur, explorandus eſt. Sique id ſine impetu, ſine praecordiorum anxietate, ſine artuum refrigeratione, et ſine febre contingit, ſique etiam periodice, ac in graviditate, in retentione menſtruorum vel haemorrhoidum, res in ſe nullum periculum habet et nullo profecto medicamento opus eſt. Sufficit ſaltem ad hominem conſolandum, cui nunquam non formidoloſa haemoptyſis, ſanguinem e vena pedis aut brachii educere, et nitrum cum antimonio diaphoretico ad tertiam partem adiecto qualicunque forma exhibere.

Sin autem memorata ſymptomata praeſto ſunt, inſtituta venaeſectione, cortex Peruvianus prodeſt cum pulvere temperante remixtus: nec alienum eſt in hoc caſu, inprimis ubi ſanguinis ebullitio urget, aquam ſimplicem vel lac ebutyratum potui dare, et clyſterem in alvum iniicere, aut laxantem ex manna potionem exhibere.

Si haec non ſuffecerint, in uſum vocari debet ſerum lactis aluminatum, aut nitrum cum ſex et octo granis maſſae pilularum de Cynogloſſa, aut cortex Peruvianus cum tertia vel aequali parte aluminis, aut Heur-

nii pulvis ſtypticus. Recte etiam ſpiritus vitrioli in aquam fontanam pro potu inſtillatur.

Vbi extremorum frigus ſe manifeſtat, pediluvia ſubinde conveniunt.

Adſtringentia qualiacunque, terrea et martialia, nullum fere uſum habent. Et venaeſectiones nocere posſunt, ſi praeter rem repetantur.

In deſperato caſu vomitorium non temere decernitur.

Haemoptyſis a catarrho acri decocto radicis altheae, ſyrupo eiusdem edulcato, aut oleo lini cochleatim per intervalla hauſto optime coercetur.

Quodſi ab obſtructo viſcere haemorrhagia orta, hac ſedata, exhibere convenit, quae obſtructiones iſtas, tanquam fontem mali, expediant; cuiusmodi ſunt ptiſana ex radice chinae, ſcorzonerae, raſura cornu cervi et ſemine foeniculi; infuſa ex veronica, millefolio, ſcolopendrio, meliſſa, ſcordio, et glycirrhiza; itemque laxantia repetito data, et mixtura ex tinctura tartari et ſpiritu bezoartico Buſſii, fons Selteranus, et aqua calcis cum lacte. Venaeſectio in iſta ſymptomatica haemoptyſi fere nihil prodeſt.

Eademque remedia haemoptyſin ſaepe recrudeſcentem ſubinde compeſcunt; itemque ſal volatile oleoſum Sylvii.

§. 273.

Cohibito fluxu, quem ex ſudoribus calidis et aequabilibus cognoſcas, perpetuandus eſt aliquamdiu cortex Peruvianus; ſimulque lac bubulum quam plurimum, aquae mulſae tertia parte admixta, bibendum.

Prodeſt

Prodest item infusum arnicae cum floribus, vel aliarum plantarum paullo ante memoratarum.

Tussim humidam aut purulentam compescit balsamum pectorale Meibomii, serum lactis, et lac cum stirpibus vulnerariis incoctum, et quarto quoque die assumtum pharmacum mannatum, quod per epicrasin laxat.

§. 274.

Quam maxime vero quies omni haemoptoico conducit. Hinc etiam, ubi convaluerit, excandescentiam vitet et clamorem, nec celeriter currat, neque in equum, aut currum conscendat. Periculum enim est, ne morbus redeat. Plerisque autem revertens morbus interitus causam afferre solet.

In cibis maxime lacte et pulte ex farre, aqua, ac butyro utatur. A spirituoso potu inprimis sibi caveat.

§. 275.

Hactenus de curatione haemoptysis spontaneae sive activae dictum est. Sequitur, ut nunc quoque, quomodo passivae, quae ex vulnere pulmonum inducitur, medendum sit, praecipiam. Non equidem hic attingo ea curationis momenta, quae Chirurgus observare debet; utpote quae ex chirurgia repetenda; sed ea duntaxat, quae a Medico observanda sunt, et ad eius officium pertinent.

Igitur contractio vulneratorum vasorum quovis modo promovenda est: id quod fit partim repetitis sanguinis missionibus, partim liberaliore aquae potu, cui spiritus vitrioli instillandus, partim abstinentia a cibis, et ab omni motu tum corporis tum mentis, denique etiam

etiam vulnerariarum plantarum decocto frequenter hausto.

VOMITVS CRVENTVS.

§. 276.

Etiam vomitu per os reiicitur sanguis e ventriculo, raro quidem fluidus ac ruber, sed crassus plerumque ac nigrescens, minore vel maiore copia ad unam vel plures uncias et libras, modo purus, modo cibis, pituita, aut bile remixtus.

Nausea, anxietas, cardialgia, dolor spasticus et pressorius in alterutro hypochondrio, quod in nonnullis adeo quoque tumet, hunc vomitum praecedunt et comitantur.

Cibi eo tempore assumti graves oppressiones creant, saepeque ante sanguinis vomitum iterum reiiciuntur.

Deiectio nigra ubique fere subsequitur, vel simul adest, interdumque aliquot dies praecedit. Alias alvus adstricta est.

Magna virium prostratio cum hac vomitione coniuncta est, facileque aegri in eadem deficiunt..

Frequentissime aliquoties intra unum, duo vel tres dies recurrit. Deinde quoque in nonnullis per periodos, breviore aut longiore intervallo, repetere consuevit.

§. 277.

Effunditur sanguis in ventriculam vel ex propriis ipsius vasis, vel lienis, aut hepatis, dilatatis, ruptis aut

aut exeſis, interdumque etiam, licet rarius, ex inteſtinorum tenuium, maximeque ilei, meſeraicis vaſis qualitercunque affectis. Atque is vomitus proprie cruentus appellatur: quem ideo a ſpurio diſtinguere oportet, de quo mihi ſermo hic non eſt, quando ſcilicet ex naribus, ore, faucibus, oeſophago ſtillans ſanguis ad ventriculum deglutitione defertur, et ex hoc deinceps vomitione reiicitur.

§. 278.

Cauſae vomitum cruentum excitantes ſunt variae, quaevis acria adſumta, venena, vomitoria, hirudines deglutitae, vermes in ventriculo hoſpitantes, eiusdemque tunicas lacerantes, ſcorbutus, morbus atrabilarius, ſcirrhus ventriculi, hepatis, lienis, febris acuta, intermittens male curata, ulcera crurum conſolidata, denique ventriculi inflammatio, ulcus, vulnus, et vehementior contuſio.

Praeterea in foeminis ex menſtruo fluxu ſuppreſſo, ceſſante, imminenteve, in gravidis, parturientibus, ut et in viris ex haemorrhoidibus interceptis occurrit. Isque fluxus a retenta qualicunque ſanguinis evacuatione aut plethora ortus plerumque periodicus eſt, et menſtruo tempore vel alio recurrit.

An etiam ſubitae aeris mutationes vomitum cruentum excitent, velut *Hoffmannus* contendit *), de eo valde dubito, et bonum virum ſuſpicor falſae cauſae morbum tribuiſſe; ſiquidem multo frequentius id alias fieri exiſtimaverim, ac vulgo conſuevit.

In infantibus recens natis vomitus cruentus cum ſimili ſeceſſu etiam aliquando incidit; et id quidem procul dubio ex vehementi ventris aut capitis in partu compreſſione.

Saltationes aliaeque vehementes exercitationes, liberalior item vini usus et mentis commotiones in dispositis facile morbum suscitant.

*) *Med. rat. system. T. IV. P. II. Sect. I. c.* 3. §. 17

§. 279.

Omnis sanguinis vomitus, qui cum febre, aut magno impetu fit, valde periculosus est, saepeque vel in prima, secunda aut tertia accessione letum affert.

Tutissimus tamen, immo adeo salutaris est, qui periodos habet et generatim a plethora nascitur; in quo quippe raro quoque sanguis immodica quantitate extunditur. Huius fluxus quoque solutio fit, si ex naturalibus viis sanguis posthaec iterum erumpit.

Periculosissimus contra est, qui toto corpore, aut hepate, aut liene male affecto, itemque scirrhoso ventriculo contingit.

Ancipitem eventum habet, qui in recens natis excitatur. Nec is a partu periculo caret.

Qui in consuetudinem abiit, hydrope aut tabe plerumque terminatur, aliaque preterea infert mala, dolores colicos, cephalalgiam, anorexiam, coecitatem.

Interim leviores lienis atque hepatis obstructiones, malum hypochondriaco hystericum, et quartanas febres salutariter interdum vomitus cruentus tollit.

Ille vomitus, quem spurium appellavi (§. 277.), omnis periculi expers est, nisi si ab aneurysmate aortae rupto *) proficiscitur.

*) vid. *Boissier de S. Nosolog. method. T. III. Class. IX. p.* 41.

§. 280.

Methodus medendi, pro causarum ipsius diversitate, diversa paulum ratione instituenda est.

Ex vulnere, contusione, et quacunque re acri ingesta ortus cruentus vomitus sanatur lacte, in quo paulum amyli coctum; aquave frigida, cui succus citri aut berberum, vel arabicum gummi admixta.

In reliquis casibus, ubi sanguis ex inquilinis caussis h. e. sponte vomitione extunditur, tum iidem succi acidi aqua diluti prosunt, tum simplex aqua frigida, aut posca, tum ptisana hordei, in cuius libra nitri purissimi uncia soluta est, adiecta aequali syrupi emulsivi portione, tum etiam infusum ex herbae millefolii, virgaureaeque manipulo uno, florum balaustiorum, rosarum rubrarum, singulorum pugillis duobus, radicis symphiti et altheae uncia una paratum, et patellari mensura singulis horis tepide haustum. Quicquid vero ex his ingeritur, stomacho nequaquam infensum esse debet.

Sique ex plethora aut suppressa haemorrhagia malum ortum, sanguinis missione simul opus est, aliisque deinceps auxiliis, quorum ope ea revocatur.

Nec in vomitione spontanea, quam dixi, clysteres lenientes et lubricantes omitti debent; neque pediluvia tepida, nisi aliud quidpiam ipsorum usum impediat.

Quae a partu sanguinem vomitu extundunt, his venaesectio, et clysteres, et lac pro potu per octo et plures dies, et vesperi emulsiones papaverinae vel syrupus de meconio conveniunt.

Si hirudo epota est, acetum cum sale bibendum est,

est, aut oleum amygdalarum dulcium ad duas uncias; quod simul vomitione eandem exturbat.

Vomitus sanguinis recens natorum hoc oleo quoque sistitur, in cuius uncia dissolutum est spermatis ceti drachmae dimidium, sic, ut singulis horis aliquot cochlearia parva ipsis exhibeantur.

In asciten delapsis ex vomitu cruento paracentesis mortem accelerat.

In vomitu sanguinis spurio deglutitus sanguis emetica medicina optime excutitur.

§. 281.

Sedato vomitu oportet infusum laxans propinare, idemque tertio die repetere; deinde infusum millefolii aut arnicae cum floribus per aliquot hebdomades sorbere, vel essentia millefolii in connubio essentiae gascarillae aut tincturae martis cydoniatae uti. Ceterum cibi nonnisi mollissimi per longum tempus assumendi sunt.

FLVXVS HEPATICVS.

§. 282.

Improprio nomine fluxus ille cruentus dicitur hepaticus, sub quo sanguis loturae carnis similis, idemque vel sincerus vel excrementis mistus secedit, frequenter quidem satis per diem noctemque, haud ita tamen multus et sine torminibus ac tenesmo: unde a dysenteria distingui potest.

Malum diu trahit per plures menses et annos, sique aliquamdiu siluit, iterum recrudescit. Corpus sub

eo torpet, pallet, et emarcescit. Appetentia ciborum fere nulla est; sitis plerumque magna, lingua sicca.

Morbus in se rarissimus est; ut nonnulli adeo existentiam eius negaverint. Non solum vero per se, sed etiam ex dysenteria quandoque oritur.

Fluxui haemorrhoidali porro simillimus est, et a quibusdam etiam pro tali habetur: verum tamen ab eo inde maxime distinguitur, quod non ita cumulatim, ac in haemorrhoidali fluxu, et minoribus intervallis cruenta feruntur; et quod ipse fluxus haemorrhoidalis hepatico se interdum symptomatice adiungit.

§. 283.

Quamquam nemo hodie cum antiquis sedem hepaticae deiectionis in hepate quaerit; tamen non ex toto haec sententia reiicienda est, siquidem in exeso hepate sanies, loturae carnium similis omnino reperta fuit, qualem longo tempore aliquis excrevit *). Interim, cum multo saepius hepar integrum, quam sic affectum in cadaueribus deprehenditur **); consumtio eius ulcerosa pro uniuersali causa fluxus hepatici haberi non debet; sed pro particulari tantum, quae tum saltem assumi cum probabilitate potest, quando iecur ex inflammatione suppuratum, et post haec fluxus sanguineus suscitatus fuerit.

Alias vero videtur malum ex arteriis intestinorum lymphaticis relaxatis, vel ex venis quoque rectius derivari posse, quae propterea sanguinis tenuioris portionem commode transmittunt. Haecque sententia non solum symtomatibus respondet morbi, quod scilicet deiectio sine dolore fit et diu trahit, sed ipsa autopsia confirmata fuit, dum in cadavere non solum turgidae mesenterii venae ac arteriae repertae, sed et ilei, coli ac

ac recti interna ſuperficies punctulis rubris obſeſſa viſa eſt, unde adeo guttulae ſanguinis exprimi potuere ***).

*) vid. *Iac. Bontius de medicina Indor. Tr. IV. obſ. 9.* p. m. 37.

**) vid. *Elleri medicin. und chirurg. Anmerkungen*, p. 118. ſequ.

***) vid. *Klaunigii noſocom. charitat. Obſ.* 23.

§. 284.

Fluxus hepaticus ex hepatis ulcere inſanabilis eſt. Alter ex inteſtinorum vaſorumque meſaraicorum laxitate rebellis et pertinax eſt, tabemque letalem ſaepe infert.

Huius vero curatio optime ſic perficitur. Matutinis horis infuſum vinoſum ex radicis Ipecacuanhae drachma dimidia et vini albi unciis duabus ſaepius et per plures dies, non vomendi, ſed incidendi et contrahendi ſcopo duntaxat praebetur: pomeridianis vero et veſpertinis pulveres abſorbentes, demulcentes ac roborantes, quales ex lapidum cancrorum praeparatorum, boli Armenae praeparatae, ſingulorum drachma, gummi tragacanthae ſcrupulis duobus, extracti gaſcarillae granis duodecim fiunt et in ſex partes aequales dividuntur. Quibus ſemel vel aliquoties devoratis, de roborantium claſſe, velut infuſo vinoſo corticis Peruviani, decocto Simarubae, eſſentia abſinthii compoſita, galangae, gaſcarillae, aliquid decernendum eſt et diu uſurpandum.

Ceterum decoctum radicis cichorei utiliter datur, admixto pauxillo vini; itemque citri ſuccus cum mulſa cyathi menſura per ſingulos dies.

Pluri-

Plurimum denique adiuvat panis vino madidus, cui tragea aromatica inſperſa, et milium coctum, e puls ſimiliter.

§. 285.

Mentio nunc facienda eſt alterius generis fluxus hepatici intermittentis, qui ſymptoma eſt febris huius nominis, et cum eadem incipit, terminatur ac revertitur in ſingulis acceſſionibus *). Is fluxus ſubitam virium exſolutionem infert, eo, quod cumulate fit; et ſecundo vel tertio paroxyſmo mortem minatur. Interdum loco ſeri ſanguinolenti ſanguis niger deſcendit, quod peius. Largus uſus corticis Peruviani ſumme neceſſarius eſt, aliisque remediis praecellit.

*) *Franc. Torti* hanc febrem deſcribit, et hepaticam vel ſubcruentam vocat, libro ſaepius laudato p. 126. 182.

HAEMORRHOIDVM FLVXVS NIMIVS.

§. 286.

Haemorrhoidales venae internae interdum nimis diu et tam copioſe ſanguinem, varia quidem conſiſtentia et colore, et ſub variis pathematibus fundunt, ut homines inde imbecilliores facti non ſolum ſanitate, ſed ipſa adeo vita periclitentur. Idque profluvium vel una ſerie continuat, vel per intervalla nunc longiora nunc breviora cumulate recurrit.

Externae, quae anum circumdant, venae haemorrhoidales, ſive ſponte ſive arte apertae, rarius ſanguinem tam copioſe fundunt, ut vires praeter modum labefactentur *).

*) Inaa-

*) Inauditum hinc pene eſt, quod *Puerarius* narrat in *Burneti theſaur. medic. pract.* T. II. p. 45. quod ab hirudinum applicatione immodicum et vix ſiſtendum fluxum aliquis expertus ſit.

§. 287.

Cauſas huius fluxus longius percenſere non opus eſt, quum non aliae ſint, quam ceterarum haemorrhagiarum. Vnum illud ſaltem notari meretur, quod principalis eius ortus ab impedito motu ſanguinis per haemorrhoidales atque meſeraicas venas, ipſumque hepatis ac lienis viſcus derivandus ſit; ceu eorum ſectiones, qui tali fluxu periere, teſtantur, in quibus quippe enormes venae haemorrhoidalis diſtenſiones iuxta atque infarctus viſcerum inſignes ſcrutatorum oculis ſe manifeſtarunt.

§. 288.

Nunquam utique periculo immoderatus fluxus caret: hoc tamen non in omni ſubiecto ex menſura atque tempore tantum aeſtimari debet, ſed ad effectus, quos fluxus producit, reſpiciendum eſt. Quare periculum tunc imminere ſciendum eſt, ſi praecordia ſenſu gravativo anguntur, extrema frigent, facies collapſa eſt, vires valde decreſcunt et animi deliquia accedunt. Tunc enim perſaepe ipſe morbus citam mortem inducit. Alias hydrops cum tabe ſupervenire ſolet.

§. 289.

Quanquam ſanguinis profluvium non aliis facile remediis, niſi ſupprimentibus, ſedari poteſt; in quibusdam tamen parum tuto ſupprimitur, qui iſto imbecilliores non fiunt; quum purgationem hanc, non morbum habent. Ideoque curatos quosdam, quum ſanguis exitum

exitum non haberet, inclinata in praecordia ac viſcera materia, ſubitis et grauiſſimis morbis correptos eſſe, notatum legitur *).

A venaeſectione itaque et cucurbitulis, ſi circumſtantiae ferunt, cura incipienda eſt, ſimulque ex tonicis medicamentis quaedam intus exhibenda; deinceps vero ad leniora ſupprimentia, et ab his, ſi nihil praeſtant, ad fortiora procedendum.

Idonea itaque hic ſunt primo infuſum ex millefolio, virgaurea et hyperico; vel urticae ſuccus ad uncias duas, mane et veſperi datus; deinde cortex Peruvianus in pulvere ad dimidiam drachmam cum vitrioli martis factitii granis duobus vel tribus combinatus; aut mixtura ex tincturae martis cydoniatae drachmis tribus, anodynae drachma una, et liquoris mineralis Hoffmanni dimidia, ſingulis duabus vel tribus horis ad octoginta guttas ſumta; aut pilulae, quae ex his conſtant: gummi bdellii drachmis tribus, trochiſcorum de carabe ſcrupulis duobus, vitrioli martis factitii ſcrupulo uno, mucilaginis tragacanthae vel ſeminis cydoniorum q. ſ. quarum ſedecim ad viginti grana mane et veſperi deglutiuntur; tum clyſteres frigidi ex ſupra dictis plantis, floribus balauſtiorum, ſucco acaciae, aqua et vino parati; immo etiam ſemicupia frigida.

Si iſta parum iuvant, ſuppoſitoria aliquot pollices longa ex adſtringentibus et condenſantibus rebus, velut ſucco acaciae, plumbo uſto, colophonio, olibano, bolo Armena et ſevo hircino in alvum immitti debent; extus vero panni decocto glandium vel foliorum quercus recentium ex aceto madidi, aut vitriolum martis aqua dilutum adplicari; et, ſi ora venarum haemorrhoidalium exterius tamquam capitulis quibusdam turgentia ſanguinem fundunt, etiam boviſta aut pulvis combuſtae ranae vel bufonis, aut vitrioli colcothar.

 Quan-

Quando ſanguinis profluvium ita detrivit vires, ut hydropis periculum immineat, infuſum chelidonii ex cerevifia aut vino maceratione factum prodeſt. Tabidis vero aſſiduus lactis uſus in cibo et potu convenit.

Ad recurſum profluvii impediendum, iuvat decoctum ex lentiſci raſura vinoſum ad duos cyathos per menſem quotidie haurire; deinde ſanguinem aliquoties in anno ex brachio mittere, ſinguloque trimeſtri tamarindis ad purgandum uti. Neceſſe eſt etiam, omnem negotioſam actionem circumcidere, omniaque inflantia et calefacientia vitare alimenta.

*) *Celſus de Medicina*. L. II. cap. 7. p. 66. et L. VI. cap. 18. art. 9.

MICTVS CRVENTVS.

§. 290.

Sanguis etiam per urinae vias vel purus vel urinae miſtus fertur ac meiitur; idemque ex renum, ureterum, aut veſicae vaſis ampliatis, eroſis, vel ruptis provenit.

Ex *renibus* ſanguis elabitur ſine dolore, et repente magnaque interdum copia ad libram et ultra, ſic ut vitae periculum prae nimia inanitione immineat. *Haematuria* is mictus appellari poteſt.

Ex *ureteribus* vero idem parcus profluit, cum dolore iliorum ac lumborum, et difficili mictione.

Ex *veſica* non multus quoque mingitur, ſed nigricans et polypoſus, cum dolore et ardore circa veſicam, tam ſub mictu quam poſt illum, quin aliquando gravioribus aliis pathematibus, anxietate, lipothymia,

mia, extremorum frigore, ſudore, frigido: *Haemorrhoides veſicae* vocant. Vbi vero ſanguis e veſica propter calculum profluit, urinae obſtructio emiſſionem plerumque praecedit, et grumi interdum cum moleculis craſſioribus ſabuloſis firmiter compacti una cum lotio emittuntur. Quod quidem etiam aliquando tum evenit, quum lapillus reni impactus eundem ſauciat.

§. 291.

Vrina vero in Haematuria ſanguini perfecte miſta obſcure vel dilute rubet, poſteaque ſedimentum grumoſum et rubro nigricans demittit; ſique ante linamentum in eandem immittitur, colore rubro iſtud tingit.

Sub haemorrhoidum vero fluxu e veſica urina pallet, nec ullum colorem ab immiſto cruore accipit, qui in conulos formatus ſtatim ab emiſſione in eadem ſubſidet.

§. 292.

Cruenta a renibus mictio, quae ſine magna renum imbecillitate per inquilinas cauſas moveri non poteſt, multis per circuitus redit *), inque his potiſſimum, quibus menſtrua aut haemorrhoides non proveniunt aut ceſſarunt. Eadem illa quandoque cum haemorrhoidibus veſicae ſimul praeſto eſt. In pueris rarius, in infantibus rariſſime occurrit.

Porro ſanguinis mictio a renibus fortiorem corporis motum, praeſertimque equitationem et vectionem, ſequi ſolet; itemque ab inflammatione renum, a lapillo eorundem, a rupto horum abſceſſu, ab ulcere eorundem, a purgante diureticoque acriore, ab atrocibus doloribus ventris, ab arthritica et podagrica materia,

ria, arctioribus vestimentis, quibus abdomen multum comprimitur, spirituoso multo potu, et fortioribus emmenagogis proficiscitur. Praeter haec vero a casu violento moveri eadem consuevit, sive grave onus aliquis levavit, sive ictus est, sive ex alto cecidit, aut quid huiusmodi perpessus iniuriarum est; aut si membrum aliquod amputatum est, Ceterum sanguinis colliquationes in febribus permultis maglignis in caussa huius cruentae mictionis sunt; rarissime ea criticae excretionis locum in illis tenet.

Mictio sanguinis a vesica profecta non solum multas caussas cum priori communes habet, sed praeterea quoque a verme illinc haerente et partem istam arrodente movetur: qui ab alio opinionem saltem lumbrici faciente et a concreto sanguine formato probe discernendus est. Interdumque etiam, ut prior, certis temporibus revertitur.

*) vid. *Aretaeus L. IV. cap.* 3

§. 293.

A profluvio sanguinis inductus mictus cruentus a renibus non est periculosus, sed potius salutaris, licet copiosus. Fieri tamen periculosus et exitialis potest, si crebro revertitur et vires exhaurit; unde in senibus magis, quam in iunioribus, pertimescendus. Sanguinis etiam grumus in uretere haerens aut spincterem vesicae obstipans, ischuriam producere potest.

Minus periculosus quoque est, qui sine febre ac dolore accidit, aut membri amputationem sequitur.

Non sine periculo contra is est, quem externa violentia induxit; itemque qui ab exulcerato rene aut vesica fertur et puris mictum cum dolore habet comitem.

Peri-

Periculosissimus vero est, qui febribus acutis, nephritide sola excepta, supervenit; nisi forte criticus fuerit.

Sanguinis effluvium e vesica procedente tempore plurimos iugulat, qui ante in tabem aut hydropem coniiciuntur. Alios matura mors ex lotii suppressione tollit.

Qui a vermiculo vesicae excitatur mictus, eodem excluso finitur.

Qui ab asperiore calculo aut pluribus, difficilis sanatu est, neque prius, quam hoc expulso aut sublato, cessat.

§. 294.

Ad curationem mictionis cruentae a renibus venio. Quodsi malum ex plethora aut doloribus intestinorum oritur, omne curationis punctum fert sanguinis detractio: quam repetere etiam iuvat ante illa tempora, quibus cognitum fuit ipsum mictum reverti solere.

Etiam illum mictum sanguinis missio levat, qui ex ebullitione a mero aliave causa ortum trahit; cum eo tamen, ut simul refrigerantia, velut pulvis antispasmodicus cum conchis citratis, cremor tartari, spiritus nitri dulcis, anodynus mineralis, aut elixir acidum Dippelii exhibeantur, nisi venaesectio suffecerit.

Mictum a purgante aut diuretico acriore optime lac ubertim potum compescit.

Mictum cruentum a lapsu et contusione optime curat infusum florum et foliorum arnicae, aut radicis rubiae tinctorum cum hydromelite.

Alias in immodico profluvio fubadftringentia conveniunt; qualia funt decoctum equifeti, agrimoniae, verbenae, fuccus plantaginis, urticae, lac chalybeatum, aut aluminatum, et mixtura, quae ex his conftat: Aquae plantaginis unciae quatuor, aceti deftillati fefqui uncia, boli Armenae praeparatae, coralliorum rubrorum praeparatorum, fingulorum drachmae duae, trochifcorum de carabe drachma una, fyrupi berberum uncia: de qua cochlear plenum vel duo brevibus intervallis fumuntur. Adhaec iuvat extus refrigerantia regioni lumbari fuperimponere; quale eft unguentum Comitiffae aut quod ex emplaftri de fpermate ranarum partibus octo, facchari faturni parte una, et camphorae dimidia componitur.

Vbi fpafticae extremitatum conftrictiones cum algore exercent, opiato remedio fimul opus eft.

Sedato fluxu, in roborantibus apozematibus aeque ac topicis illis paullo ante praeceptis aliquamdiu eft perfeverandum. Apozematibus vero fubftitui etiam poffunt cortex Peruvianus cum croco martis antimoniato remixtus, aut pilulae ex pulvere foliorum uvae urfi et mucilagine tragacanthae, itemque ex infpiffato plantaginis aut portulacae fucco et gummi arabico paratae; quarum fingularum dofis drachma dimidia eft; defuper hauftis etiam lactis chalybeati aliquot unciis.

Denique vero in vita victuque multa circumfpectione uti oportet, praefertimque neque equitare, neque curru vehi, nec fomno in dorfo indulgere, omnem violentam exercitationem vitare, et a vino, omnibusque calefacientibus ac diureticis rebus in cibo et potu abftinere. Pro potu confueto autem vtiliter decoctum cerasorum nigrorum fumitur.

§. 295.

§. 295.

Mictio cruenta a vesica prorsus alia fere remedia desiderat, quam illa a renibus (§. 294.). Primo enim ad haemorrhoidales venas sanguis, quoad licet, ducendus est: quod quidem quomodo exsequendum, alio loco, quum ad suppressas haemorrhoides venero, praecipiam. Deinde vero maxime curandum est, ut spasmus ille dolorificus vesicae, qui ab infarctu vasorum eius producitur, et corpus lente consumit, leniatur; cui scopo assiduus et longus usus decocti foliorum altheae cum melle egregie inservit. Expedit etiam in summo dolorum cruciatu clyster ex mollientibus et balneum. Temperantia medicamenta perperam contra hoc vitium praescribuntur.

Si urinae retentio a concreto sanguine, vesicae ostium occludente, excitatur, tentanda sunt primo balnea et inunctiones abdominis et cataplasmata perinaeo applicata cum interno usu decocti florum et foliorum arnicae, admisto etiam oxymelite. Sin autem haec cuncta opem non ferunt, catheter in vesicam demittendus est, quo, qui intus se opposuit, sanguinis grumus superari, lotioque exitus conciliari potest.

HAEMORRHAGIA PENIS S. STYMATOSIS.

§. 296.

Quam plerique autores tum veteres *), tum recentiores praetervideerunt, haemorrhagiam penis nunc describendam aggredior. Qua sanguinis puri effluxus ex interiore penis meatu sive urinae fistula significatur, qui nullo voluntatis arbitrio et sine urinae mictione ex aperto, rupto, vel exeso vase sanguifero colis contingit.

*) Ex his nemo praeter *Caelium Aurelianum* huius affectus meminit. *L. V. de morb. chron. cap.* 4. p.m. 572.

§. 297.

In ſtymatoſi ergo ſanguis ex interiore penis meatu inopinanter ultroque ſine omni nixu, quem mictio alias requirit, et plerumque etiam ſine dolore, ſincerus elabitur, vel tenuis et naturali ſuo colore praeditus, vel grumoſus et nigricans.

Coles ipſe in hoc fluxu vel riget, vel flaccidus eſt.

Sanguinis manantis copia diverſa eſt, et ab aliquot unciis ad plures libras adſcendit. Praeteraque tempus diverſum eſt, ſic, ut haemorrhagia vel intra unam aut alteram horam ceſſet, vel per plures dies continuet.

Cum adoleſcentibus, tum viris, modo ſemel tantum, modo pluries, tumque ſaepe ſtatis periodis, ut mulieribus ſuus per vulvam fluxus, contingit. Interdum tamen etiam longiora aut breviora intervalla obſervat: et aliquando vicem haemorrhoidalis ſuſtinet.

Aliis non niſi in coitu aut in pollutionibus cruor loco ſeminis, nec minori voluptate quam hoc, eiaculatur.

Quidam huic fluxui obnoxii effeminati fuerunt reperti, et mammas lacte turgidas, ut mulieres, habuerunt.

Quidam eundem a patre per haereditatis quaſi traducem nacti deprehenſi ſunt.

§. 298.

Cauſae Stymatoſis vel internae ſunt, vel externae. Ex prima claſſe plethora eſt, et fluxus haemorrhoidalis

lis interceptus, et urethrae vitia, cuiusmodi tam a calculi sectione, quam a larga gonorrhoeae tam benignae, quam malignae consuetudine fieri possunt; itemque ulcus in glande. Sed hae vero evidentiores causae non semper adsunt, nec allegari possunt tum in fluxu periodico tum in haereditario, qui ortum suum haud dubie a iusto laxioribus atque amplioribus urethrae vasis, praesente plethora, trahunt: quemadmodum etiam is, qui in coitu, et per insomnia vel sola cogitatione libidinosa contingit, nonnisi ab hac causa derivari potest.

Violenta ac nimis intenta actio in coitu, et vehementior ictus ad posticam colis regionem, quo vasa eius disrumpuntur, externas causas Stymatosis efficiunt.

§. 299.

Immodica Stymatosis idem periculum affert, ac aliae haemorrhagiae. Vires inde consumuntur, animus deficit, singultus praesto est, corpus alget et riget, ac febris, adeo furiosa, excitatur.

Periodicus fluxus aeque salubris est viris, ac menstruus mulieribus. Quibus ergo supprimitur aut retinetur, hi in morbos pariter incidunt.

Quibus sanguis loco seminis eiaculatur, ii difficulter vel plane non ab hoc malo liberantur. Quibus vero sanguis per intemperantiorem saltem coitum manat, eos curatio tantopere non fallit.

Si ictero accedit Stymatosis, id quod tamen vix unquam fieri solet, eum solvere observata fuit.

§. 300.

Ad curationem Stymatosis progredior. Quae quidem non temere ubique suscipienda est, minimeque

in ſpontaneo fluxu, niſi is forte limites excedat. Quapropter cura potius adhibenda eſt, ut ſi retentus ille aut ſuppreſſus fuerit, in ordinem rurſus redigatur.

Quodſi ergo Stymatoſis activa, nec iuſto intemperantior eſt, nullo prorſus auxilio eſt opus.

Paſſiva contra omnis, qualis eiaculatoria, violenta, et ex ulcere glandis orta, nunquam propter periculum ex inanitione negligenda eſt. Tumque venaeſectio, temperantia, infuſa traumatica, et extus epithemata ex adſtringentibus rebus, nec non aqua ſclopetaria in iniectione conveniunt. In rebelli Stymatoſi ex ulcere glandis valida eius adſtrictio et compreſſio mediante praeputio ſanguinem manantem optime compeſcit.

Conf. noſtra diſſertat. *Stymatoſis, vulgo Haemorrhagia penis dicta, morbus rarus et portentoſus ex hiſtoriis Medicorum erutus et explanatus*, reſpond. *Iuſt. Herm. Seedorff*. Gotting. 1765.

VTERI HAEMORRHAGIA.

§. 301.

Non omnis larga ſanguinis ex utero profuſio morboſa eſt, et haemorrhagiae nomine ſignificari debet; ſed haec duntaxat, quae praeter morem diutius per menſes et annos *), interiectis ſubinde brevibus intervallis, perſeverat et liberalior eſt, iuſtove citius recurrit, et non levem imbecillitatem cum aliis functionum laeſionibus humanae machinae inducit.

Sanguis emanans modo ater eſt et grumoſus, modo tenuis et floridus, modo valde aquoſus velut ſanguinis ſanies **), modo foetidus, modo carnoſae maſſae ſimilis, et diverſae molis.

*) vid.

*) vid *Cornel. Trioen Observ. med. chir.* p. 49.
**) vid. *Prosper. Alpini medicin. method.* P. II. p. 764.

§. 302.

Gravativus lumborum dolor, extremorum horror, ventris atque hypochondriorum strictura, anxietas aestuosa, urinae parcior fluxus, faciei ardor, susurrus aurium, pruritus corporis aut rheumaticus dolor, inappetentia, murmura flatuum, utplurimum haemorrhagiam istam et praecedunt et comitantur.

Haec ipsa vero diverso tempore vel ipsa lunari periodo, qua menstrua erumpere solent, vel extra eam, nec non sub abortu, sub molae exclusione, ante partum, sub illo, et post hunc incidit.

Quamquam vero menstruatae mulieres profluvium istud proprie experiuntur, nihilominus tamen etiam tum seniores, quibus menstruorum cessatio naturaliter imminet aut iam facta est, tum puellae iuniores impuberes, immo adeo recens natae eidem subinde exponuntur.

§. 303.

Vehementior ictus uteri gravidi, lapsus in terram, quo uterus gravidus concutitur, et vulneratio huius visceris, inter externas causas huius profluvii eminent. Spontaneum vero pro causa agnoscit vasa uteri nimis laxa, graviditatem veram et inprimis spuriam, secundarum retentionem aut violentam avulsionem, plethoram, aut pravum corporis habitum, interdum etiam ulcus in utero aut vicina parte, quod eiusdem vasa erodit *).

Moeror, iracundia, aestus, et omnis vehemens motus, etiam tussis et sternutatio, facile deinceps fluxum revocant.

*) vid.

*) vid. *Halleri Opusc. pathol. Obs. 39. hist. 1.*

§. 304.

In cacochymico aut scorbutico corpore haemorrhagia uteri maxime omnium periculosa est, ac hydropem et tabem inducit. Vberrimus etiam tum fluxus est, et vix coercibilis, certe brevibus intervallis, saepeque recurrit.

Valde periculosus quoque est, et plerumque velocissime necat, tam qui ex placenta uteri orificio accreta et ante partum sponte soluta, quam qui absoluto partu ex ruptis uteri vasis contingit. Minus exitialis is est, qui a retentis secundinis et a mola efficitur: tutissimus, qui in ipso partu fit.

Neque nisi raro in annosioribus foeminis, postquam menstrua cessarunt, periculo caret. In his subinde quoque incidit, ut derepente et absque ulla praesignificatione aliqua sanguinis coagulati portio ex utero erumpat, et mox fluxus sponte cesset: unde nullum quidem periculum.

In recens natis ac puellis iunioribus utcunque immoderatus letalis est.

Ceterum ubique cum diuturnitate fluxus periculum eius crescit.

Sedato fluxu, interdum humor saniosus, foetidus, diversi coloris, loco sanguinis emanat, accedente lenta febre, et, elapso uno vel altero anno, morte. Retento autem istiusmodi humore, ut nonnunquam fieri solet, protinus borborygmi, spasmi flatulenti, cardialgiae et anxietates praecordiorum accedunt.

§. 305.

In ſanguinis miſſione gravidae ad abortum inclinantes magnum praeſidium prophylacticum reperiunt, ſi aliquot hebdomades ante metuendum abortum ſanguis ad tres vel quatuor uncias ex brachii vena educitur, idque aliquoties, interiectis quatuor vel ſex diebus, repetitur.

Eademque ratione his ſuccurritur, quibus menſtrua nimis copioſe fluunt, ſi nempe ante ſuetum tempus ordinarii fluxus ſanguis ſic ex vena pedis detrahitur. Vbi vero iam multus ſanguis effluxit, ad ſuperiora loca ille per ſectionem in brachio commodius revocatur. Idque etiam expedit, quoties in annoſioribus periculum ex haemorrhagia ſuboritur.

In haemorrhagiis gravidarum, quae nulla ratione compeſci poſſunt, excluſio foetus quantocyus ſecundum artis regulas promovenda eſt; et placenta quoque, ſi praeter naturam uterino oſculo accreta eſt, opportune ſeparari debet.

Haemorrhagiam ex mola neque venaeſectio, neque alia remedia compeſcunt. Naturae ergo potiſſimum opus relinquendum eſt, et vires conveniente cibo et potu ſuſtinendae: quam primum vero digitis prehendi mola poteſt, ea educenda eſt.

§. 306.

Et ſanguinis miſſio, eaque repetita, ſi vires permittunt, ad curationem ſaepe ſufficit. Niſi vero hoc fit, aliis auxiliis ſuccurrendum eſt, tum internis, tum externis.

Ex priorum genere ea huc ſpectant, quae capite de Haemoptyſi a me praecepta ſunt; praetereaque decoctum

coctum Simarubae aut corticis Peruviani, philonium item, et theriaca, et mithridatium, et quod potentissimum omnium deprehendi, oleum martis ad guttas octo vel duodecim cum largo aquae vehiculo aliquoties sumtum. In longo fluxu et saepius recurrente etiam purgantia leniora et emetica proficiunt.

Ex altero genere in usum vocari debent cucurbitulae sine ferro, ad mammas aut dorsum appositae; epithemata ventri applicata ex aceto, e quo etiam cortices granatorum, gallae et vitriolium martis coqui possunt; iniectiones similes in vulvam, aut harum loco aqua, in qua gummi arabicum solutum; immitti etiam in vulvam possunt linteamina contorta, penis figuram habentia, et solutione vitrioli martis aut colcotharis vitrioli madida. Minus valentes sunt plantae recentes contusae ex adstringentium familia, in vulvam immissae, suffitus ungularum animalium, aut ranarum combustarum, aut panni chermesino colore tincti ad vulvam admissi, et bufo exsiccatus, qui umbilico adfigitur.

§. 307.

Neque vero sedato fluxu interna remedia purgantia et roborantia cum alterantibus statim seponenda, sed potius perpetuanda sunt; illa quidem bis saltem in hebdomade, haec vero continuo: quorsum adhuc refero serum lactis chalybeatum, lac ipsum vel per se vel aquae Selteranae aut decocto chinae mixtum, tincturam martis Zwelfferi vel Ludovici, pulverem cachecticum Quercetani cum cortice Winterano, decoctum corticum aurantiorum, infusum millefolii theeforme, et potionem calidam ex vini rubri unciis quatuor et vitello ovi confectam, quae singulis diebus ieiuno sumenda. Ceterum utilissime decoctum frigidum corticis Peruviani et herbae millefolii quotidie semel in alvum infunditur.


Vinum

Vinum rubrum austerum aqua martiali dilutum pro potu ordinario inservit.

§. 308.

Quodsi non sanguis, sed sanies rubra et alba profluit; neque venaesectione, neque adstringentibus medicamentis opus est, sed purgantia, diuretica, et roborantia requiruntur.

Haemorrhagias a partu pilulae balsamicae Beccheri vel Stahlii celerrime sistunt.



CLASS. II. ORDO II.

APOCENOSES.

CATARRHVS NARIVM, FAVCIVM, ET PVLMONVM.

§. 309.

Pituita utcunque acris aut viscida saepenumero copiose ad nares, sinus capitis mucosos, laryngem, fauces, et pulmones fertur, praesertim vernali, autumnali, atque hyemali tempore, omnique humida ac praefrigida tempestate, illic gravedinem et coryzam cum crebriore sternutatione et gustus ac olfactus defectu *), hic tussim humidam, siccam, aut branchum creans, ac utrobique corporis gravitatem, lassitudinem, anorexiam, aliaque incommoda inducens.

Iist

Istique catarrhi vel coniunctim vel separatim adsunt, humorque stagnans vel ab initio acris et tenuis est, vel tenax et viscidus. Vterque cruditatis et coctionis stadium observat, inque hoc facile, in illo aegerrime reiicitur, et acuto modo interdum necat; *Peripneumoniam notham* vocant, si catarrhus sedem in pulmonibus habet, et laboriosam respirationem cum vehementiore tussi movet; et *catarrhum suffocativum*, si subito hominem adoritur, cum veloci, magna, atque stertorosa aut sibilosa respiratione.

Aliquando febris levior catharris se adsociat, *catarrhalis benigna* hodie dicta, quae intra septem, quatuordecim, aut viginti dies ad summum diarrhoea aut sudoribus iudicatur.

*) Memoratu digna est *Bartholini* observatio de continua coryza, sub cuius incremento intra nares vesicula oblonga, membranosa, rotunda, candida, sero plena, mobilis, nunc in medio narium subsistens, nunc extra eas prominens, iterumque levi digitorum impulsu sursum trudi se sinens, orta est, ex qua nunc exsudavit, nunc exstillavit serum. vid. *ei. Histor. anat. Cent. VI.* 37.

§. 310.

Nonnullos quotannis per periodos nunc longiores, nunc breviores, et aliquando noctu saltem, haec aegritudo comprehendit. Alios nunquam fere dimittit. Et, si quos catharrus faucium aut pulmonum pituitosus assidue vexat, hi ideo saepe pro phthisicis declarantur, inprimis si gracilis ipsorum habitus est, et pallida facies. Neque hi ab acriore catarrho liberi manent, qui se priori interdum immiscet, atque subinde nocte subito exoritur et dimidiam horam aut ultra perseverat.

Catarrhus acris morbillos tantum non semper praecurrit et comitatur. Spissior autem frequens comes

mes variolarum eſt. Aſthmati etiam qualiscunque ſe interdum addit, et prius malum periculoſe auget.

§. 311.

Homines pituitoſi, infantes, pueri, ſenes cum catarrhoſis morbis maxime conflictantur: quos intemperies aëris, refrigeratio ſubita et tranſpiratio impedita parat, et materiam deinceps ad illas partes defert, quarum laxior eſt prae ceteris fabrica.

Velut autem vel citra iſtas iniurias atque vitia pituita in corporibus perpetim abundare poteſt; ſic in his continui catarrhi generantur.

§. 312.

Popularis error eſt, idemque maxime reprehendendus, quod autumnali tempore a mature concalefacto conclavi catarrhi concitentur, adeoque minus conſultum ſit, corpora a primo frigore tum afficiente fornacum calore ſtatim praemunire. Enimvero, quem interdum ſaepe diu vitant calorem, is catarrhos demum veriſſime producit, peiores illis, quos raro vel nunquam, qui calido fornace tempeſtive ſuſtentant tranſpirationem, experiuntur.

§. 313.

Catarrhus ſimplex, periodicus, nequaquam inſalubris eſt, ſed hominem potius a gravioribus morbis immunem praeſtat; dum modo frigore ne exaſperetur, quo exitiales morbos, anginam, peripneumoniam, ſubito progenerare poteſt.

Suſpecti vero ſunt nimis longi catarrhi infantum ac puerorum, cum perpetuo rhoncho copulati utpote qui ſub

impetuosiore accessione letalem strangulationem et epilepsiam minitantur.

Catarrhi longi faucium pituitosi in adultioribus aeque salutares sunt, ac simplices periodici: et haemorrhoidum vices in nonnullis sustinent. Qui vero in pulmonibus sedem figunt, phthisin demum, sed tardissime, propter pulmones nimis laxos timere sinunt: eo citius vero ista metuenda, si tussis gravis, immorigera est, et respirandi difficultas tenet.

§. 314.

In catarrho simplici regimen calidum adhibere maxime oportet, ut ne temere humor repellatur. Praeterea laxans mannatum ubique prodest, aliquoties etiam, si opus, repetitum. Speciatim vero in gravedine et coryza vapores calidi naribus excepti, aut lac calide attractum utile est. Catarrhum vero faucium et pulmonum acrem optime decoctum radicis altheae aut furfurum triticeorum, saccharo penidio edulcatum, lenit, si quavis hora patella plena calide vel frigide hauritur.

Catarrhus infantum mucosus pectoralia requirit cum purgante mixta, v. c. linctum, qui ex Syrupi de manna unciis duabus, pulveris radicis ireos Florentinae drachma, et ialappae scrupulis duobus conficitur; de quo ter ac saepius de die cochleare parvum exhibetur. Quodsi vero acutus est, et suffocationem minitatur, necesse est, ut partim vomitorio, v. c. syrupo emetico aut sulphure antimonii aurato oppletio faucium aut pectoris minuatur, non minus ac stomachi, ob deglutitam pituitam, quam tussis emolita est; partim humores aliorsum deriventur: id quod vesicatoria aut sinapismi suris applicati, oleum scorpionum regioni renum illitum, et mixtura praestant ex aquae rosarum unciis tribus, liquoris cornu cervi succinati drachmis dua-

duabus, mellis rosarum aut syrupi de gummi ammoniaco uncia parata, quae cochleari mensura saepe exhibenda: cui, si formidolosa spastica faucium constrictio aliqua se adiungit, etiam moschi grana quatuor vel sex utilissime admiscentur.

Catarrhum longum stertorosum, sed levem, infantum emetica medicina saepe sola tollit.

Pituitae in pulmonum vasis infarctus, quae peripneumoniam notham efficit, moderatam sanguinis missionem, iteratas potiones mannatas, apozemata diluentia ex sarsaparillae, foeniculi, polypodii, et cichorei radice, melle edulcanda affatimque haurienda, et alia resolventia medicamenta, cuiusmodi sunt pulveres ex radice ari, lapidibus cancrorum citratis, nitro et tartaro vitriolato, ac in graviore casu, etiam vesicatoria desiderat.

Catarrho suffocanti derepente succurrendum est sanguinis missione, clystere stimulante ex aqua tepida, sapone veneto et sale vesco acuata, et valentiore resolvente medicamento, quale est sulphur antimonii auratum ad quatuor vel quinque grana cum dupla vel tripla tartari vitriolati portione datum, nec non nervino quodam et antispasmodico, velut liquore cornu cervi succinato. Si malum rebelle, etiam sinapismus aut vesicatorium suris imponendum est. Nec sternutamenta certe aliena sunt. Soluto vero morbo, potest idem liquor aut mixtura tonico nervina Stahlii per aliquot dies indulgeri, iterumque alvus leniente medicamento duci.

Catarrhus longus faucium aut pulmonum pituitosus, qui multis naturalis, furca profecto expelli non potest. Levamen saltem afferunt potiones mannatae per intervalla haustae, et myrrha masticata, quam to-

tam in ore ſaliva liquat, aut ipſius elaeoſaccharum. Nec abs re eſt, ſubinde corticem Peruvianum ad aliquot uncias ſucceſſive devorare. Sub phthiſeos metu pulveres ex aequalibus partibus radicis ari et florum ſulphuris, dimidiae drachmae pondere, conveniunt, aut balſamum pectorale Meibomii a decem guttis ad viginti bis in die ſumtum.

§. 315.

Catarrho narium proxime accedit *Phlegmàtorrhagia*, in qua ultro et copioſe humor tenuis lymphaticus, velut ſanguis e naribus, quibusdam, ſine ſatellitio catarrhi aliove incommodo, deſtillat.

vid. *Phil. Salmuthi Obſervat. med. Cent. I.* 37.

DIARRHOEA.

§. 316.

Nunc de alvi fluxu loquar, cuius varia genera exiſtunt. Leviſſimum eſt, quod Graeci διάῤῥοιαν appellant; in qua ſinceriores humores ſine torminibus ex alvo ſaepius, quam par eſt, feruntur.

§. 317.

Sed haec ipſa diarrhoea diverſa iterum genera ſub ſe comprehendit; de quibus vero cunctis dicere hoc loco non eſt neceſſe. Quatenus enim diarrhoea tanquam ſymptoma in morbis, quales omnino multi tam acuti quam longi, apparet, omnem conſiderationem noſtram hic excludit. Quapropter de illis ſpeciebus tantum dicam, quae ipſae per ſe tanquam proprium morbi genus ſpectari poſſunt.

§. 318.

Harum vero omnino paucae ſunt. Prima species nil niſi ſtercora fuſa ac liquata educit, et a cupediis, a crapula, a voracitate proficiſcitur. Quae ob id *ſtercoracea* aut *cibalis* dici meretur. Appetentiam ciborum tollit, et uno vel altero die rurſus finitur, redeunte cibi cupiditate.

In altera nil niſi ſerum tenue vel mucoſum deſcendit; quae inde *ſeroſa* aut *mucoſa* appellanda. Ea certe ab ingeſtis haud oritur; ſed a toto corpore fit per ſpontaneum decubitum ſeri ad inteſtina, cui maxime autumnale et vernale tempus favet, velut deſtillationibus, quibus ea etiam commode aequiparatur. Balbi, ceu recte ab *Hippocrate* *) animadverſum, eadem ſaepe atque diu corripiuntur. Fortiora purgantia eam ceterum in omnibus hominibus producunt.

Tertia *bilioſa* audit, ex flavedine bilioſa aut viriditate liquatarum fecum cognoſcenda. Priori homines ex ira obnoxii ſunt; poſteriori infantes ex dentitione.

Quarta eſt *lactantium diarrhoea*; in qua, quae deiiciuntur, vario colore, albo, flavo, viridique tincta ſunt, et grumoſa.

*) *Aphor. VI.* 32.

§. 319.

Omnes iſtae deiectiones, ſi ſine febre ſunt, ſi celeriter decedunt, ſi ſpiritus extremam alvum ſequitur, nullum plane periculum adferunt. Et uno die fluere alvum, ſaepe pro valetudine eſt, imo etiam pluribus, dummodo intra ſeptimum diem conquieſcat et ſine febre ſit.

In ſpatio autem periculum vertitur; ſiquidem interdum febres ac dyſenteriam et animi defectionem concitat,

citat; viresque consumit. Febrem autem accessisse, aut semel quiescentem deiectionem revertisse, eandemque diutius trahere coepisse; periculosum est; sive biliosa ea fuerit deiectio, sive cruda, ac pituitosa.

Diuturnum vero alvi profluvium, sponte superveniente vomitu, conquiescit. Profluente alvo mutari excrementa, sed non in deterius, etiam prodest. Et ructus quivis acidus in fluxu ventris ultro accedens; siquidem ab initio non adfuit, eundem solvit.

§. 320.

Ex dictis manifestum est, officium medici in fluxibus illis alvi simplicioribus, ex apepsia aut catarrho versus intestina per naturae leges directo ortis, vix requiri, nisi diarrhoea catarrhalis modum excedat; cui pauxillum theriacae aut diaphoreticum quidquam nunc optime succurrit.

Biliosam ex ira compescunt aliquot unciae tincturae rhei cum totidem drachmis tartari tartarisati et syrupo leniente partitim exhibitae; illam vero ex dentitione pulveres absorbentes cum pauxillo nitri depurati et aliquot croci orientalis granis; lactantium denique stomachica et alterantia, velut essentia menthae, elixir viscerale Hoffmanni, liquor terrae foliatae tartari, varie inter se mixta, et pulvis stomachicus Birkmanni. Externe quoque linimenta stomachica, et spirituosi liquores ventriculo illiti prosunt.

DYSENTERIA.

§. 321.

In Dysenteria, quam latini Tormina et Difficultatem intestinorum vocant, non solum alvus multo frequentius profluere, quam in diarrhoea, consuevit, sed sensus doloris etiam vehemens et tenesmus urgent, qui aegrum diu noctuque excruciant. Tormentum sub ipsa excretione, quae quidem exigua plerumque, intenditur, ac rursus post paulum levatur. Febricula cum algore intermisto tantum non semper praesto est; interdumque adeo gravior febris ex putridarum genere. Similem labem humores fusi, pituitosi et biliosi, sive puri, sive inter se mixti, monstrant: atque biliosi quidem diversis coloribus tincti persaepe apparent; pituitosi vero tam tenaces atque viscosi, ut in longissima filamenta extendi queant.

Inter haec etiam nunc citius nunc tardius alvus modico cruore perfusa est. Initium morbi saepe fit a diarrhoea biliosa aut mucosa; quam in nonnullis adstricta alvus cum tormentis praecedit. In progressu morbi gravioris strigmenta etiam prodeunt excrementis cruentis ac mucosis mista, quae interiores intestinorum tunicae antiquis visae, revera autem nil sunt nisi sanguinis gelatinosae partes in filamenta coactae; novissime carunculae vel pelliculae, quas pro ipsa carne intestinorum detrita olim habuerunt; quae vero foeculae sunt excocti quasi seri, quae lateribus intestinorum veluti cera adglutinatae cum vehementi torsione exturbantur.

Praeter haec virium decrementum insigne est, appetentia ciborum deiecta et somnus nullus est. Sitis contra intensa est. Nonnullis etiam dorsi dolor et dysuria in decursu morbi est molesta. Quibusdam alvus etiam prolabitur.

Vbi gravior febris cum dysenteria coniuncta, vomitus saepe circa initia fit; et in progressu exanthemata varii generis in toto corpore vel in parte, et ulcera, et aphthae quoque subinde erumpunt.

§. 322.

Morbus tam ex ipsa loci regione nasci solet, quam frequentissime populariter grassatur, et plerumque aestate ingruit, praegressis saepe et perdurantibus febribus putridis *). Transit tum ex uno loco in alium, et sua tempora, stadia ac stationes observat, et metastases quoque facit. Interim contagiosa eius natura valde adhuc dubia est. Quos vero non corripit morbus, hi aliis malis deinceps afficiuntur.

Morbus in se dubius, atrox et periculosus est, ac multos perimit septimo die, aut decimo quarto, aut vigesimo, aut intra hoc tempus. Idem plus mares quam foeminas prehendit, et pueris maxime mortiferus est. Gravidae partum elidere possunt, eundemve suo morbo inficere.

At minus tamen periculosa ea tormina sunt, quae per se sine putrida febre vexant; et quae longius detinent. Cuiusmodi deiectiones etiam eos, qui ante fuerunt in corporibus, morbos subinde tollunt **).

Pessimum est, si strigmenta et carunculae quasi cum excrementis prodeunt, si varia alvi recrementa, si nigrae deiectiones sunt, si praecordia, vel ex intestinis aliquod, inflammantur ***), si deiectiones gravissime olent, si dolores post excretionem persistunt, si morbum iam diuturnum hydrops aut lienteria excepit.

Accedens singultus, vomitus, ventris tumor, cessatio

ſatio dolorum ſub excretione, ſopores, convulſivi motus, urina limpida, alvus nigra extenuato iam corpore, mortem praeſignificant.

Neglecta aut alienis temporibus ſuppreſſa inteſtinorum difficultas abſceſſus in internis vel externis partibus, et graviora adhuc mala inducit.

*) vid. *Sydenhami Opp. Sect. IV. cap.* 3. p. 220. *Isbr. de Diemerbroek Obſerv. et curat. med. XXVIII.* p. m. 613. et Ill. *Zimmermann von der Ruhr unter dem Volke im Iahr* 1765. Tigur. 1767. 8.

**) vid. *Hippocrat. aphor. VI.* 48. *VII.* 5. *Zimmermann l. c.* p. 18.

***) vid. *Franc. de le Boe Sylvii Opp. cap. de Dyſenter. Ge. Backer de catharro et dyſenteria Londinenſi epidemicis a.* 1762. Lond. 1764. 4. *Morgagni de ſedib. et cauſis morborum, epiſt.* 31. p. 29. *Boneti Sepulchret. anat.* Sect. II. Lib. 3. *Pringle von Feldkrankheiten* P. III. p. 219. *Monroo account on the diſeaſes of britiſh military Hoſpitals.* Lond. 1764. 8. p. 63. *Roedereri et Wagleri* diſſ. *de morbo mucoſo.* p. 7. *Giornale di Medicina T. IV.* p. 265. *Degner de dyſenteria Neomagenſi.* p. 23.

§. 323.

In dyſenteria epidemica aliquando febres occurrunt ſine dyſenterico fluxu, quae recte dyſentericae appellantur, propterea, quod omnia illa ſymptomata monſtrant, quibus febres in dyſenteria alias ſtipatae ſunt, et quandoque etiam dolores ventris, quibus ſub declinatione ſubinde aphthae quoque accedunt.

Non videtur autem dyſenteria ſingulari cuidam aëris conſtitutioni pravae ſuum ortum debere, quum ſub temperata ac aequali tempeſtate non minus, quam quovis anni tempore natam eam fuiſſe obſervatum ſit,

 nec

nec ubivis locorum, ubi eadem mala temperies h. e. mixta uda, frigida, ſervens, eadem oriatur.

Permultum tamen ingentem ac diuturnum ſolis ardorem, itemque ſubitas et vehementes aeſtuantis corporis refrigerationes, et impeditam tranſpirationem ad ipſius generationem conferre, innumeris obſervationibus compertum eſt. Verum tamen et inquilinas cauſas accuſare oportet, quum nec omnes, qui dyſenterici fiunt, eiusmodi vitia committant: quas ſi in colluvie pituitae atque bilis corruptae, putridae, acrioris, tam in inteſtinorum tubo, quam in ipſo ſanguine ſenſim collecta, hucque per modum deſtillationis impetuoſe delata ponas; a vero haud multum aberratis.

Ineptiae ſunt, quibus ab *Alexandro Tralliano* *) iam fuit contradictum, a fructibus horaeis difficultates inteſtinorum ingenerari.

Hepatis, ventriculi, ac inteſtinorum inflammationes, exulcerationes, ac ſphaceloſae corruptiones tanquam effectus gravioris et mortiferi morbi conſiderari debent.

*) *L. VIII. cap.* 9.

§. 324.

Adverſus dyſenteriam vomitoria et purgantia a medentibus prae ceteris hodie commendantur. Ego vero diffiteri non poſſum, me multos dyſentericos in epidemia anni 1758 et 1762 ſine illis ſanaſſe, viciſſimque ab aliis vidiſſe iſta non modo perperam, ſed et pernicioſe frequentata. Intellexi tum, non poſſe non iſta nocere, ſaltem dolores praeter rem augere, perinde ac ſternutatoria coryza laborantibus ſubdita. Vt enim haec irritant, et tunicam narium magis inflammant, nec

fine

fine dolore evacuant, nihilque prorſus levamenti praeſtant; ita in dyſenteria, quum nihil aliud ſit profecto, quam impetuoſa inteſtinorum coryza, et in qua ipſa natura ſatis ſuperque iam ac immoderate evacuationem praeſtat, eiusmodi ſtimulantibus rebus abſtinere, nec ullo modo violentas naturae excretiones adaugere, multoque minus ſenſiliſſimum tunc inteſtinorum canalem, et ad concipiendam inflammationem proniſſimum, talibus irritare, conſultius duxi. Nec huius profecto inſtituti me unquam poenituit. Et quidni ſine illis pharmacis dyſenteria curari poſſit? quorum uſus apud antiquos ſane fuit nullus in hoc morbo *), cuius tamen medendi artem illos calluiſſe, nemo temere negabit. Obſervarunt etiam nonnulli recentiorum, tormina ab hypecacuanha mirum fuiſſe exacerbata; et qui nullum evacuans, quod ſupra infrave ageret, aſſumſerunt, melius habuiſſe, quam quibus illud datum fuiſſet.

Evenire tamen caſus poſſe non nego, ubi et emetica et purgans medicina recte datur; illa nempe primo, ſi morbus imminet aut deiectiones incipiunt **); deinde, ſi intra morbum perpetua nauſea praeſto eſt, et conatus ad vomitionem; haec autem, ſi febris putrida cum dyſenteria coniuncta: ubi vero in clementioribus et quae putredini reſiſtunt, cuiusmodi ſunt cremor tartari et tamarindi, contentos nos eſſe oportet; vitare autem iſta prorſus, ubi nigra prodeunt, aut foetida ſanies, itemque ubi inflammationis, multoque magis cancri notae apparent.

*) vid. *noſtra diſſert. de dyſenteriae curationibus antiquis*, reſp. *Ott. Frid. Meyer*. Gotting. 1765.
**) vid. *Degner de dyſenter. Neomag.* Cap. III. §. 22. et *Strack Tentam. de dyſenter.* Cap. VI. p. 56. ſeq.

§. 325.

Curationis ergo totius noſtrae rationalis ſimul atque tutioris et iucundioris cardo in eo vertitur, qualescunque

que humores descendant, unde vulgo diversae dysenteriae species constituuntur, ut humores acres corrupti in intestinis attenuentur atque leniantur, ceterorumque impetuosae congestiones ad haec loca minuantur. Quod optime fit gummi arabico in pulverem contrito et per bihorium ad drachmam dimidiam, cum theriacae grano uno exhibito, aut simili ex cornu cervi usti scrupulo uno, gummi arabici dimidio, et nucis moschatae granis duobus composito; et apozemate ex rasurae cornu cervi, gummi arabici vel radicis altheae, et hordei decorticati, singulorum uncia, baccarum myrtillorum sesquiuncia, in quatuor mensuris aquae fontanae decoctis: quae potio ad patellam plenam quavis hora calide haurienda: usurpato simul enemate bis in die ex corticis Simarubae, aut ichthyocollae, aut glutinis scriniariorum drachmis duabus, in aquae unciis sex decoctis, adiectis duobus ovi vitellis *). Ad haec mire iuvat, in balneum calidum ire, aut ventri cataplasmata frequenter superimponere. Pro potu aqua frigida inservit, quae, quo copiosius bibitur, eo magis humorum acrimoniam diluendo infringit *a*).

Agendi modo et viribus cum remediis nostris glutinosis convenit decoctum Simarubae mucilaginosum **), et lac dulce, in cuius selibra cerae albae drachma una vel duae minutim discissae decoctae sunt, si liberaliter calidissimeque potatur ***). Quod ego etiam ob egregium suum usum laudare debeo; dumne incommodum hoc sit, ut ob cerae supernatantis coagulationem vix impediendam aegerrime et non sine nausea hauriatur.

Simplicissimum autem remedium est lac vaccinum, in cuius libra dimidia soluta est theriacae vel electuarii diascordii drachma, calide assidueque potum, simulque in alvum per clysterem iniectum: quod tum quoque Tenesmum optime lenit.

Et

Et venaesectio saepe plurimum in dysenteria prodesse observata est ****).

*) vid. Cl. *Lentin Observat. medic. Fasc. I.* 3. 4.

a) vid. *Celsus de Medic.* L. IV. cap. 15. *Aetius Tetrabibl. III. Serm. I. cap.* 45. *Isbr. de Diemerbroek observ. et curat. med. XXIX.* p. m. 615. *Io. Calvi de medicam. pro nosocomior. levamine moderandis* p. 36. *Huxham Opp. T. I.* p. 292.

**) vid. *nostra Mat. med.* p. 290.

***) vid. *Isbr. de Diemerbroek Observ. med.* 28. *not. Opp. med. pract.* p. m. 614.

****) *Donat. ab Altomari Therap.* c. 74. p. 487. seq. *Huxhami Opp. T. I.* p. 290.

§. 326.

Si deiectiones cum febre putrida sunt, huic succurrendum est remediis, quae supra adversus eam commendata fuerunt, praesertim succis vegetabilium acidis, spiritu vitrioli in aquam dato, tincturis aquosis acidulatis, decocto corticis Peruviani, et aliis.

§. 327.

Inimica sunt in omni dysenteria spirituosa liquida, et ipsum vinum, an etiam lac? quod a plurimis quidem vehementer laudari, a paucis reprehendi lego. In victu contra optime prosunt cremores ex oryza aut avena, et serum lactis.

Finito morbo, non abs re est, roborante et stomachico medicamento per aliquod tempus uti, veluti cortice Peruviano, Simaruba, potissimum in decocto, gascarilla, elixir viscerali Hoffmanni, aliove simili ex stomachicis extractis parato. Quae quum habemus, cortice Conessi, Codagapala et ligno Campechino eiusque extracto carere facile possumus. Praeterea et iram

iram, et ingluviem, et frigus vitare diu oportet; utpote quae facile revocasse morbum observata sunt, qui per se recurrere non solet.

LIENTERIA.

§. 328.

Laevitas intestinorum, Graecis λειεντερία dicta, celeriter cibos dimittit liquidos, ex toto aut magna saltem ex parte indigestos, ut genus eorum aperte cognoscatur: potiones item crudas ac indigestas: modo, quod plerumque fit, citra sanguinis bilisve complexum, modo cum istis. Dolor adest, vel non adest; corpus autem alimenti fructum non sentit, indeque in malum habitum incidit ac extenuatur. Cibi appetentia plerumque parca aut nulla est; interdum tamen canina *).

*) vid. *Ruysch Observ. med. chirurg.* 74.

§. 329.

Morbus plurimos diu trahit, paucos praecipitat. Senes gravissime affligit, deinde viros; caeteras vero aetates multo minus

Quo plura pathemata cum eodem coniuncta sunt, eo gravior et periculosior esse solet. Itaque si assidua quidem et multo tempore perseverat lienteria, si omnibus horis, et similiter noctu ac interdiu adfligit, si quod excernitur valde crudum est, aut nigrum, et mali odoris; fere exitialis est et ad tabem ac hydropem aut tympaniam tendit. Tumque simul sitim exhibet, urinae secretionem retinet, ulcera in ore et cute excitat, ventrem quasi fermentatum efficit: ex quibus aut cibum capere aut deambulare ad res obeundas aegri nequeunt *). Vbi contra paucissima signa ex his, quae mala

mala esse dixi, deprehenduntur, laborantes securissime constituti sunt; utique si facile respirant, nec dolores in latere sentiunt, sique ructus acidus, qui antea non exstitit, succedit.

*) vid. *Hippocrat. Praedict. L. II. Sect. II.* p. 105.

§. 330.

Solet autem lienteria vel per se nasci, vel ex alio morbo aut in eodem, sive acuto sive diuturno: unde in *primariam* et *symptomaticam* dispesci debet. Ita namque ex ulcere ventriculi, ex abscessu mesenterii, ex ascite, dysenteria, in scorbuto, in febribus malignis suscitatam eam legimus.

§. 331.

Videtur equidem lienteria a nimis relaxato pyloro oriri, qualem sic quoque dissectores in hoc malo reperunt *). Attamen cum et pylorus nimis ampliatus repertus fuerit, citra ullam lienteriam **); sequitur omnino, relaxationem istam non esse unicam et primariam morbi causam, sed ab imbecillitate ventriculi istum pariter proficisci. Quoniam vero in intestinorum laevitate, quidquid assumtum est, imperfectum protinus redditur; id autem, etiam in praemagna ventriculi laxitate, qua valde tumet et extrorsum pellitur ille, nequaquam fieri solet, utpote qua deiectio potius retardatur, quam acceleratur: hinc alia longe causa morbi subesse mihi videtur, eaque duplex; nimirum partim defectus istius apparatus naturalis, quo digestio perficitur, partim vero intentus nimis motus peristalticus. Quae duae causae si coniunctim existant et operentur, omnia ista exsequi posse mihi videntur, quae in lienteria apparent.

*) vid.

*) vid. *Ruysch l. c.*

**) vid. *Morgagnius de sede et caus. morb. Epist. XXI. n.* 15.

§. 332.

In hoc ergo morbo utique comprimentia *) adhibere oportet; quo non solum facilius tenendi aliquid intestinis vis sit, sed et humores digerentes haud dubie acres et corrupti alterentur. Nam utrumque ista praestare valent. Ergo decoctum corticis Simarubae aut Peruviani ex uncia dimidia et aquae fontanae libra paratum, sic ut octo unciae decocti remaneant, quatuor dosibus intra nychthemerum potetur; aut decoctum florum balaustiorum cum mithridatio assumatur; aut lac, in quo cortex arboris Sumach est decoctus; aut serum lactis aluminatum, et cibi potionesque exhibeantur, quae alvum adstringunt.

Non solum vero necesse est, ut per haec paulatim firmentur intestina, et humores acres invertantur; sed expedit quoque, eosdem ex alvo sensim evacuare. Quapropter rheum cum cortice gascarillae aut Peruviano initio statim per plures dies exhibeatur.

Ad haec epithemata ex roborantibus medicamentis et penetrantibus stomacho ex vino cocta superimponenda sunt; aut cerata vel unguenta ex similibus.

Ceterum quorundam autorum experimentis compertum est, decoctum baccarum iuniperi ex lacte, quotidie ad aliquot caliculos calide haustum; itemque iusculum pulli; et aquam calcis vivae praesidio esse. Quidam, quum halecem salitum insperso aceto comedisset, etiam ab intestinorum laevitate liberatus dicitur **).

Exer-

Exercitationes praeterea huic morbo necessariae sunt, et balneum, et vomitus quandoque.

At morbus in se difficilis curatu est, eoque difficilior, quo magis inveteravit.

*) vid. *Celsus L. IV. cap.* 16.
**) vid. *Luc. Tozzi Opp. med.* T. I. p. m. 205.

FLVXVS COELIACVS.

§. 333.

Venio ad illum ventris fluxum, quem Graeci κοιλιακὸν appellant, et qui sic animadvertitur. Diversi generis stercora ex turbata alvo descendunt, ubique quidem praeter consuetudinem tenuiora et cruda, sed consistentia et colore omnino diversa, liquida prorsus, modo lutulenta, laevia et humecta, et nunc simul in aliis flava ac spumosa, in aliis prasina, in aliis livida, nigra, purulenta, alba, subpallida, interdumque et iam sanguinea, valdeque utplurimum foetentia, et cum animi deliquii sensu.

Ipsa foecum tam diversimode quoad colorem et consistentiam constitutarum excretio subito et plerumque copiose fit, ac vel diu noctuque assidue, aut semel et concervatim, aliquando vero interiecto unius vel plurium dierum intervallo. In ventriculo sensus ardoris aut frigoris est. In ipso ventre, qui multis tumet ac dolet, murmura exaudiuntur. Praeterea ructus frequenter ex stomacho erumpunt, sitis vexat, ciborum appetentia aut naturaliter se habet, aut est imminuta. Procedente morbo, febris aut febricula saltem accedit, vires sensim decrescunt, cutis arida est, facies et pedes intumescunt. In extremo vitae discri-

 mine

mine interdum sanguis flavus vel purus vel permixtus cum iis, quae egeruntur, destillat.

Per circuitus redire aliquando consuevit morbus, et levi errore iterum suboritur. Idem nulli aetati parcit, et longus est, et difficulter sanatur.

vid. *Cael. Aurelian. L. IV. cap.* 3. *de morbis chronicis, Aretaeus de sign. et caus. morbor. diuturnor.* L. II. c. 7. *Alexander Trallianus* L. VIII. c. 5. *Aetius Tetrabibl. III. Serm. I. c.* 37. *Plinius Valerianus de re medica* L. II. c. 26. Ceteri medici antiqui, *Galenus*, *Paulus*, *Actuarius*, non tam diserte ac prolixe hunc morbum descripserunt. Vnus est *A. C. Celsus*, qui a loquendi usu antecessorum suorum, et qui cum ipso, et post ipsum fuere, adeo recessit, ut alvum plane nihil, immo ne flatum quidem transmittere arbitratus sit, *L. IV. de Medic. c.* 12. Conf. super hac re Ill. *Dan. Wilh. Trilleri* Diss. *de morbo coeliaco singulari a Corn. Celso descripto*; quae nunc in ipsius *Opusc. medic. Vol. I.* p. 281. seq. exstat.

§. 334.

Haec antiquorum medicorum observatio de morbo coeliaco tantopere a recentiorum descriptione abhorret, ut nihil supra sit. Effecitque, opinor, tum novitatis studium, tum vero maxime antiquorum neglecta aut non satis prosecuta lectio, ut quid isti nomine Coeliacae insignivere, ab his minus recte atque plene indagatum, et nomen morbi ad unam eius speciem duntaxat, in qua albicantia excrementa redduntur, translatum fuerit. Fortassis enim recentiores ex *Aretaeo*, quem solum mihi evolvisse videntur, notionis suae fundamentum, suasque descriptiones desumserunt, quippe qui hanc saltem secum qualitatem pro nostri morbi signo adfert, quod albus ipsarum color sit *). Vnde facile illi concludere poterant, non aliud quam hoc secum genus in coeliaco morbo apparere, eundemque

que proinde efficere: quae conclusio aliam statim peperit eamque universim quidem hactenus quoque probatam ac receptam opinionem, quod scilicet in passione nostra chylosus humor efflueret, impedito quidem in vasa lactea ipsius ingressu, aut secretione eius in intestinis impedita: unde adeo quidam morbo nomen chylosi fluxus et diarrhoeae chylosae imposuerunt, quasi re optime probata ac experta, nullique dubio prorsus obnoxia. Quodsi vero haec, quam modo memoravi, coniectura me non fallit; inde iam manifesto patet, quam lubrica atque fallax sit ista notio recentiorum autorum, quod scilicet a chylo efficiatur coeliacus morbus: in qua pluribus refutanda paullo infra adhuc occupabor.

*) *l. c.*

§. 335.

Quamquam vero nostri retro inde ab aliquot seculis in hoc morbo excrementa alba, chyli cum his effluentis colore tincta, deiici arbitrantur; non uno tamen modo hunc chyli fluxum concipiunt, dum alii alimenta cruda et imperfecte cocta, alii bene cocta illa, sed adhuc cum chylo confusa, alii chylum cum excrementis mixtum, alii separatum, iterumque alii tam crudum, quam coctum simul, alii contra purum ac perfectum, alii denique chymum tantum quendam reddi opinantur *). Quicquid interim sit, ex albore deiectionum frequentiorum desumunt hodie omnes medici, unanimi consensu, coeliacae passionis characterem, alboremque istum chylo fecibus immisto adscribunt.

*) Conferantur, si placet, ad admirandam illam opinionum discrepantiam eo clarius perspiciendam, diversorum autorum, nominatim *Fernelii*, *Riverii*, *Plateri*, *Sylvii*,

Sylvii, *Ettmülleri*, *Iunkeri*, *Gorteri*, *Sauvagesii*, *Dolaei*, *Hartmanni*, scripta practica.

§. 336.

Tametsi longe alium, magisque diversum habitum, quam album vel pallidum aut cinereum, coeliacorum excrementa, docente rerum usu et antiquorum medicorum experientia, recipere consuerunt: quotquot tamen de hoc morbo, nomine coeliaci fluxus, in recentiorum monumentis observationes occurrunt, omnes ac singulae non aliam speciem, quam in qua albicantia prodeunt excrementa, nobis repraesentant *). Cetera genera diarrhoeae nomine vulgo hodie significantur **).

*) Eiusmodi legas in *Miscellaneis Naturae Curiosorum* passim, itemque in *Foresti*, *Smetii*, *Diemerbroekii*, *Plateri*, *Amati Lusitani*, *Balloniique* monumentis. At nemo ex illis, quod probe observandum chyli puri effluxum vidit. Adde *Wepferi* epistol. ad *Burnetum*, in eius *Thesaur. medic. pract.* T. I. p. 307

**) Verissime fluxus coeliaci fuerunt, quos alio titulo insignitos deprehendis in *Misc. Nat. Cur. Dec. I. ann* 2. *obs.* 20., *Horstii observ. med. L. IV.* 24. et Ill. *Stoerkii ann. medic.* II. p. 250. sequ.

§. 337.

Sed iure nunc quaeritur, an recte ac vere ab impedimento resorbtionis aut secretionis chyli coeliacus fluxus derivetur; et num chylus ex alvo profluens tam ipsam fluxus materiem efficiat, quam album quoque vel gryseum colorem excrementis impertiatur? Quod quidem dogma hodie receptum et stabilitum sequentibus argumentis probari solet; primo, quod nil possit naturalem fecum colorem tam apte in albicantem vel cinereum commutare, quam chylus vel admistus illis, vel a concoctis alimentis plane non secretus: deinde vero

vero atrophia, quae conſtans huius albi profluvii effectus, ab illa chyli perverſa aut abolita diſtributione facillime explicari poſſit; tumque a vero prorſus non alienum ſit, quod non ſolum oſcula vaſorum lacteorum a muco ſic obduci queant, ut intrare iſta chylus non poſſit, ſed etiam luculenta iſtiusmodi reſorbtionis impedimenta, velut aphthae, earumque cruſtae inteſtina obſidentes, et cicatrices inteſtinorum, quae fluxum iſtum poſt dyſenteriam ſubinde inducant, denique etiam obſtructae innumerae glandulae meſeraicae in cadaveribus hoc morbo demortuorum conſpiciantur.

§. 338.

Verum tamen admodum levia eſſe ac imbecilla omnia iſta argumenta, licet valde ſpecioſa, immo nec infirma primam frontem videantur, monſtrare nunc variis rationibus adnitar.

Sane, niſi ab alia quapiam cauſa, quam a chylo, albicans aut cinereus excrementorum color produci poſſet; hoc ita eſſe, facile ad credendum induceremur; at cum aliter etiam hoc fieri queat, quemadmodum infra pluribus dicetur, ipſeque iam *Aretaeus* *) rectiſſime pronunciaverit, quod albus iſte ſecum color a privatione bilis oriatur; chylum pro cauſa eius vera adſumere non licet. Nec quisquam unquam ſenſibus ſuis deprehendit, quod profluens ille liquor albus chylus fuerit. Imponere autem hac in re Medicis pus, aut pinguedo poteſt aut ſebacea materies, quae quotidie et diu aliquando ex alvo fluit, hominemque tabidum ac imbecillum reddit **).

Quodſi porro perpendas, quod in coeliaco fluxu, prout vel antiqui vel recentiores illum obſervarunt, alvus copioſe et frequenter deiiciat; quomodo, quaeſo, a chylo excrementis adfuſo vel immixto id fieri

 poſſe

posse credes, quum nec chyli portio, quae quotidie in homine (bene quidem comedente) paratur, et ad quatuor, sex, octove uncias fere adscendit, tam copioso fluxui respondeat, nec huiusdem frequentia inde sine difficultate explicari queat. Etiamsi chylum acquisitae acrimoniae stimulantis accusaveris; nae illa tanta esse non potest, quantam frequentia fluxus postulat; nec ipsi sane propter quotidianam cum excrementis deiectionem legitimum spatium ad notabilem quandam corruptionem subeundam concessum est.

Adhaec tam periodica coeliaci fluxus natura, quam non solum antiqui ex parte, sed etiam recentiores quidam observarunt ***), quam subitanea eius interdum accessio ****), stabilitae hodiernae theoriae, quoad eius causas, quam maxime repugnat.

Quum etiam permulti coeliaci cibos fastidiant, vel parum saltem comedant; incomprehensibile prorsus est, unde tanta chyli copia proveniat, quae tam multas feces quotidie excerni solitas tingat, et tam copiose cum istis simul profluat.

*) *l. c.*

**) vid. *Tulpii Observ. L. III.* 18. 19. *Dolaei Encyclopaed. med.* p. 454. *Miscell. Natur. Cur. Dec. I. ann. II. obs.* 20. *Morgagni de caus. et sedib. morbor. Epist. XXXI. art.* 4.

***) Praeter *Aretaeum* nempe, et *Aetium* supra allegatos, *Lud. Mercatus Prax. med. L. III. cap. X.* et *Vit. Riedlinus Linear. med. ann.* 1697. *M. Octobr. XVI.*

****) vid. *Bernh. Verzaschae Obs. med. I.*

§. 339.

Nec obstructionem glandularum meseraicarum pro communi causa atrophiae et coeliaci fluxus venditare licet, nisi fallaciam in argumentando committere insignem

gnem velis. Primum enim non tam frequens est fluxus coeliacus, quam dictarum glandularum obstructio; hocque postremum vitium millesies occurrit sine ventrali fluxu. Quamvis equidem, quisquis hoc ipso laborat, obstructas habet glandulas meseraicas *); non tamen vicissim ille in profluvium nostrum semper conîicitur, cuius mesenterii glandulae intumescunt ac induratae sunt. Quapropter licet haec duo mala se interdum comitentur; nulla tamen necessitas nos cogit ad concludendum, quod unum alterius causa sit sive producatur ab altero. Habent potius haec duo mala communem aliquem fontem, ex quo simul propullulant, seseque adeo nonnunquam comitantur, cachexiam, puta, quae, in pueris inprimis, persaepe utrumque producit.

Videtur equidem chyli motus insignem ac insuperabilem remoram ab obstructis illis, quas superare ac pertransire debet, glandulis necessario experiri: at ego tamen nullam transeundi impossibilitatem tum perspicio, partim quod per obstructa qualiacunque loca humoribus suus motus nequaquam denegatus est, quamvis paullo lentior existat; siquidem ipsae illae obstructae partes sub hoc vitio in volumine suo non decrescunt, sed increscunt potius atque liberaliter nutriuntur: partim vero ipsi Physiologi inter se adhuc certant, utrum in iisdem diluatur, an condensetur chylus. Sin autem is non diluitur, idquod verisimillimum Hallero videtur, tum eo minus ipsarum obstructio illius progressui potest officere. Praeter haec vero, quum obstructae glandulae suum proprium humorem et admittunt et transmittunt, cur quaeso chylum illae non recipiant?

*) Notante ex cadaverum inspectione *Riverio Prax. L. X. cap.* 4. *Diemerbroekio Opp. anat. T. I. L. I. cap.* 8. *Bierlingio Misc. Nat. Cur. Dec. I. ann.* 2. *obs.* 152.

§. 340.

Non magis vero Coeliaca ab obſtructione vaſorum lacteorum in ſuis oſculis bibulis, quam multi quidem ex recentioribus adeo pro unica huius fluxus cauſa habent, quam ab ante memorata (§. 339.) obſtructione glandularum meſeraicarum oritur. Sive enim illam a pituita vel muco inteſtinali, ſive a cicatriculis aut ab aphthis inteſtinorum fieri iubeas; utrobique non levia dubia moveri poſſunt.

Niſi enim omnia oſcula vaſorum lacteorum pituita, de qua primum dicam, obliterata et occluſa fingas; profluvium chyli nullum locum habet, quum per reliqua aperta oſcula liber ingreſſus ipſi conceſſus ſit. Sin cuncta autem occluſa credas; quomodo, obſecro, morbum natura ſua longum tam diu aeger ſuſtinere poteſt? et cur morbus tam difficulter curatur, quum non adeo difficile ſit, per medicamenta mucum de inteſtinorum parietibus abſtergere? Sed eo minus credibile eſt, quod chylus vaſorum oſcula chyliferorum, etiamſi obſtructa, praeterlabatur, quum iſta aquam epotam in hoc morbo facile recipiant, velut diureſis haud impedita demonſtrat. Sin autem aquam, cur non etiam chylum admittant?

At opinio de cicatriculis inteſtinorum ex dyſenteria, tamquam ſpeciali cauſa coeliaci morbi, vix refutari meretur, quum errorem antiquorum medicorum pro fundamento habeat, qui dyſenteriae rationem in inteſtinorum exulceratione perperam poſuerunt. Et niſi totum inteſtinorum tenuium tubum ulceratum fingas; quale ſpectaculum certe in dyſentericorum cadaveribus nunquam viſum; permulta ſane orificia vaſorum lacteorum pro recipiendo chylo adhuc patebunt. Demonſtrat etiam effectus medicamentorum roborantium et alterantium, queis a dyſenteria relictus coeliacus

cus morbus ſuperari ſe ſinit, quod per iſta cicatrices deleri non queant.

Quidquid autem contra cicatriculas inteſtinorum, tamquam cauſam ventricularis paſſionis monui, illud etiam ad ipſorum aphthas, tamquam novam huius cauſam applicare mihi liceat; utpote quae pariter ad figmenta pathologica, meo quidem iudicio, referendae ſunt.

§. 341.

Exploſa ſic recepta hactenus ventricularis paſſionis theoria, ſequitur, ut aliam forte probabiliorem ipſi ſubſtituamus; quam ex attente conſiderata totius morbi natura iuxta atque remediorum ad ipſius curationem valentium actione nunc depromamus.

Morbus noſter plerumque longus eſt, et expreſſam ſpeciem cachexiae repraeſentat. Ipſi quoque non modo aliquando iungitur, ſed et per ſe tantum non ſemper eandem inducit, comitemque habet. Pallet enim facies, extenuatur corpus, debilitantur vires, febricula vexat, extremitates intumeſcunt, venter turget, et ex alvo corrupti humores diverſi generis et coloris copioſe atque crebro egeruntur, tormina plus minus excruciant, flatus multi excluduntur, glandulae meſenterii obſtructae ſunt, immo non raro hepar, lien et pancreas praeter modum tumida ac indurata *). Ipſe morbi fons autem modo univerſa humorum maſſa eſt, quandocunque nempe ille cachexiam inſequitur; modo in primis ſaltem viis haeret, atque nunc ſimul in ventriculo ac inteſtinis, nunc in his ſolum eſt quaerendus. Stomachum vero laborare, ex βραδυπεψίᾳ, faſtidio cibi, aut appetentia praeter modum aucta, itemque ex ructibus, dolore, ac ſingultu intelligitur. Quodſi vero eiusmodi pathematum nulla adſint, ven-

 triculus

triculus etiam accuſari non poteſt. At in inteſtinis colluvies humorum mille modis depravatorum, bilis, pancreatici ſucci, ac inteſtinalis lymphae ſemper praeſto eſt; qui pro diverſa ſua dyſcraſia, quam ad tria forte genera, inertiam, viſciditatem, et acrimoniam reducere licet, omnem alimentorum ſuccum alterant et ex indole ſua depravata diverſimode corrumpunt, eidemque ſimul modo vehementiorem, modo mitiorem foetorem una cum diverſo colore conciliant, flavo nimirum, ſi bilis integra, viridi, nigro, lividove, ſi alterata, albicante poſtremo, ſi tingendi virtute privata eſt; ceterique humores lymphatici tam maiore copia adfluunt, quam iuſto ſpiſſiores exiſtunt; ſimulque tandem praemagna inteſtinalis muci copia collecta eſt. Vt mirum hinc non ſit, ſi, quemadmodum rerum uſus docet, lienteriam, dyſenteriam, et cholericam febrem haec paſſio aliquando excipiat; ſi certis horis tantum in quibusdam alvus fluat; ſi interdum eodem, quo ceperat die, interdum poſtero aut tertio profluvium ſponte quieſcat, vacuato omni ſupervacuo aut corrupto humore, ſive naturae ſive medicamenti irritamento **). Sique hanc Coeliacae faciem, quam ſubinde monſtrat, menti ulterius repraeſentes, de erronea recentiorum theoria, quae profluvium noſtrum ex vaſorum lacteorum obſtructione derivat, iterum convinceris; utpote quae tam repente ſubitoque oriri, iterumque mox tolli non poteſt, multoque minus naturae miniſterio removeri.

*) vid. *Diemerbroek* l. c. et *Miſc. Nat. Cur. Dec. I. ann. II.* 152.

**) vid. *Fernelii Vniverſ. medic.* p. 546. Cuiusmodi repentinum, alteroque die iam finitum profluvium mihi in iuvene occurrit, quod choleram aemulabatur, atque copioſa deiectione aeque ac vomitione materiae albae, pulticulam ex braſſica cauliflora cocta et contrita factam quaſi conſiſtentia et colore referentis, abſolvebatur.

§. 342

§. 342.

Ad curationem progredior, quae, nisi doctam manum morbus superet, praeter emetica et purgantia, omnis generis stomachicis, roborantibus, adstringentibus, tam intus quam extus adhibitis, commodissime perficitur.

Ex internis vero usum habent maxime martialia, essentia gascarillae, vinum absinthites, conditum cydoniorum, electuarium diacorii, conserva menthae, et pulvis anticoeliacus Scretae ex diaphoretico ioviali et martiali, cornu cervi philosophice praeparato, floribus salis armoniaci martialibus, radicibus ireos Florentinae, ari, et oleo cinnamoni compositus.

Externe admoveri possunt cerata, emplastra, sacculique stomachicis et spirituosis plantis repleti et ex vino expressi.

In victu egregie prosunt mala cotonea cocta, lac scissile, poma austera, acetaria ex coronopo, aqua frigida. Equitationes multum quoque conferunt.

Enimvero, si singulorum istorum remediorum vires aestimes; facillime tibi persuadebis, a recentioribus allatas morbi causas omnino fictas esse, cum per ista tolli non possint; quorum quippe virtus maxime in alterandis, distribuendis, dissipandis ac educendis humoribus pravis, inque stomachi ac intestinorum tono restituendo est posita.

vid. Differt. nostr. *Fluxus coeliaci genuina notio atque ratio exposita*, resp. *Io. Iust. Sothen.* 1768.

CHO-

CHOLERA.

§. 343.

Facienda nunc mentio est Cholerae, communis stomachi atque intestinorum vitii, siquidem simul et deiectio et vomitus est: praeterque haec inflatio et nausea est, ventriculus et intestina torquentur, bilis supra infraque copiose ac frequenter erumpit, plerumque flava aut viridis, interdum alba, nonnunquam nigra, vel varia. Ergo eo nomine morbum hunc χολέραν Graeci nominarunt *). Praeterea vero sitis urget, immodica virium resolutio est, ut anima deficiat; saepeque etiam crura manusque contrahuntur. Quare acutissimus is affectus est, nec mirum est, si his concurrentibus subito quis moritur.

At vero sciendum, non semper bilis aut biliosum hunc fluxum esse, sed hanc quibusdam initio tantum meracam secedere, postea serum aliumque male corruptum humorem maximam excretionis partem facere: immo nonnullis serum solum, idque limpidum, dulce et ad frigus congelabile ἄνω καὶ κάτω prodire incomitata bile **). Vnde cholera recte in *biliosam*, *mixtam* ac *serosam* sive *lymphaticam* dividi posse mihi videtur.

*) *Celsus de Medic.* L. IV. cap. XI. sed conf. *Alex. Trallian.* L. VII. c. XIV.
**) vid. *Io. Nic. Pechlini Observat. medic. physic. L. I.* 55.

§. 344.

Duplex genus causarum hunc morbum atrocem ingenerat. Aut enim sunt biliosi vel serosi humores corrupti, qui copia sua et orgasmo eundem producunt; tumque is maxime aestate et Augusti mense nunc sporadice, nunc populariter, in illis, qui iuvenilem ae-

tatem

tatem ſupergreſſi ſunt, vel ſubito erumpit, vel quum ventrem aliquamdiu ante fermentatum ac murmurantem habuerunt: aut ſunt ingeſta acria venenata aut veneni vires exſerentia, veluti arſenicalia, draſtica, fungi venenati, ova barbae et lucii piſcis: aut denique nimia potuum ac ciborum copia. Praeterea vero et materia arthritica retenta, et pituita verminoſa choleram excitare valent.

§. 345.

Salus exſpectari poteſt in Cholera, ſi febris abeſt et mens integra eſt, ſi pulſus redit, ſi convulſiones abſunt et ſyncope, ſi excretio minor fit, ſi ructus acidi erumpunt, ſi morbus ex ingluvie aliove diaetae vitio ortus eſt.

§. 346.

Quo celerius aegro ſuccurritur, eo felicius ac celerius curatio ſuccedit. Quae vero in *ſpontanea cholera* nec catharticis, nec vomitoriis, nec adſtringentibus molienda, ſed diluentibus atque alterantibus.

Pro diluente inſervit aqua multa egelida, decoctum album Sydenhami, aut ius pulli valde dilutum: quae pluribus vicibus ſimul etiam in alvum per clyſterem infundenda. Ex alterantibus expeditiſſimum eſt, quod ex his conſtat: Aquae menthae unciae tres, ſucci citri uncia, ſalis abſinthii drachma dimidia; cuius mixturae tertia pars quovis bihorio ſumitur. Sin ad haec nec dolor, nec excretio minuitur, mixturae dictae anodynum aliquod, velut theriaca Andromachi aut laudanum liquidum Sydenhami ad drachmam dimidiam admiſcetur. Ad dolores mulcendos valet etiam linctus ex vitello ovi et butyro inſulſo confectus, et cataplaſma extus ventri impoſitum, aut ſemicupium ex aqua, la-

cte

cte et furfuribus paratum. Interdum quoque sanguinis missio remedium ad dolorem est, inprimisque a forti, magno et frequente pulsu indicatur *).

Choleram a fungis venenatis compescit vomitorium quam primum exhibitum, et aquae tepidae quam plurimum super haustum; sique per haec non cessat, antidori, lac et oleum olivarum, copiose ac frequenter ingestae. Quae una cum theriaca etiam choleram a drasticis sedant: ad quam sola theriaca aut essentia eius saepe quoque sufficit. Choleram ab ovis piscium lucii et barbae, et a vino aut comessatione sola natura finit.

*) vid. Cel. *Tralles Histor. cholerae*, p. 257.

§. 347.

Interdum febris intermittens pernitiosa, aut remittens tritaeophya sub larva cholerae atrocissimae se occultat, et altero vel tertio paroxysmo interimere potest, nisi cortex Peruvianus, qui summum et unicum contra hanc choleram remedium est *), in spatio vacuo copiose devoretur.

*) vid. *Mortoni Pyretol.* p. 83. 84. 191. 208. et *Torti l. c.* p. 173. 249. seq.

§. 348.

Distinguunt iam autores prisci Choleram in *humidam*, qualis hactenus descripta, et *siccam*, in qua tumidus ac inflatus venter, laterumque et lumborum dolores graves incumbunt, alvus vero nihil plane, sive flatum seu humorem, deiicit, causa vero ubique eadem esse creditur. Addunt quidam ex recentioribus tertium genus *flatuosam* *), quam tamen ad siccam plerique referunt **), in qua praemagna flatuum vis, postquam discursibus hinc et inde ventrem fatigarunt,

excitatis borborygmis, doloribus, cardialgiis, anxietatibus, ſudoribus frigidis, tandem importuno turbine ſurſum deorſumque effunditur. Rectius vero, me iudice, qualiscunque illa ſicca cholera aut ad affectionem hypochondriacam, tamquam ſymptoma, referenda eſt, tumque etiam diu et per plures annos trahit, ſaepe revertendo ***), aut ad dolores colicos. Et, ut cholera ad excretiones pertinet, ille morbus, qui non eſt excretio, inepte profecto cholera appellatur. Neque ſiccae et flatuoſae cholerae eadem curatio, ac humidae, accommodata eſt.

*) vid. *Pechlini Obſerv. med. phyſ. L. I. obſ.* 56.
**) *Sydenbami Opp.* p. 217.
***) vid. *Primit. phyſ. med. Medic. Polonor. vol. I. obſ.* 5. p. 75.

§. 349.

Infantes interdum cholera quadam, eaque ſaepenumero ferali, inſeſtantur, ex ingluvie aut dentitione naſci ſolida. In qua diluentia, multoque magis cathartica prorſus aliena; quorum illa quippe tam tenera aetas ferre non poteſt, haec vero dolores et tumultus inſigniter augent; contra vero opiata, et ex his inprimis laudanum liquidum a duabus guttis ad quatuor vel plures, pro ratione aetatis, atrociam morbi, repetito, ut opus fuerit, data optime edomant.

CALCVLI, HYDATIDES, MOLAE ET ALIENIGENA ALVO REDDITA.

§. 350.

Praeter humores varie corruptos, qui, ut hactenus ſcriptum, ab alvo morboſe prodeunt, ſunt etiam aliae res

res ſolidiores tam praeter naturam, quam contra eam, quae in inteſtinis vel vicinis locis genitae interdum ſecedunt. Atque inter has primum *Calculorum* mentionem faciam, qui ex alvo exprimuntur, modo in inteſtinorum tubo, malo in iecinore generati.

Quod ad *inteſtinales* attinet, illi ſaepe corpuſculis duris deglutitis innaſcuntur; ſaepe vero etiam per ſe concreſcunt et inteſtini coeci aut coli cellulis adhaerent. Color, durities et magnitudo varia eſt; haecque tanta fuit obſervata, ut aeger vitam perdiderit, quum calculus haud potuerit extrudi. Varia mala diuturna, ventris dolores, vomitus, diarrhoeae, inde oriuntur, quae, abſcondita ſua cauſa, nullis remediis obtemperant.

Hepatici calculi vel in ipſo viſcere generantur, vel, quod plerumque fit, in veſica bilis huiusque ductibus, inde ſaepe dilatatis; unde *fellei* cognominantur. Eorum color aut fuſcus eſt, aut ſubvirideſcens, cinereus, flavus, niger, rariſſime variegatus: figura plerumque triangularis, deinde polyedra, cubica, ſphaerica, ovalis, et oblonge cylindrica. Aliis nulla niſi glebularum quaſi calcarearum concretarum fabrica eſt. Raro aliquis pellucidus aut ſemipellucidus eſt, et criſtalli modo micat. Cortex ſaepe alium colorem, quam nucleus exhibet. Quidam aqua ſunt graviores et fundum eius petunt; alii, et plerique quidem, eidem innatant. Inflammabilem naturam non omnes habent, uti quidem vulgo creditur; ſed reperti etiam ſunt non inflammabiles, diverſi coloris et habitus. Neque omnes in iisdem menſtruis ſolvuntur. Cuncti tamen igne in retorta liquantur.

Atque hi calculi magna interdum quantitate ſucceſſive excluduntur, ut centenos et amplius numerare poſſis. Interdum ex ulcere ipſius veſicae felleae in epigaſtrio ſponte oborto excernuntur *); non nunquam

vomitu

vomitu redduntur. Quos Icterus diu et per circuitus affligit*), istum ab his calculis oriri, magna suspicio est **). Saepeque sub ictero tales prodeunt, quo ille deinceps disparet. Ignorare vero non oportet, icterum periodicum non perpetuo cum illis esse coniunctum, multoque minus omnem icterum ab his produci. Non solum vero icteri ab his fiunt, sed etiam epilepsiae recurrentes, et cardialgiae, et dolores colici, qui expulso vno vel altero lapillo, remittunt.

Saepenumero calculosa materies ductus, per quos bilis fertur, maiores obducit, fistulae modo intus cava.

At bilis vero cum calculo felleo semper effoeta et absque legitimo amarore, subinde pene nulla deprehenditur. Malum iuniores et pueros, quantum constat, nunquam adfligit.

*) vid. *Mem. de l'Acad. de Chirurg. de Par.* T. I. p. 150. *Halleri Opusc. pathol. Obs. XXXII. Hist.* 8. *Act. Nat. Cur. Vol. X. obs.* 91.

**) vid. Cl. *Zach. Vogel Beobachtungen XXVI.* p. 162

§. 351.

Propriam animadversionem *Hydatides intestinorum* desiderant: vesiculae humore gelatinoso, albo aut flavescente, plenae, quae ex alvo interdum, licet raro, egeruntur *). Adhaerescunt illae intestinis diuersa copia et magnitudine, qua si minimae, caput aciculae, si maximae, gallinae ovum adaequant. Observantur in cachecticis corporibus, inprimisque in his, quae regium morbum diu sustinuerunt. Interdum iam in intestinis disrumpuntur; tumque humor albus glutinosus, instar albuminis ovi, intermistis membranis, secedit **).

*) vid. *Blegny Zodiac. medic. Gall. an.* 1682. *M. Mart. obs.* IX. *Phil. Trans. N.* 295. *Morgagn. epist. anat. III.* p. 10.
**) vid. *Mem. de l'Acad. des Scienc. de Par. ann.* 1701. et *Morgagnius l. c.*

§. 352.

Subinde etiam per intervalla ex alvo concrementa sanguinea, fibrosa, cartilaginea, deturbantur, quas *molas intestinorum* vocant *). Simulque cum his cruor purus emanat. Exclusionem adstrictus venter, dolores intestinorum, appetentia imminuta, animique deliquia praecedunt et comitantur.

Intra paucos dies malum subinde mortem adfert **). Vbi divinari illud licet, protinus enematibus oleosis crebro iniectis, iusculisque cum amygdalarum dulcium oleo affatim haustis excretio promovenda et facilitanda est. Iisdemque remediis post excretionem porro quoque utendum, quoad omnis proluvies reiecta fuerit: id quod quidem vix paucis diebus, sed pluribus, contingere consuevit.

*) vid. *Marcell. Donati Hist. med. mirab.* p. 233. *I. G. Bauer* epist. ad Hahnium *de molis intestinorum*, Dresd. 1747. 4.
**) cf. *Marcell. Donat. l. c.*

§. 353.

Sunt, qui alienigena quaevis, silices, pannos laneos, acus, lignorum frusta, clavos ferreos, bufones, lacertas, ranas etc. morbose ex alvo sibi reddi, asserunt *); verum his fidendum non est, siquidem fraudulentia hic subest, qua malitiosi homines vel famam vel aurum sibi comparare student; et in quam inquirere Medicos omni studio ac labore decet **).

Simi-

Similiterque mulieres non tam alios, quam ſemet ipſas fallunt, quae ex coitu clandeſtino gravidae factae, embryonis motum, ventrisque tumorem animalium agmini illinc per faſcinum generatorum adſcribendum volunt.

Illud tamen quaeri ſine ratione haud videtur, annon interdum in inteſtinis generari pili, oſſa, cartilagines, aliaque monſtroſa concrementa ***) queant, cuiusmodi nonnunquam in abſceſſibus et tumoribus viſcerum tunicatis reperiuntur ****).

Sceletorum minutorum partes, ſi ex alvo deſcendunt, derivandae ſunt a foetu vel intra uterum vel extra illum diu et per plures ſaepe annos retento *****).

*) Permultos caſus huius farinae ex autoribus collegit *G. Abr. Merklinus Tr. de Incantamentis.* Nor. 1715. 4.

**) vid. Diſſ. noſtra *de ſimulatis morbis, et quomodo eos dignoſcere liceat*, reſp. *Io. Iac. Ianſſen.* Gott. 1769. § 27. p. 37.

***) vid. *Frid. Hoffmanni curioſa pulli gallinacei in foemina cachectica formati hiſtoria.* Hal. 1702. Glomerem pilorum, lino pexo ſimillimorum, ab alvo honeſtiſſimae matronae diu afflicta, reiectum eſſe, mihi certo conſtat.

****) vid. *Severinus de abſceſſibus* cap. VI. et XVI. *Meibomius de abſceſſibus* p. 8. *Harderi Exercit. anat. med.* 11. *Ruyſcb adverſ. anat. III. obſ.* 18. *Commerc. Nor.* 1734. p. 115. ubi os in inflammato et ſuppurato teſte repertum deſcribitur. Adde *Schacheri* Progr. *de Ovarii tumore piloſo.* Lipſ. 1735.

*****) vid. *Io. Ern. Türck* diſſ. *Hiſtoria mulieris varia oſſa per alvum eiicientis.* Vltraiect. 1727.

INCONTINENTIA VRINAE.

§. 354.

Ad alia profluviorum genera progredior, ex quibus non leve eſt, quod Vrinae incontinentia ſive Enureſis vocatur, in qua lotium ſine acrimoniae et doloris ſenſu invitis fere continuo deſtillat.

Huic vitio aliud minus grave ſubeſt et minus ſordidum, in quo urina contineri quidem poteſt, at collectione eius quantacunque facta profluere nunc ſubito incipit, antequam ſe homo ad mictum componit. *Enureſis ſpaſtica* poſſet appellari.

Tertium genus noctu tantum obſervatur, in pueris praeſertim ac puellis, qui ſe in ſomno permeiunt, quo ſopitae animales vires obſcuram functionem obtinent. *Enureſis nocturna* dici poſſet.

Obiter noto, involuntarium mictum etiam in deliriis febrium acutarum et in agone mortis, nec non quandoque in paroxyſmis epilepticis accidere conſueviſſe: quod ſymptoma morbi, idemque tranſitorium, non ipſe morbus eſt.

§. 355.

Fit autem aſſiduum urinae ſtillicidium, de quo mihi ſpeciatim hic ſermo eſt, reſoluto aut valde ſaltem relaxato veſicae ſphinctere, iisque nervis reſolutis, qui in iſtum muſculum ex lumbis inſeruntur. Idque ex permultis ac diverſis cauſis fieri ſolet: quarum praecipuae ſunt ſpontanea et privata ſpincteris veſicae relaxatio, quae ſenibus inprimis familiaris, ictus aut caſus, refrigeratio, catarrhus, exceſſus in libidine, vehementior veſicae ſpaſmus praegreſſus aut inflammatio eius-

eiusdem, luxatio vertebrarum lumbarium, arthritis, apoplexia, paralyſis, et metaſtaſis in febribus acutis.

Praeterea pariunt interdum hoc malum abſceſſus veſicae, fiſtula perinaei, lithotomia, fiſtulae ani operatio, proſtatae et ipſius veſicae *) ſcirrhus, ſi veſicam claudi negat, et perverſus ſphincteris ſitus ſive diſtractio eiusdem, quae ab utero prolapſo et veſicae hernia nonnunquam efficitur.

Neque rarum eſt, ex difficili partu aſſiduum ſtillicidium propter veſicae ſphincterem nimis relaxatum incidere.

Interdum, ſed rariſſime, contingit, ut a retentis menſtruis producatur malum, et periodice recurrat.

Nec ignorari denique oportet, quum proſtata ab ulcere incluſoque pure ſimul occalleſcit et tumet, accidere interdum poſſe, ut effuſo pure ſuperficies interna detumeſcat, immo ulceribus eroſa aliquamdiu patentem lotio relinquat viam, donec glandula a novo pure rurſus intumeſcat, lotioque exitus iterum intercludatur. Qua ratione ſtillicidium et ſupreſſio urinae interdum alterne fiunt **).

*) Maxime memorabile eſt, ſcirrhoſam veſicae et adnexae urethrae duritiem ſimul incontinentiam urinae et retentionem cum magna veſicae diſtentione poſſe efficere. Vid. *Morgagnus de ſedib. et cauſis morbor. Epiſt. XXXIX. art.* 33. 34. Et in apoplecticis utrumque vitium ſaepe ſimul obſervari, prudenter monetur *Epiſt. V. art.* 8. *LVI.* 12.

**) vid. *id. l. c. epiſt. XLII. art.* 36.

§. 356.

Alia incontinentia urinae improprie talis vocanda est, quum urinae iter in foeminis ex difficili partu coalescit, istaque, facta continui laesione in superiori colli vesicae parte, ex uteri vagina nunc iugiter destillat *): aut quum idem meatus non quidem obliteratus, vesica vero post difficilem partum dilacerata est, et suum humorem in vaginam perforatam assidue dimittit **).

*) vid. *Act. Nat. Cur. Vol. I. obs.* 227.

**) vid. *Plateri Observ. L. III.* p. 787. *ab Heers observ. I.* 14. *Boissier de S. Nosolog. method. T. III. class. IX.* p. 190. n. 5.

§. 357.

Sed pertinax et diuturnum, saepeque incurabile malum est urinae incontinentia, id simul incommodi adferens, ut non solum foetore molesta sit tum ipsis aegris, tum qui cum illis conversantur, sed et obscoenae partes ob perpetuam irrigationem a salso facileque in putredinem ruente lotio intertrigine primum infestentur, deinde adeo sphacelosa putredine conficiantur, aut saltem grandibus verrucis obsessae deturpentur.

§. 358.

Quodsi a paralysi privata sphincteris vesicae, aut a refrigeratione, catarrho, arthritide, frequentiore concubitu, vesicae spasmo, metastasi acuta, aut apoplexia malum proficiscitur, omnis generis roborantia tam interna, quam externa, una cum revellentibus ac diureticis nonnullis in auxilium vocanda sunt; velut sunt cortex Peruvianus cum erinaceo combusto permistus et in pulvere diu exhibitus, oxymel squilliticum, tinctura

ctura coccinellae, aqua benedicta ſerpilli, agrimonia et mentha ex vino decoctae, grana maſtiches aliquot ſingulis diebus maſticata et deglutita; extus vero veſicatorium oſſi ſacro applicatum, et balnea ac unguenta nervina; quorum illa ex maiorana, mentha, pulegio, corticibus granatorum, floribus balauſtiorum, gallis et ſucco hypociſtidis; haec ex unguento de ſtyrace, oleo nucis moſchatae expreſſo, balſamo Peruviano et aliquot oleis diſtillatis componi, et tam ſpinae lumbari, quam perinaeo inungi poſſunt. Sed omnium iſtorum remediorum longus uſus requiritur.

§. 359.

Atque haec ipſa remedia in Enureſi, quam nocturnam ſupra dixi, (§. 354.) locum uſumque aliquando habent; cum eo, ut veſpertinis horis a potione abſtineant pueri, et ante introitum in lectum veſicam exonerare iubeantur; et aliquando de nocte ex profundo ſomno mingendi cauſa exſuſcitentur: quo plus ſane, quam per virgas, comminationes et contumelioſas affectiones, efficitur.

§. 360.

Incontinentiam urinae ex partu nullum facile medicamentum ſanat, ſed globuli lignei ſive rotundi ſive ovales, obducti cera et amplitudini vaginae, in quam immittendi, bene accommodati. Saepeque iſti per omnem vitam geſtari debent; ut tamen ſingulis menſibus exemti a ſordibus repurgentur *). Atque iſta peſſaria, etiamſi malum non tollant, ideo tamen ſumme neceſſaria ſunt, ut obturationem vaginae ex ſuccreſcentibus ulceris veſicae caruncululis metuendam impediant **).

Si vesica dilacerata est, et urina in vaginam defluit, non alienum est, simul decoctum ex nummularia, hyperico, virgaurea, foliis quercuum et radice symphiti per meatum urinarium, si adhuc apertus est, aeque ac per vaginam frequenter iniicere ad ostium exulceratum consolidandum.

*) vid. *Sim. Paul. Hilscheri* diss. *de incontinentia urinae ex partu, globulis ligneis curanda.* Ien. 1716.
**) vid. *Puzos Traité des accouchemens.* p. 139.

§. 361.

Ad enuresin a fistulis curandam Chirurgi manus requiritur. Ea vero, quam lithotomia peperit, itemque haec, quae ex graviore ictu, casuve, ex luxatione vertebrarum dorsi, ex metastasi febrili, a scirrho prostatae, et in senibus est, omnem prorsus respuit curationem.

§. 362.

Intertrigini partium obscoenarum succurrit cerussae pulvis aut lycopodii semen ex sacculo linteo iisdem adspersa: putredini vero cathaeretica, alumen ustum, mercurius praecipitatus, unguentum aegyptiacum.

Ad impedienda vero haec qualiacunque mala et ipsos foetidos odores ab aegris eorumque indusiis ac velamentis urina conspurcatis emanantes egregie faci in viris vesica suilla praeparata, quae stillantem urinam ex recondito cole recipit et lumbis alligata sustentatur; in mulieribus autem machinamentum a *Friedio* fabre factum; in cuius defectu spongia applicata incommc dum aliquantisper levatur.

§. 363.

§. 363.

Ineptiae fere ſunt ſpecificam virtutem contra hoc vitium quaerere in cochlearum, talpae, leporis teſtium, gutturis galli, aut veſicae caprae cineribus, loco medicamenti exhibitis: quae quidem ſingula ſi quid iuvent, illud totum propter diureticam ſuam virtutem promiſcue, ſine omni virtute ſpecifica, praeſtare mihi videntur: aut in vulva ſuilla elixa vel aſſa; aut in amuletis, qualis eſt bufonis combuſti pulvis ſacculo incluſus et ex collo ſuſpenſus; aut denique in transplantatione, quae in eo vertitur, ut aeger vitrum urina ſua repletum in capulo ferali apud demortuum recondat.

DIABETES.

§. 364.

Ad urinae nimiam profuſionem progredior, quae Graecis διαβήτης appellatur. Super potionum modum ea ſine dolore mingitur, in aliis aquea et cruda, in aliis pallida et turbida, aut craſſa, in aliis melle quaſi tincta et ſimul dulcis, immo interdum quoque violam redolens, aliorumque etiam aſſumtorum odorem adſumens. Ingens ſitis iugiter afficit, quae nulla ſedari potatione poteſt. Lumbi et coxae dolent. Viſcera et praecordia aeſtuant. Saliva ſpumoſa crebro exſpuitur. Nonnullis teſtes, lumbi et coxae, maximeque pedes leviter intumeſcunt. Totum corpus ſub febricula lenta ſenſim conſumitur, ac veluti liqueſcit; peripneumonia aut anginodeo affectu ſub finem demum non raro accedente.

§. 365.

Diabetes autem vel morbus primarius eſt, vel ſymptomaticus.

ptomaticus. Illum nimia corporis refrigeratio, potus nimius aquosus, multoque magis frigidus, et valentiora diuretica tum alimenta, tum medicamenta producunt. Hic autem ex putridis, colliquativis et corruptis humoribus tam in morbis longis, hypochondriacis, hystericis, melancholicis, arthriticis, quam in acutis contagiosis, inprimisque variolis et morbillis, non minus ac in inflammatione et abscessu renis interdumque etiam in febribus intermittentibus, praesertim his, quae senes diu infestarunt, et in nephritide calculosa generatur.

In hypochondriacis, hystericis, arthriticis saepe periodicus tantum diabetes observatur. Eodemque etiam epileptici, et mulieres, quibus menstrua retenta, subinde laborare solent; quibus tamen etiam continuus nonnunquam fluor inde contingit *).

*) vid. *Comment. Instit. Bonon.* T. I. p. 145.

§. 366.

Id genus mali qualecunque equidem rarissimum; sed, ubi incidit et iugiter affligit, diuturnum est, et ea mala producit, quae a me supra (§. 364.) recensita sunt. Vnde novum discrimen in *verum* diabeten, qui corpus liquefacit et marcore consumit, et *spurium* enascitur, in quo urina plerumque tenuis profluit, et interdum longe copiosius quam in vero. Cui rarissimus omnium, congenitus et per omnem vitam durans adnumerandus *).

*) *Eph. Nat. Cur. Dec. I. ann.* 2. *obs.* 175.

§. 367.

Vtrum vero malum a renibus pendeat, ex veterum sententia

ſententia *), an a iecinore, ex recentiorum **), diſcu-
tere quidem hic non vacat: quodſi vero licet ſententiam
meam paucis interponere, interdum renes laborare mihi
omnino videntur ſingulari imbecillitate, interdum vero
non laborare, et ſanguinis maſſa in ſerum tantummodo co-
pioſius fuſa eſſe; ſiquidem renum varia vitia aliquan-
do detecta ſunt in cadaveribus *a*), atque inſuper dia-
betes nativus antiquorum ſententiam probabilem red-
dit; liquationem vero ſeri, illaeſis renibus, demonſtrat,
ni fallor, tum ſymptomaticus diabetes, tum diureti-
corum effectus, et refrigeratio, quae in nonnullis dia-
beten parit. Neque improbabile eſt, quod ambo vitia
interdum ſimul exiſtant. Periodicum autem malum
ortum haud dubie a ſpaſmis ducit. Ad accuſandum
iecur argumenta ab autoribus allata nequaquam mihi
ſufficiunt.

*) vid. *Aretaeus L. IV. de ſign. chron. morb. cap.* 11. *Galenus L. VI. c.* 3. *de loc. affectis*, et alii.

**) vid. *Rich. Mead* in *Mechanical account of Poiſons* p. 32. ſequ. edit. quart. Lond. 1747. 8.

a) vid. *Petr. Pawii Obſ. anat. II. Fred. Ruyſch di-lucid. valv. lymph. obſ.* 13.

§. 368.

Morbus curatu difficilis eſt, tantoque difficilior,
quo diutius adflixit, ubi optimorum remediorum uſum
ſaepenumero eludit. Sunt autem ex optimis roboran-
tia vel ſola vel cum anodynis coniuncta, qualia a Sy-
denhamo commendata *), et ab aliis poſtmodum quo-
que probata fuerunt; ut adeo illi non ſint audiendi, qui
talia immerito damnaverint ſine experimento. Ex ſim-
plicioribus vero roborantibus commendari maxime me-
rentur ſola aqua ſerrata, et ſerum lactis aluminatum.
Praeter haec vero et ſolum lac, aut in quo ferrum
candens extinctum, una cum philonio Perſico diabe-

tem

ten ſanaſſe*, experimentis quorundam Medicorum compertum eſt.

Adverſus diabeten a diureticis productum rhabarbarum ad drachmam dimidiam cum tartaro ſolubili ſaepe exhibitum prodeſt.

Nec alienum eſt, ex adſtringentibus rebus confectum aliquod emplaſtrum aut linimentum regioni lumbari ſuperimponere.

Ceterum in cibo et potu ubique maxime vitanda ſunt omnia acria et ſalſa, et quae urinam movere conſuerunt; cum eo tamen, ut vinum meracum, quantum minimum ſit, in epulis indulgeatur, dumne internorum aeſtus ab eodem abſtineri iubeat. In potu maxime aegris temperandum et meracior tantum ſumendus eſt. Cibus in univerſum ſiccus et craſſus eſſe debet. Nec negligenda eſt exercitatio. Frigus autem ſummopere vitandum.

*) *Prax. med.* p. 388.

GONORRHOEA. FLVOR ALBVS.

§. 369.

Eſt circa naturalia vitium, invitum et perennans non ſeminis quidem, unde nomen accepit, ſed humoris albicantis et mucoſi ſtillicidium, qui levi quodam titillatu fertur, ſine venere et ſine nocturnis imaginibus. Id autem magis taedii, quam periculi plenum vitium tam a gonorrhoea, quae vocatur venerea ſive virulenta, ſaepe remanet, quam iuvenes adoriri ſolet, qui manu libidinoſam ſeminis eiaculationem ſibi ſaepe ac immoderate parant.

Huic congener eſt aliud Gonorrhoeae ſimulacrum, iuve-

iuvenibus maxime familiare, rarissime maritos vexans, in quo ex glandulis foetidis pone coronam glandis, ab humore acri lacessitis et fere liquatis humor albidus, subviscidus, olidus, purique simillimus exstillat, non sine tentigine ac pruritu, et cum rubore tumente ipsius praeputii; cui subinde quoque nonnullae puris guttulae ab eroso balano vel praeputio commiscentur. Quam *externam* sive *spuriam* gonorrhoeam, uti priorem *veram*, vulgo cognominant.

§. 370.

Malum quidem est gonorrhoea mulieribus perinde atque viris commune: in illis autem liquor ex muco infarctis vaginae, ut in his ex urethrae et prostatae glandulis profluit, sed multo crassior et copiosior, nec acrimoniae expers, quippe obscoenas partes non parum irritat. *Fluorem album* aut *Leucorrhoeam* vocant. Idemque non iuvenculas modo occupat, sed adultiores quoque, maritatas, gravidas, ac vetulas; frequensque symptoma est obstructionis vel cessationis mensium, malique corporis habitus.

Quibusdam humor iugiter promanat albicans et inodorus; aliis per intervalla tantum, nunc paucus, nunc copiosus; aliis menstrua periodo, menstruorum etiam vicem sustinens aut leviter saltem cruore tinctus. In aliis aliquot dies ante menstrua prorumpit, in aliis haec subsequitur. Sed pertinax in universum malum est fluor albus: qui quidem, ubi levior, pallorem saltem faciei, et languorem aliquem corpori inducit; ubi gravior, leucophlegmatiam, respirandi difficultatem, anorexiam, anxietatem ad ingesta inprimis, et palpitationes cordis ad levissimum motum excitat; denique, ubi gravissimus, mulieres praeterea tussicula sicca et doloribus in latere brevibus, sed acutis per intervalla

vexat,

vexat, et febre lenta atque tabe consumit: atque in hoc gradu liquor profluens simul foetet et ipsas partes naturales acore suo erodit; color etiam eius ex albicante, qui ipsi naturalis, in flavescentem aut viridiusculum mutatus est. Interim a sputo crasso, ubicunque contigerit, cachexia haec muliebris aliquantisper levari observatur.

§. 371.

Vtrique morbo, gonorrhoeae puta verae sic dictae, et fluori albo, quem genitalium sive virilium sive muliebrium catarrhum recte dices, eadem remedia opponuntur, cathartica, roborantia, et quae urinam movent incidendo pituitam.

Gonorrhoeam quidem recentem saepe sine catharsi tollit tinctura antimonii tartarisata cum essentia succini aut lignorum remixta.

At fluor albus cathartica frequentiora requirit; quibus solis, si per integrum mensem assidue utaris, radicitus saepe licet affectum exstirpare. Si haec non sufficiant, ad ea, quae tam solidas partes firmant, quam fluidas emendant, veniendum est, eoque scopo cortex Peruvianus aut pulvis ex specierum diacretae Mynsichti drachmis septem, et gummi iuniperi drachma una confectus, ter de die pondere dimidiae drachmae devorandus est, aut, qui huic suppar ex testarum ovi calcinatarum drachma dimidia et aliquot granis vitrioli martis, ter in die pariter sumendus. Ex liquidis medicamentis infusum vinosum radicis Pareiraebravae, aut corticis Peruviani admixto marte, et tincturam terrae Catechu, nec non acidulas martiales prae ceteris commendamus. Interdum etiam sanguinis missio, interdum vomitorium necessarium est. Neque alienum est, vaginam

nam balſamicis rebus ſubinde ſuffumigare; quod non parum confert ad ſanationem. Oportet autem vitare cruditates et omnia inflantia: nec potio, niſi frigida asſumta ſalutaris eſt. Nec negligi exercitationes oportet.

Symptomatibus vrgentibus vix aliquod eſt ex medicamentis, quod feliciter ſuccurrat. At eroſae partes naturales lotione ex lacte, in quo roſarum flores cocti, aut aqua calcis vivae vel ſola vel cum lacte mixta optime leniuntur. Exulceratis unguentum populeum, cuius unciae dimidiae mercurii praecipitati rubri grana duo vel tria adiecta, medetur.

§. 372.

Gonorrhoea ſpuria per ſe finiri ſolet prima vel altera hebdomade, et remediis opus non habet, niſi frequenti naturalium lotione ex lacte, quae ſordes optime detergit et pruritum ſimul minuit. Vbi autem balanus aut praeputium ſimul affecta fuerint, aqua phagedaenica temperata utiliter illis applicatur.

POLLVTIO.

§. 373.

Enimvero et per inſomnia libidinoſa et interdiu quoque ludibriis veneris vehementius tentatis tum non maritatis maxime, tum vero etiam maritatis, quum concumbere uxori non poſſunt propter morbum aliamve cauſam, verum ſemen modo ſemel, modo pluries, magna voluptate et affatim ex erecto pene, rarius flaccido *), eiaculatur; *Pollutionem* vulgo dicunt; ſed proprio, magisque vero ſenſu Gonorrhoea diceretur, quam praecedens vitium (§. 369.). Cuius cauſa eſt vel exſuperantia ſeminis, vel levis naturam proritans acrimonia.

Fere

Fere ſimile quid obſervabis in mulieribus ad ſimiles cauſas cum pruritu quodam atque titillatione partium obſcoenarum.

*) vid. *Conſultations de Medecine, par Deidier, T. I.* 43.

§. 374.

Niſi vero omni nocte vel iuſto frequentius ſemen effunditur, nec homo inde paullatim enervatur, aut ventriculum debilem viſumve experitur, remedia plane non opus ſunt; quandoquidem haec excretio, quum modum haud excedat, homini maxime naturalis et neceſſaria eſt, perinde ac haec, quae per alvum fit, et urinam. Alioquin omnino ſuccurrendum eſt; nihilque tum utilius ac ſimplicius datur, quam cremor tartari ad dimidiam drachmam, aut pulvis abſorbens Wedelii ad quindecim grana, ſub lecti introitum quidem, et ſuper ingeſto aquae cyatho. Vitare autem oportet, quae contrahere ſemen videntur aut naturam fortius irritant. Nec potio niſi frigida aſſumta propterea ſalutaris eſt. Denique etiam vitare oportet, ne ſupinus dormiat.

§. 375.

Ceterum hoc loco, ubi de vero geniturae profluvio ſermo eſt, notari adhuc meretur, humorem iſtum et in tabe dorſali, cum urinam ac ſtercus reddunt aegri, copioſe prodire, et in paroxyſmis epilepticorum ſubinde impetuoſe erumpere; quam *gonorrhoeam ſymptomaticam* appellare mihi liceat.



CLASS.

CLASSIS III.

EPISCHESES.

§. 376.

Transeo nunc ad eos morbos, qui ex retentione excernendorum oriuntur. Quales sunt gravedo, haemorrhagia narium suppressa, (de qua quidem iam alio loco commodius dictum) retentio menstruorum, lochiorum, haemorrhoidum, urinae, atque fecum alvinarum. De quibus seorsim nunc praecipiam.

§. 377.

Gravedo oppositum hodie est coryzae malum, in quo pituita crassa calvariae sinubus tenaciter inhaeret, et membranam pituitariam graviter afficit. Interdumque hoc in uno latere, interdum in utroque accidere consueuit. Ex qua re nares clauduntur, olfactus perit, dolor in capite aut uno saltem eius latere est, gravitas in eo sentitur, vox obtunditur, aures sonant, arteriae in capite vehementius pulsant. Persaepe etiam tussis sicca movetur, urina turbida est, saliva salsa. Quibus febricula periodica interdum quoque adiicitur.

Sunt, quos assidua gravedo male habet, modo per se, modo ex alio morbo orta; plerosque tamen vere maxime, et autumno, sollicitat, et, nisi neglecta est, longa esse haud consueuit, sed paucis diebus, siue in coryzam versa, siue humore tenaciore crassoque ex naribus excreto, finitur.

§. 378.

Vbi itaque gravedo sentitur, protinus abstinere a sole aeque ac frigore oportet, os calida aqua, eiusdemque vaporibus nares frequenter fovere, deinde etiam vinum aut apozema diaphoreticum et simul diureticum bibere; sique die quarto nares aeque clausae videntur, succum radicis

betae rubrae in easdem trahere, quo non ſolum iſtae irrigantur, ſed pituita craſſior ſternutamentis inde ortis ad excretionem quoque deducitur. Poſt quae vix fieri poteſt, ut idem incommodum maneat; ſed, ſi manſerit, in iisdem remediis aliquamdiu adhuc eſt pergendum; nec non fricationibus, pediluviis, aut balneis, et exercitationibus utendum, quae in tali genere valetudinis, inprimis ſi diutius aliquem et vehementius ſollicitare conſueuit, neceſſariae ſunt. Quos aſſiduae gravedines vexant, hi ad avertendam a capite pituitam fonticulis opus habent.

MENSIVM SVPPRESSIO.

§. 379.

Ante decimum quartum et poſt quadrageſimum nonum aetatis annum menſtrua foeminis plerumque haud fluunt, neque in gravidis et lactantibus naturaliter proveniunt. Quodſi igitur haec evacuatio in foemina plures quam quatuordecim annos numerante, eademque neque uterum gerente, neque prolem lacte ſuo alente, haud conſpicitur, aut iuſto parcior contingit, aut denique longiore redit intervallo, foemina vero nunc variis pathematibus affligitur; tunc recte iudicamus, retentionem iſtam aut ſaltem imminutionem omnino eſſe morboſam et ex eadem cetera qualiacunque ſymptomata ortum ſuum habere. Ignorari enim non oportet, dari multos caſus, ubi ſine ulla noxa menſtrua ſubſiſtunt, aut multo ſerius, quam ex naturae lege apparent, quin et perpetuo retinentur, aut praemature ceſſant, adeoque nec revocari, reluctante natura, vlla ratione debent.

§. 380.

Enimvero tam multa atque gravia, quid? quod incre-

credibilia fere symptomata ex suppressione menstruorum, nunc subita, nunc vero diuturna, oriuntur, ut enumerari ea vix queant.

Ex frequentioribus autem sensus artuum gravativus, lumborum dolor, oppressio pectoris, dolor capitis, anxietas praecordiorum, palpitatio cordis, aestus volaticus, appetitus deiectus, digestio vitiata, fluor albus, pallor leucophlegmaticus, memoranda veniunt.

Sub iisdem vero, temporis progressu, alia grauiora mala oriuntur, asthmata, tumores pedum, abdominis, vomitus, cachexia, icterus, hydrops, apoplexia, paralysis, gustus et olfactus abolitus, defectus loquelae, raucitas, epilepsia, angina, febres, ulcera et varices, verrucae, pilorum in barba et aliis partibus nudae cutis eruptio, tumor linguae, mammarum, hypochondriorum, inguinum, tubercula plura in cute, abscessus in mammis, vel alia parte sive interna sive externa, scabies, dysenteria, et tantum non omnes affectus mentis, melancholia, obliuio, dementia.

In nonnullis solet natura per menses singulos aliam vicariam haemorrhagiam eamque maxime salutarem, nec unquam fere periculosam, ex naribus, ore, pulmonibus, ventriculo, ano, aut renibus excitare *). In aliis sanguis menstruatim et perinde salubriter ex viis magis insolitis, velut cute capitis, fronte, temporibus, aure, oculo, eiusve cantho, palpebris, collo, dentibus, alveolis, gingivis, labiis, mento, genis, lingua, ductibus salivalibus, axillis, mammis, earundem papillis, umbilico, inguine, digitis, brachiis, manu, genu, pede, dorso, labiis naturae muliebris, vulnere et ulcere cuiuscunque partis externae per aliquot dies prorumpit: **) immo, quod magis portentosum ac prorsus horrendum, simulque valde periculosum, per

varias eiusmodi partes ſimul elabitur a). Adeo denique in nonnullis tumorem ſuſcitat natura periodice in brachio vel alia parte, rubicundum et dolentem, qui ſua ſponte ruptus ſanguinem ſtillatim, ſpatio aliquot dierum egerit, aut ſine ruptura et profuſione ſanguinis, poſt aliquot dierum decurſum, iterum ſenſim ſubſidet et evaneſcit ***). Cuiusmodi tumores menſtruales aliquando etiam in materiam purulentam reſolvi ſolent, ut ſupra iam retuli, immo adeo per ineptam medicinam ſubito repreſſi in tetrum carcinoma, aut intempeſtiue emolliti in pravum ulcus degenerant. Quin et alii affectus vicarii, velut ſcabies menſtrua, et ſimilis ſternutatio, ac ſudor, et puſtulae, per aliquod dies exortae, ab auctoribus referuntur.

*) Exempla eiusmodi haemorrhagiarum collecta legas in *Marc. Donati Hiſt. med. mirab.* Lib. IV. cap. XIX. Qualia vero iam apud *Hippocratem*, *Galenum*, *Aetium* occurrunt.

**) vid. *E. G. Stahlii* diſſ. *de menſium viis inſolitis.* Hal. 1702. et *Mart. Schurigii Parthenol. Sect. II. cap.* 3.

a) vid. *Petr. Poterii Obſervat. Cent. II.* 56. *Ruyſchii Adverſar. anat. Dec. III. obſ.* 3. *Schurigii Parthenol. Sect. II. cap.* 8. et Ill. *van Swieten Comment.* T. IV. p. 426. edit. Amſtel.

***) Ill. *D. W. Trilleri* diſſ. *de Tumoribus ſingularibus a menſium ſuppreſſione obortis*, in *Opusc. med. Vol. I. p.* 198.

§. 381.

Sanguinis ſpiſſitudo, vaſorum uterinorum anguſtia aut laxitas prava, et cacochymia, frequentiſſimae cauſae ſunt ſuppreſſorum, iuſtove parcius prodeuntium menſium: quas removere itaque, ac corrigere medentem oportet, ſi naturae prudenter velit ſuccurrere. Quapropter

propter reſolventia, diluentia, et evacuantia varii generis, nec non roborantia in uſum frequenter ducenda ſunt, velut infuſa vinoſa aut ſemivinoſa ex pulegio, meliſſa, arnica, baſilico, marrubio, matricaria, ſabina, foliis roſmarini, radicibus ariſtolochiae rotundae, valerianae, ellebori nigri, rhei orientalis, ſenna, limatura martis; aliaque ex his praeparata remedia, itemque eſſentia alexipharmaca Stahlii, elixir proprietatis et aperitivum Clauderi, pulvis cachecticus Quercetani, pilulae balſamicae Beccheri vel Stahlii, fontes ſoterii et thermae; pediluvia item, et fotus, et ſanguinis miſſiones, in pede potiſſimum, et ſtatim inter initia morbi inſtitutae; nec non frictiones pedum, et cucurbitulae ſiccae, genubus atque ſuris admotae. Nec ignis electricus inter emmenagoga ſelectiora, ex quorundam auctorum fide, hic ſilentio premendus eſt.

§. 382.

Verum ubi ſubito ſuppreſſi fuerunt menſes, ſive terrore irave, ſive frigore, ſive venaeſectione ſub ipſo eorundem fluxu in ſuperiori parte inprimis inconſiderate adminiſtrata; ex quo maximum periculum corporibus certo imminet; iuxta venaeſectionem in inferioribus tempeſtive inſtitutam atque tepida pedum balnea, temperatioribus emmenagogis anodyna adiungenda ſunt, theriaca, eſſentia theriacalis, laudanum opiatum, crocus, caſtoreum, moſchus.

§. 383.

Atque eadem remedia, inprimis autem ſanguinis miſſiones in pede tempeſtive inſtitutae, menſes interceptos et hucusque devios ac ad alia loca translatos, ibidemque, turbato rerum ordine, abnormem exitum quaerentes, in rectiorem viam plerumque revocant.

§. 384.

Menstruum sanguinem, quamvis iusto tempore natura ex utero effundit, nonnunquam hymen prorsus clausum *), aut membrana alia pone hymen sita, ostiumque vaginae perfecte claudens **), in virginibus nunc primum menstruatis periculose retinet, unde dolores quasi ad partum, et venter sensim in tumorem a copia sanguinis effusi et stagnantis extollitur, cum magni ponderis sensu in hypogastrio, dysuria, ischuria, et insigni anxietate, iugibusque vigiliis: sub iisdem vero symptomatibus hymen aut membrana praeternaturalis in tumorem subrotundum ex rubro lividum elevata, in vaginae ostio prominere solet.

In hoc statu ergo, quidquid praeternaturaliter praetensum est ostio vaginae, quam primum scalpello diuidere oportet, et emisso cum impetu cruore, ad plures libras saepe intus collecto, vulnus forfice ampliare, simulque turundam crassam in vaginam immittere, ut via recens facta aperta servetur. Sequenti die et reliquis turundae unguentum digestivum illinitur, et vulnus ac vagina probe repurgantur. Ipsa turunda, imposito splenio et fascia, firmatur. Elapso octiduo circiter fistula plumbea digiti magnitudine et crassitie, unguento de cerussa obducta, si necesse videtur, adhuc immittenda est, et adfixo filo munienda, ut tanto commodius in iteranda deligatione educi queat.

*) Eiusmodi casum *Pareus* memoriae prodidit, et ex eius opere allegauit *Ammannus* in *Irenic. Num. Pompil. cum Hippocr.* p. 125. *Heisterus* quoque talem animadvertit et dilucide proposuit in *Act. Nat. Cur. vol. X. obs.* 3. et *Sauvages* in *Nosolog. T. III. cl. IX.* p. 202. et *Amyand* in *Phil. Tr.* n. 442. art. 8.

**) vid. *Ruysch Observ.* XXXII.

§. 385.

Permultae foeminae dolorificos menſes nullo non tempore experiri ſolent, quin et iam aliquot dies ante eruptionem aegrotare incipiunt, et a doloribus capitis, ventriculi, inteſtinorum ac lumborum, immo vomitionibus interdum, vehementer conficiuntur per totum menſium decurſum.

Ad haec vero ſymptomata levanda remedium eſt tartari cremor ad dimidiam drachmam ter die devoratus; aut bolus ex theriacae Andromachi et pulveris cinnamomi, ſingulorum ſcrupulo compoſitus; aut oleum amygdalarum dulcium ad cochlear plenum adſumtum; aut elixir uterinum Crollii ad quadraginta guttas; aut denique extractum rhei orientalis et croci invicem mixta, ſic ut illius quatuor grana, huius duo accipiantur, indeque catapotia ſemel deglutienda formentur. Neque alienum eſt, ex emollientibus aliqua cataplaſmata imo ventri, inguinibusque circumdare; et lac calidum cum aliquot unciis olei olivarum in alvum iniicere.

§. 386.

Vbi per aetatem menſtrua ceſſarunt, permultis morbis foeminae, praeſertim plethoricae, nunc patent. In hoc caſu autem oportet ſanguinem e pertuſa vena ſubinde educere; et phlogoſes vagas, quibus pleraeque cruciantur, pulveribus temperantibus citratis et cremore tartari exſtinguere.

In nonnullis haemorrhoidalis fluxus ceſſantem menſtruum cum euphoria excipit, et ſingulis menſibus, vel duobus aut tribus, ſubſequitur.

LOCHIORVM RETENTIO.

§. 387.

In summo vitae periculo puerperae versantur, et permultis atque gravibus malis, maximam partem acutis, subito patent ex retentione lochiorum, sive eam inquilinae causae, sive externae produxerint. Quapropter ad hunc fluxum quomodocunque interceptum restituendum, omnem operam navare medicum oportet, et, quum ad puerperam aegrotantem accedit, huius profluvii conditionem ante omnia percontari. Omnis enim fere gravis morbus, puerperis intra primam et alteram hebdomadem a partu contingens, ab occluso isto fonte repetendus est.

§. 388.

Iam vero supra, capite de uteri inflammatione, de isto vitio, eiusdemque curandi ratione praeceptum est. Et pilulae quidem balsamicae Beccheri aut Stahlii, una cum venaesectione in pede, si prorsus fluxus suppressus est, et anxietas febrilis intempestive urget, omnibus aliis remediis palmam fere praeripiunt, tam in promovendo parciore fluxu, quam suppresso revocando.

§. 389.

Quodsi autem fluxus iste per dolores spurios saltem et ob sanguinis lentorem, ut persaepe fieri solet, retardatur, nec ista quantitate, ut alias puerperae consuetum, legitime procedit; tunc utilissime ventri imo cataplasma emolliens applicatur, intusque simul laudanum liquidum Sydenhami iterate datur, aut infusum ex matricaria, arnica et millefolio bibitur.

§. 390.

Rarissime fit, ut citra sanitatis detrimentum lochia haud compareant; aut inverso naturae ordine ex insolitis viis prolabantur; aut in serum conversa ex naturalibus profluant.

HAEMORRHOIDES SVPPRESSAE.

§. 391.

Haemorrhoidum fluxum natura in paucis hominibus placide ac inopinato suscitat; in plurimis cunctanter et difficiliter, aut vix unquam; et, si quibusdam ille contigerit, tamen non raro iterum turbatur aut prorsus supprimitur. Inde vero multa atque gravia mala oriuntur, tam acuta quam longa, quibus corpus vel perpetuo vel per intervalla exponitur.

Inprimis autem, sive rite iam fluxerit sanguis, et nunc retinetur, sive nondum adhuc fluxerit, dolores dorsi, lumborum, pectoris, capitis, intestinorum, ventriculi, coxae, artuum, raucitates, tusses, asthmata, haemorrhagiae narium, oris, pulmonum, renum, vesicae, penis, cruciatus vesicae, synochi ephemerae, quas febres haemorrhoidales vocant, aphthae linguae et labiorum diuturnae, malum sic dictum hypochondriacum, varices ani, intus et extus tumentes, illincque difficultatem ac dolores sub egestione fecum parientes, hic vero inflammationes et exulcerationes; excretiones denique pituitae tenesmodes, et adstricta alvus subire solent.

Praeterea varii etiam morbi in naturalibus oriuntur, aphrodisiacos mentientes, saepeque medicos sub hac larva decipientes, velut catarrhi virilium, eorundem spasmi

ſpaſmi varii, inflammationes praeputii, teſtium, ſcroti, furunculi in eodem et in glandis velamento, ulceroſae ubivis ſerpigines, ſudores, pruritus ſcroti et ani, ulcera fiſtulaeque urethrae, varices ſcroti et vaſorum ſpermaticorum, hydrocelae, verrucae ani. Neque immunis eſt alter ſexus, quem praeſertim fluor albus, et furunculi in ipſo ſinu, eiusque oſtio, ulceraque iſtorum locorum affligunt.

Longiore temporis tractu plerique iſti morbi altiores radices figunt, et in peiores, cachecticos, mutantur, quorum cauſa melius noſcitur, quam curatio.

§. 392.

Sed haemorrhoidum fluxum arte movere, tardante quidem, quin et ſaepe reluctante, nec conſentiente natura, hoc opus certe, hic labor eſt. Nam in eo peccari a multis medicis, ipſorum quidem duce coryphaeo, quem inconſiderate, et coeco quaſi impetu, ſequuntur, paene quotidie obſervamus, qui qualescunque dolores et congeſtiones in conſiſtente hominum aetate, et qualescunque primarum viarum paſſiones, etiam in iuniore, a motu haemorrhoidali protinus derivant, nec ſatis perpendunt, quod cuncta haec mala etiam ex alia cauſa naſci queant, atque in praeſenti rerum ſtatu, quum natura aliorſum tendit, ad effluxum ſanguinis per oſtia haemorrhoidalium venarum ſollicitari ſe non ſinat; et, ſi vel iſte vi producatur, per eundem tamen priora mala nequaquam tolerabiliora reddi, multoque minus tolli queant.

Quapropter ſumma cura et ſollicitudine proſpiciendum, ut ne unquam promiſcue pellentia pharmaca adhibeantur in hiſce morbis, ſed tum demum ad iſta confugiatur, ubi dolores dorſi diu affligunt, aut ſubitaneae imbe-

imbecillitates usque ad animi deliquia in frequentiore flatuum atque ructuum concursu, saepe, diuque prehendunt, aut turgentes intestini recti venae intus ardorem, et sub flatuum atque stercorum excretione, non mediocrem dolorem inferunt, aut extus valde turgent, ardentve, aut denique mucus albus sive pituita vitrea, nulla quidem cachexia adhuc inducta, quandoque excernitur.

Quae vero remedia naturam in hoc excretorio molimine commode sustentant, licet nec tum semper id in omnibus, quod dissimulare fas non est, praestent, praeter sanguinis detractiones in pede, urgente aliqua ex proximis caussis paullo ante memoratis, institutas, itemque exercitationes et vini Burgundici liberalem potionem, victumque convenientem fere haec sunt: infusum aqueum ex millefolio, pilulae balsamicae Beccheri, elixir proprietatis sine acido aut aperitivum Clauderi, in cuius uncia soluta est aloes violatae drachma dimidia, aut arcanum tartari, adiecta drachma extractorum myrrhae, aut ellebori nigri, ad quadraginta guttas et ultra bis terve in die assumta; aut tartarus vitriolatus, aqua dilutus et drachmae dimidiae pondere exhibitus; itemque flores sulphuris simplices, myrrhati, et lac sulphuris, singula ad quindecim grana et amplius, semel vel bis de die propinata, et aquae minerales Pyrmontanae, Egranae, Schwalbacenses, Spadanae.

§. 393.

Neque vero, ubi ani venae extus tument ac dolent, (haemorrhoides coecas vocant) negligenda est hirudinum applicatio, cum vaporibus ex emollientibus rebus, velut floribus verbasci, linaria, meliloto, semine foenugraeci et croco ad anum admissis. In quorum vicem sub-

ſubſtitui etiam poteſt unguentum de linaria, cui dimidia pars olei ovorum et quarta eſſentiae croci adiecta eſt: quod medicamentum dolorificis varicibus frequenter illitum dolorem, una cum aliis incommodis, inſeſſum adeo vetantibus, perſaepe lenit brevi temporis ſpatio.

Sin autem nimium quantum varices intumeſcant; ſiquidem ad ovi magnitudinem diſtendi poſſunt; et priora remedia laudata, aut quaeuis alia ſic dicta ſpecifica, maximam partem abſurda et ſuperſtitioſa, in contrahendis illis ac levando dolore, perperam adhibita fuerint; tunc protinus ancipiti cultro aperiri oportet, et deinceps vapores ex ſupra dictis rebus in ſella perforata ad anum admitti, quo ſanguinis ſaepe nimis ſpiſſi effluxus faciliteur. Neque facile metuenda eſt haemorrhagia; et, quum cruor diu hic ſtagnavit, tantopere ille condenſatur, ut amplius prorſus non fluat, ſed violenta expreſſione adeo indigeat. Accelerandam praeterea ſuademus inciſionem iſtam, ne inflammatio ex dolore, aut, quae multo peior, exulceratio hac ſede oriatur. Ad hanc vero valet linimentum, quod ex olei roſacei uncia, amyli drachmis duabus, ſanguinis draconis drachma, olibani et myrrhae ſingulorum dimidia componitur.

§. 394.

Raro accidit, ut repente haemorrhoides ſupprimantur frigore aut vehementiore animi perturbatione: nec poſſunt non ex ſuppreſſione iſta ſubito ſymptomata gravia ſuboriri. Tum vero iisdem remediis is fluxus, ac menſtrualis, revocandus eſt.

§. 395.

Contra vero, ſi morbi chronici ex interceptis haemor-

morrhoidibus orti sunt, et corpus iam est infirmatum; itemque, si hae ex febre vel alio morbo fuerunt suppressae; sciendum est, omnem operam in restituendis illis non solum esse temerariam, sed etiam inutilem et periculosam.

VESICAE VRINARIAE SPASMVS. DYSVRIA. ISCHVRIA. STRANGVRIA.

§. 396.

Nunc vero est de urinae retentione, ἰσχουρία, dicendum. Quoniam vero haec plerumque ex praegresso vesicae spasmo aut dysuria oritur; hinc de his vitiis exponere simul hoc loco commodum est visum, perinde ac de affini horum malorum urinae stillicidio.

§. 397.

Est autem *vesicae spasmus*, ut ab hoc ordiar, tanquam frequenti priorum malorum genitore, intensior eius constrictio, quae per intervalla hominem excruciat cum perpetuo mingendi conatu, difficillimo ac dolorifico mictu, graviore tenesmo, atque flatuum retentione: quibus saepe ingens dolor tensivus, ad testiculos aut femur protensus, iungitur. Interdumque adeo plena est urinae suppressio cum extremorum algore, animique defectu: quae si diu saepeque hominem exercent et torquent, tandem ad summam desperationem ipsum redigunt, quin etiam consumtis viribus, accedente demum apoplexia, convulsione, sopore, aut hydrope, misere interficiunt. In quo grauissimo casu subinde etiam urina aliquamdiu ante mortem per alias vias, alvum, vomitum, aut sudorem excernitur, aut ad alia loca de-

fer-

fertur, ubi excerni non poteſt. Interim pauca, ſi qua in iſchuria exſtillat, urina limoſa plerumque atque turbida eſt, viſcidamque materiem deponit.

§. 398.

Iſtum vero horrendum ſummeque dolorificum ſpaſmum, nunc breviorem, nunc vero longiorem et ad plures dies protractum, diverſae res inducere conſuerunt, primo calculus, deinde lenta ſanguinis intra veſicae vaſa ſtaſis, quae inde prorſus varicoſa fieri poſſunt, ex ſuppreſſo menſium haemorrhoidumque fluxu, non minus ac acuta et inflammatoria; porro haemorrhoides veſicae, humor impurus ſcorbuticus, itemque arthritica et podagrica materia ad veſicam delata, pus quoque a renibus in veſicam deſtillans, aut in eadem ipſa genitum; nec non gonorrhoea perverſe tractata, et inde ortae carunculae, cicatrices, aut ſimplex phlegmone urethrae; porro inflammatio et ulcus inteſtini recti, coli, uteri, abſceſſus partium omnium interiorum imi ventris, ſanguis in abdomen effuſus, contenta ventriculi rupti eo delapſa, et renes prorſus exſiccati et conſumti, veſicae cum inteſtinis concretio, hyſterica affectio, colicus vehemens dolor, et menſtrua ab occluſo hymene retenta.

Adhaec permultae res externae idem malum inducere ſolent, ut ſunt contuſiones ictusque in pubis et perinaei regione graviores, lithotomia, fiſtulae ani chirurgia, catheter in veſicam improvide immiſſus, partus difficilis, aquae frigidae, inſudante corpore, potus largus, cantharides.

§. 399.

Levior *dyſuriae* cauſa in urina acriori a fortiore aeſtu aut calidiore victu conſiſtit, ſaepeque aeſtate et in febri-

febribus acutis incidit. Mulieres et viri a nimio coitu eam quoque experiuntur.

Gravior autem *Iſchuriae*, id vero eſt plenariae ſuppreſſionis urinae cauſa eſt, praeter nonnullas ex antecedentibus hic repetendas, amborum renum, ureterum aut cervicis veſicae oppletio aut conſtipatio; quorum illa fere fit in renibus ab inflammatione, vulnere, ulcere, calculo, incruſtatione eorundem per materiem lapideam, nimia pelvis amplitudine, ſanguine coagulato, et ab hydrope renum ſaccato; in ureteribus, a grandiuſculo calculo iisdem impacto, a ſanguinis grumo, a tenaci viſcido, a coaleſcentia oſtiorum inferiorum, ab inflammatione et pure; in veſica a ſanguinis grumo, incruſtatione calculoſa, tuberculo calloſo aut carnoſo: conſtipatio vero in renibus a tumore praeternaturali vaſa emulgentia cum aorta et vena cava comprimente; ſimiliterque in ureteribus; in veſica autem, ab ipſius inuerſione, a proſtata ſcirrhoſa aut tumida ex calculo, porro a ſcirrho ipſius colli veſicae eiusve cartilaginoſo aut calloſo habitu, a ſcirrho veſicularum ſeminalium, a ſcirrho in pelvi aut utero a tunica interiori veſicae prolapſa, glande aut praeputio occluſis, perinaei, qualicunque tumore et morboſe diſtento utero. Denique vero et a reſolutione veſicae et urina diu retenta, itemque a calculo urethrae infixo et variis aliis eius morbis iſchuria ſuboritur. Interdumque plures cauſae ſimul concurrunt. In immenſum vero veſica a retento lotio diſtendi poteſt, ut fere totum abdominis cavum velut uterus grauidus adimpleat, et tandem adeo diſrumpatur; *) id quod tamen rariſſime contingit.

*) vid. *Peyeri Pacon. et Pyth. exerc.* p. 60. *Phil. Trans. IV.* 99. et Cl. *Acrel chirurgiske Hændelſer.* p. 234.

§. 400.

Ex dictis liquido patet, non omnem causam ischuriae a medentibus cognosci in vivo corpore, multoque minus tolli posse, adeoque ipsum malum subinde esse incurabile perinde ac letiferum. Quaenam vero ex ceteris minus latentibus et obscuris causis idem producant, his fere notis deprehenditur.

1) Si calculus vesicae malum parit, dolorosum fit urinae stillicidium cum tanto nixu, ut vix cohiberi posse urina videatur; quae tamen, vt primum stillare coepit, mox iterum retinetur. Dolor autem ipsum penem simul prehendit, et praesertim eius glandem cum aliquo pruritu, sic, ut laborantes emulgere quasi eandem sub mictione cogantur: qui quoque, dum meiere volunt, crura fere semper transuersim complicant et coxas comprimunt, capite ad terram inclinato, atque sub hac positura pauxillum urinae turbidae cum mucoso sedimento emittunt. Ad haec ad mictum subito concitantur, et sub illo persaepe dolorificum tenesmum experiuntur, qui ipse demum prolapsus intestini causa fieri potest. Ischuria a renum calculo interdum subito adoritur, et finita post plures dies foetidissimo aliquando sudore, deinceps saepius recurrit *).

2) Si dolor et ischuria a vesicae inflammatione; tum illa symptomata apparent, quae supra, quum de hoc ipso morbo tractarem, diligenter fuerunt recensita (§. 232). Si a nephritide, pariter aliunde iam haec causa patet (§. 227).

3) Si solus spasmus vesicae in causa est, id eo scitur, si nulla calculi nec in vesica, nec in urethra haerentis signa adsunt, et dolorifica constrictio circa collum vesicae percipitur, et catheter supra cervicem vel diffi-

difficulter vel plane non dimitti poteſt. Recurrere etiam ab hac cauſa iſchuria aut dyſuria ſaltem frequenter conſuevit.

4) Si materia ſcorbutica aut arthritica, aut ſuppreſſus haemorrhoidum vel menſium fluxus, aut male tractata gonorrhoea, veſicae dolorem excitat, ex anamneſticis ſignis id cognoſci poteſt.

5) Si pus a renibus ad veſicam deſtillavit, urina putrida et valde olens meiitur; ſimiliter ſi in veſica ulcus eſt **). Vndenam vero pus veniat, anamneſtica ſigna iterum docent. Id ipſum vero, ſi inteſtinum rectum aliquid paſſum eſt, aut ſi ab hoc exulceratio ad veſicam progreſſa eſt, efficit, ut nunc quoque et ſtercus per urinae vias reddatur cum lotio, et aliae res plures deglutitae.

6) Si caruncula in urethra urinam retinet, tum in fila diviſa ſaepe effluit, retracto praeputio; et cereus immiſſus eam tangit. Aliquando etiam, compreſſa urethra digitis in poſtica ſede, materies purulenta promanat. Ceterum hoc vitium cum multis aliis urethrae praegreſſa gonorrhoea virulenta luculenter praemonſtrat.

7) Si calculus ureteri infixus eſt, aeger a dolore lumborum infeſtatur; cum vomitu aliquando, et febre.

8) Si ambo ureteres obſtructi ſunt, aut coarctati, lumborum ſumma eſt gravitas, interdumque vehemens dolor; nulla vero vel minima cupiditas mingendi urget, et veſica vacua eſt; quod inde ſcitur, ſi immiſſo cathetere nihil quidquam urinae effluit.

9) Si ſcirrhus glandulae proſtatae adeſt, tumor in perinaeo durus vel indolens, aut non multum certe dolens percipitur. Alias ſcirrhus, immiſſo in anum di-

gito, exploranti ſe offert. Vrina retenta vehementes etiam cruciatus parit; nequaquam vero, ſi veſica ſimul reſoluta eſt; quod vitium cum priore coniunctum mihi ſemel obſervare contigit in ſene, per aliquot annos dyſuria afflicto, in letalem tandem iſchuriam dierum undecim converſa. Tum enim inſtar mortui utris diſtendi ſe veſica, citra omnem dolorem, ad incredibilem amplitudinem patitur.

10) Si paralyſis veſicae iſchuriam facit, illud ex omni doloris defectu, ut iam dictum eſt, cognoſces, etiamſi veſica immaniter ab urina ampliatur.

11) Si denique ab urina acri difficultas ad mingendum oritur, illa admodum ſaturata atque rubicunda apparet, et moleſtum ardorem in veſica ac urethra excitat.

*) vid. *Car. Piſo de colluvie ſeroſa*, *Obſerv.* 127.

**) De veſica ulcere penitus conſumta caſus occurrit in *Commerc. litt. Nor. ann.* 1732. p. 64.

§. 401.

Quod igitur nunc ad eiusmodi malorum curationem pertinet, ea non uno modo, nec uno remedio abſolvi poteſt.

Quandocunque ergo uriniferi canales calculo obſtructi ſunt, isque urinae curſum prohibet; tum, ſi parvus ille eſt, ſpiritus ſalis communis a guttis ſex ad decem ex caliculo aquae aliquoties datus iſchuriam aut dyſuriam inde ortam ſolvet; aut ſal Ebeshamenſe vel radix pareiracbravae in pulvere ad dimidiam drachmam omni trihorio ſumta. Si maior calculus eſt, aut in urethra obhaereſcit, nec per eam pelli poteſt, in priore caſu ad lithotomiam procedere oportet, aut ſaltem catheterem ſaepe inſerere, ut repellat calculum; in altero

ro vero urethram aperire ſupra ipſum calculum, eundemque ex ſacta plaga educere. Quoniam vero lithiaſis per intervalla atrociores dolores atque ſpaſticas veſicae contractiones mouet; tum in earum incremento extrinſecus cataplaſmata et clyſteres ex parietaria et emollientibus rebus adhiberi oportet, intus vero demulcentia atque relaxantia, velut emulſiones ex ſeminis violarum uncia et aquae veronicae libra paratas, et infuſum ex foliis altheae aut malvae, ſyrupo violarum edulcatum, quod patellari menſura aſſidue hauritur, donec lotium ſufficienti copia effluxerit, ſpaſmique ſopiti fuerint. Nec venaeſectio in eiusmodi paroxyſmis iſchuriae calculoſae ſubitum non auxilium aliquando afferre conſuevit *). Reliqua cura prophylactica eſſe debet; de qua alio loco, cum ad lithiaſin venero, ſpeciatim praecipietur.

*) cf. *Tulpii Obſerv. L. II. cap.* 43.

§. 402.

Vbi urinae difficultas ab inflammatione aut plethora eſt; ipſis accommodata remedia, alias iam praecepta, opponenda ſunt.

§. 403.

Si veſicae ſpaſmus urinam cohibet, frequentandi ſunt clyſteres oleoſi, cataplaſmata ad pubem et perinaeum, aut ſacculi ex floribus chamomillae in lacte coctis, aut oleum Therebinthinae perinaeo illitum, vel cepae ſub cineribus toſtae et cataplaſmatis in modum pubis et inguinis regionibus adplicatae; intus vero infuſum foliorum malvae, cortex Peruvianus aut uva urſi prae ceteris proficiunt; ſique dolor nimis urget, laudanum Sydenhami ad guttas duodecim et ultra per bihoria datum,

 vel

vel in huius vicem laudanum urinarium dispensatorii Brandenburgici a dimidio scrupulo usque ad integrum. Emulsiones ex seminibus operae pretium vix faciunt.

At venaesectione maxime opus est, si spasmus ex plenitudine et infarctu vasorum vesicae sanguiferorum ortum trahit.

Quodsi is a rheumatica materia oritur, opem praestant balnéa, fonticuli, aqua Selterana, laxantia mannata, decoctum ex radice liquiritiae, sassaparillae, chinae, cichorei, graminis, semine foeniculi, rasura cornu cervi; necnon spiritus bezoarticus Bussii cum liquore anodyno Hoffmanni mixtus. Atque ista remedia etiam prosunt una cum succo cochleariae, quando materies scorbutica ad vesicam delata dolorificum mictum facit.

Relinquit nonnunquam vesicae spasmus urinae incontinentiam; quae vero paullatim per se finitur: quodsi non fiat, ad corticem Peruvianum aut uvam ursi confugiendum est.

§. 404.

Vesicae ulcus equidem difficillime sanescit, et hinc quoque spasmus vesicae, eiusdemque dolor ac difficilis mictus inde orsus. Experiendae tamen sunt, per longum usum quidem, aquae minerales et thermae, itemque decocta ex therebinthina vitello ovorum subacta, et virgaureae, hyperici, agrimoniae herbis cum melle frequenter tam in vesicam, quam in alvum, si nempe cum intestino recto conspirat ulcus, iniicienda. A balsamicis remediis intus datis frustraneam opem exspectabis: contra vero certiorem a decocto ligni guaiaci. Nec ista quidem, existente febre lenta, locum habent.

§. 405.

Si tumor proſtatae emiſſionem lotii coercet, utiliter ipſi unguentum Neapolitanum ad dimidiam drachmam quotidie inungitur, ſuperimpoſito emplaſtro diaſulphuris Rulandi; intus vero datur terra foliata tartari in pulvere aut ſolutione ad dimidiam et integram drachmam. Quodſi vero his remediis non obtemperat malum, neque catheter in veſicam promoveri poteſt; nihil aliud ſupereſt, quam ut acu triquetra veſica in perinaeo pertundatur.

§. 406.

Adverſus paralyſin veſicae linimenta nervina regioni pubis et perinaei crebro inuncta valent, cuiusmodi ex axungia humana, oleo nucis moſchatae expreſſo, et variis oleis diſtillatis lavendulae, roſmarini, thymi, maioranae, fiunt: aut ſpiritus paralyticus Mynſichti, eadem ratione admotus, itemque aqua ſclopetaria, et ſacculi ex meliſſa, mentha, lauro, et floribus chamomillae Romanae in vino rubro decoctis expreſſi. Nec clyſteres, nec balnea ex ſtirpibus nervinis omittenda ſunt, nec aquae thermalis in veſicam iniectio. Intus vero roob iuniperi in vino dulci ſolutum et cochleatim aliquoties in die ſumtum; aut mixtura ex aquae petroſelini unciis quatuor, roob iuniperi uncia et ſpiritus ſalis drachmis duabus, eodem modo uſurpata. Interim vero catheter pro neceſſitate ad evacuandam urinam applicari debet.

§. 407.

Quodſi denique mingendi difficultas ab urina acri proficiſcitur, remedia abſorbentia cum copioſo potu aquae, et decocta lenientia ex ſaſſaparillae, altheae et

liquiritiae radice aliis omnibus praecellunt; et in vehementiore malo, ſimul clyſteres, balnea, et laudanum urinarium ad dimidium ſcrupulum per ſingulas horas datum.

§. 408.

Grauidis atque puerperis ſubinde etiam urina difficulter exire ſolet; quod plerumque a compreſſo veſicae collo per uterum turgentem incidit: deinde vero a prolapſo utero, et a Cyſtocele. Remedium ſaepe eſt decubitus ſupinus et ventris gravidae eleuatio, aut, ſi haec non iuvant, catheteris immiſſio.

§. 409.

Nunc quaedam adhuc cauſae iſchuriae atque dyſuriae rariores commemorandae ſunt.

Prima eſt veſicae hernia, ubi pars eius in perinaeo prominet, aut per annulum muſculi obliqui prorumpit et vel in inguine prominet, vel teſtis adeo tunicas diducens in ſcrotum deſcendit. Quod vitium cognoſci poteſt, ſi homo urinam reddere non valet, niſi preſſo exterius tumore *). Eius vero medendi via ex Chirurgia petenda eſt.

Alteram cauſam efficiunt vermes in veſica hoſpitantes, partim ex inteſtinis eo delati per ulcus, partim ibi aut in renibus generati, tumque figura ab inteſtinalibus diſcrepantes **). Quibus et ſponte et per aquam mercurialem iniectam egreſſis et expulſis iſchuria aut dyſuria ceſſat. Sciendum tamen eſt, aliquando etiam vermes e veſica ſine dolore, ullave urinae difficultate excerni ***).

Tandem etiam cum inſigni urinae difficultate, eaque

que etiam periodica, ſubinde capilli mingi ſolent. *Trichiaſin* appellant: ****) quam merito hic inter rariores dyſuriae cauſas, aut, ſi placet, etiam inter effectus, adhuc referimus.

*) vid. *Io. Salzmanni* diſſ. *de veſicae urin. hernia.* Argent. 1732. *Mem. de l'acad. de Chirurg.* T. II. et *Hiſt. de l'acad. de Par. ann.* 1713. p. 146.

**) *Eph. Nat. Cur.* dec. II. an. I. obſ. 77. an. VI. obſ. 31. dec. III. an IV. obſ. 2. *Act. Nat. Cur.* vol. IV. obſ. 4. *Acrel libr. cit.* p. 232. *Schenckii Obſ.* L. III. p. 551. *Act. Med. Berol. Dec. I. vol. IV.* p. 75. ſequ.

***) vid. *Tulpii Obſerv.* L. II. 50. 51.

****) *id.* L. II. 42.

§. 410.

Prioribus malis affine eſt *Vrinae ſtillicidium*, Stranguriam quam vocant, ubi ſtillatim et guttatim urina redditur, modo quodam conatu, ſed nullo dolore, modo cum vehementi dolore, ardore atque irritatione, quae etiam a mictu aliquamdiu remanent.

In priori caſu eaedem cauſae, quae Iſchuriam faciunt, praeſto ſunt, ſed leuiores multo, quod ſit diminuta quaedam iſchuria. In altero vero permiſtae cauſae tum iſchuriae tum dyſuriae adſunt. Quod enim guttatim ſtillat, iſchuriae; quod vero ardet et ſtimulat, dyſuriae rationem ſumit.

Irritantes vero cauſae variae ſunt, cereviſia non bene fermentata, feculenta, acorem adepta, muſtum, liquores varie miſti et aſſumti, aut peregrini ac inſueti, itemque recens ac tepens panis, ſudor nimius aut ſuppreſſus, defectus muci in viis urinariis, cantharides, variique veſicae, urethrae et proſtatarum morbi, item-

que alii partium vicinarum, intestini recti, ani, perinaei, in inflammatione, dysenteria et tenesmo, denique et acre quoddam in febre natum, vel ex alio morbo ad urinae vias delatum.

Sed vulgatissima causa ex potu et suppresso nimiove sudore est: quam vero unica dosis lapidum cancrorum praeparatorum, aut baccarum lauri, et summitatum anethi decoctum tollere mox valet. Reliquae causae ipsorum morborum, unde ortum habent, curationem desiderant.

TARDA ALVI DEIECTIO.

§. 411.

In permultis hominibus stercus raro, nec pro assumtorum ratione descendit; idque tardam alvi deiectionem vocamus. Quamquam vero intestinorum symptoma haec tarditas est; tamen alios morbos deinde excitat, et propterea inter evidentes eorundem causas effectrices merito refertur; siquidem inde capitis gravitas atque dolor, vertigo, appetentia deiecta, somnus perturbatus, et intestinorum inflatio producitur.

§. 412.

Quandoquidem vero non omnis alvi tarditas morbosa est, quippe et naturali lege ea accidit in permultis citra manifestum corporis detrimentum, in aliis vero paucorum dierum intervallo rursus finitur, ex evidentibus causis, velut otio, ficcioribus, aut acerbis esculentis, vino austero, immoderata ciborum copia, potione parca, sudore multo, urinae et alvi profluvio, etiam artificiali, febre porro, partu, et intestinorum spasmo prognata: utrumque illam pigram deiectionem

non

non perquirimus in praesenti, sed eam, quae morbi soboles est, et in qua alvus nonnisi sexto vel octavo die, aut serius non sine corporis offensa et molestia deiicit.

§. 413.

Eiusmodi autem pigrae alvi causa admodum diversa est, et modo a defectu seri intestinalis aut pituitae, aut bilis, eiusve inertia, modo ab obtuso sensu, modo ab obstructione vel adstrictione intestinorum efficitur, quae ceteris causis frequentior existit. Obstructio vero vel a duris siccisque fecibus, vel a deglutitis et compactis rebus duris, vel ab intestini angustia, *a*) scirrho aut callo, vel a crassa lentaque pituita, vel a calculo concreto: adstrictio vero a mesenterii aut viscerum tumore, qui intestina pressu coangustat; nonnunquam et ab hernia prognascitur.

Quin etiam intestinum aliquando prorsus coalescit: id quod in totum stercoris deiectionem prohibet et miserabilem ileum producit: quem et complures aliae ex memoratis causis, quum supra modum increscunt, inducere consuerunt.

a) Hoc vitium solide exposuit *A. Frid. Waltherus* in diss. *de intestinorum angustia.* Lips. 1731.


§. 414.

Non itaque omnis tarda ac molesta alvi deiectio curationem recipit, minimeque omnium illa, quae ex praeternaturali intestinorum tumore aut angustia enascitur.

Mollissimi cibi, multaque inprimis iuscula, ex quibus nulla stercora dura formantur, his aegris proficiunt; interdumque etiam oleosa, quae ex inferioribus quoque partibus frequenter immitti debent.

Si

Si obſtructio a duris ſiccisque fecibus, eadem clyſmata una cum oleo amygdalarum dulcium ad dimidiam vel integram unciam aliquoties epoto, valent: ſin a deglutitis rebus duris, etiam infuſum mannatum et ſennatum prodeſt: ſin a ſtimuli defectu, talia quae ipſum reſarciunt, velut cremor tartari, pulvis lenitivus tartariſatus, tartarus vitriolatus cum aliquot granis aloes, aut ſi levius malum, aliquot patellae decocti Caffe ieiuno hauſtae, vel ex fiſtula hauſtus tabaci fumus, quo adſueſcere debent adſtricta alvo laborantes. In graviore caſu iuvat deglutire cum hauſta aqua pauxillum fumi ore retenti, aut hoc antea vitrum, et deinceps repente aqua replere, eamque aſſumere ſemel de die.



CLASS.

CLASSIS IV.

DOLORES.

CEPHALALGIA.

§. 415.

Dicam nunc de illis morbis, qui doloris ſenſu hominem excruciant, ordiarque a capite, quippe quod praeceteris partibus frequentius quoque dolori expoſitum eſt. Is autem vel in interiore aliqua parte, vel in exteriore conſiſtit contactu tum increſcens, et, reſpectu habito ad ipſam ſenſationem, nunc gravativus, nunc vero pungitivus, tenſivus, pulſatorius, aut lancinatorius, ſimulque brevis aut longus, continuus aut periodicus eſſe conſuevit; et modo totum caput, modo latus, modo partem ſaltem occupat, indeque varia nomina accipit, ſic, ut in univerſum quidem *Cephalalgia* appelletur; ſin autem grauior et longior eſt, *Cephalaea*; ſi dimidiam capitis partem tenet, *Hemicrania;* ſique in exiguo ſpatio eſt, *Clavus*, cui aliquando frigoris ſenſus ſe adſociat.

§. 416.

Omnis autem capitis dolor vel idiopathice vel ſympathice affligit, et modo in febre aliove morbo eſt, modo per ſe vexat, interdumque ſic, ut horrorem, caliginem, vertiginem, delirium, furorem, tinnitum aurium, ſurditatem, ſoporem, apoplexiam, faciei pallorem aut ruborem, coecitatem, hydrophthalmum, paralyſin palpebrae ſuperioris, ſanguinis ex naribus auribusque fluxum, deliquium animi, vomitionem, anorexiam, aliaque mala concitet. In gravi adeo dolore oſſa calvariae ſubinde in vertice aut fronte aliquantum diducuntur tam foeminis quam viris *); aut vicinae partes nervoſae, aures, mandibulae, dentes, labia atque brachia in conſortium trahuntur. Nec rarum eſt, obſervare alternantem dolorem capitis cum dolore artuum.

Inter-

Interdum larvam febris intermittentis mentiri consuevit periodicus capitis dolor, tumque cum aestu coniunctus est, et subsequente sudore; aut sine illis affligit, lotio tamen, finita accessione, sedimentum febrile dimittente. **).

*) vid. *Anselm de Boot L. de affectib. omissis* cap. 4. *Hildan. Observ. Cent. II.* 7. *Hagendorn Cent. I. obs.* 40. Et duobus celebratissimis nostri seculi Medicis, *Ramazzinio* ac *Hambergero*, hoc vitium contigisse, in ipsorum vitis commemoratum legitur.

**) cf. *Mortoni Pyretolog.* p. m. 259.

§. 417.

In censum frequentiorum causarum, cephalalgias ingenerantium, veniunt plethora, et quidquid ad huius ortum aut incrementum aliquid confert, suppressus sanguinis fluxus, venaesectio intermissa, graviditas, potus spirituosus, ignis, frigus, ventus, cruditas, ingluvies, ira, dyscrasia sanguinis serosa, pituitosa, arthritica, siphilitica, scorbutica, melancholica, intemperies calida, odor gravis, percussio, ictus, casus.

Infrequentiores causae, sed quae longissimum et plerumque insuperabilem dolorem inferunt, in defectu suturarum, inque encephali vitio consistunt, cuiusmodi est steatoma vel alius cerebri tumor, serum in cerebro, ventriculis eius, aut dura vel pia matre, effusum, abscessus cerebri, varices et verrucae menyngum, calculus intra easdem aut in nervis opticis, caries ossis cranii in interiore tabula aut diploe. Quae causae deinceps etiam alia mala gravissima ac letifera producunt.

Porro vero pertinent ad rariores cephalaeae causas calculi in sinubus frontalibus et vermes in cerebro, sinu falciformi, aut mucoso aliquo ossium cranii haeren-

rentes, vel nidulantia in eodem inſecta; quae ambo ſi poſtremum locum occupant, ſubinde per nares ſponte ſua aut emunctione egrediuntur; quo omnis dolor, hactenus incurabilis, protinus diſcutitur.

§. 418.

Quum dolor capitis non niſi a diſtentis vaſis aut irritatis qualitercunque fibris nerveis oriri queat; opera ubique danda eſt, ut haec mala conſopiantur alterantibus atque topicis, aut refrigerantibus tum internis, tum externis medicamentis. Quocirca, nullo cauſae reſpectu ſingulari habito, verbenam recentem contuſam aut aquam eius diſtillatam, admixta octava quaſi parte nitri pro epithemate frontali; aut vaporem aquae et aceti vini ad caput admiſſum; aut ſpiritum nitri dulcem cum balſamo Peruviano temporibus illitum, illive loco, ubi dolor fixus haeret; aut fotum ex cineribus lignorum dolenti parti applicatum; aut linimentum ex opii drachma una, maſtichis ſcrupulis quatuor, caſtorei, croci, ſingulorum ſcrupulis duobus, et terebinthinae uncia dimidia confectum, vel etiam emplaſtrum de ranis cum mercurio temporibus utrinque applicandum; aut denique liquorem ex ſpiritus vini camphorati, tincturae anodynae, et ſpiritus ſalis ammoniaci, ſingulorum drachmis duabus, menſura cochlearis parvi in nares per intervalla trahendum commendamus. Praeter haec vero et purgantia eccoprotica ad univerſalia remedia merito referuntur, iterato aſſumta.

§. 419.

Si ſigna docent, quod ſanguinis congeſtio ad caput dolorem peperit, ligaturae capitis et ſanguinis miſſiones aut ex ipſo aliquo capitis vaſe externo, aut in remotiori parte, aut hirudines aliquot, temporibus vel

pone aures applicatae porro proficiunt, cum temperantibus quibusdam exhibitis. Quae sola, si dolor ex aestu et vino est, etiam sufficiunt. Et capitis magnos dolores natura interdum solvit effluxu materiae purulentae ex naribus, vel auribus, quem suspiceris, si cum dolore auditus difficultas coniuncta est; aut sanguinis ex his et naribus copiosa eruptione.

Si ex cruditate dolor, qui toties augeri consueuit, ac cibus digeri incipit, atque nausea plerumque, et ructibus, quin etiam vomitionibus stipatus est; in non assuetis aliquot pocula decocti Caffe a pastu sumta eum saepe discutiunt; alias leni vomitorio aut purgante salino aliquoties vti expedit, interpositis stomachicis quibusdam medicamentis atque antispasmodicis inter se mixtis; cuiusmodi est puluis stomachicus Birckmanni cum tartaro vitriolato et nitro, aut elixir proprietatis sine acido, adiecta quarta parte liquoris mineralis Hoffmanni. Interdum is dolor intra unum aut alterum diem abstinentia a cibo, et, si nihil assumitur, nisi aqua, submouetur. Si postero die vero remanet, ad emetica, aut aluum ducentia et reliqua remedia praescripta veniendum est.

Cephalalgia a crapula aut ingluuie spontaneo vomitu plerumque discutitur.

Ex ira ortus dolor optime sedatur tinctura rhei orientalis, adiecta quarta parte circiter tartari tartarisati, cochleari mensura per aliquot horarum interualla assumta, et larga potione aquae egelidae. Interdum spontaneus vomitus biliosus eum soluit; quem ideo, si aliquid indicat, placata prorsus mentis emotione, etiam excitare confert.

Cephalalgiam ex frigore aut vento tollit, iuxta regimen

gimen calidum, mixtura ſimplex camphorata, aut puluis ex antiſpaſmodico, conchis citratis, antimonio diaphoretico et camphora compoſitus. Eiusmodi dolores etiam grauedine et ſternutamentis finiuntur.

§. 420.

Aduerſus longum dolorem auxilium eſt in veſicatoriis, ipſi loco dolenti, ſi fieri poteſt, appoſitis, fonticulis, etiam in vertice aut pone aures inuſtis, ſcarificatione capitis, cucurbitulis ad ſuras, ſetaceis, et emplaſtro de ranis cum mercurio, temporibus applicato. Ipſa fricatio capitis et capillorum tonſura dolores longos levat; perinde ac ſuccus radicis betae rubrae expreſſus aut puluis foliorum aſari in nares aliquoties de die tractus, et pediluuia. Expedit etiam in omni vetuſto dolore caput ad cutem tonſum aqua frigida multa frequenter perfundere. Interni dare debent alterantia, velut puluis cachecticus Quercetani, radix valerianae ſylueſtris in puluere aut decocto, liquor cornu cerui ſuccinatus cum tinctura tartari, decoctum ligni guaiaci; interpoſitis medicamentis, quae aluum purgant. Aquae Pyrmontanae aut Carolinae etiam magnam vtilitatem habent. Sin autem nihil horum efficax fuerit, ad inciſionem cutis capitis cruciatam vsque ad pericranium veniendum eſt, et longa ſuppuratio in vulnere excitanda. Qua ratione etiam a capitis vulnere, et fractura aut fiſſura cranii, doloris longi medelam aliquando praeſtitam fuiſſe, obſeruationes docent. Quodſi vero fixum aliquem locum dolor occupat, in hoc ipſo inciſionem parare oportet. Interdum etiam in cranii perforatione gratia erit ad iuuandum; ſed dolor, oppleto rurſus foramine, in nonnullis redire conſueuit.

Si os carioſum dolorem facit, crebrioribus foraminulis petundendum eſt; neque hanc chirurgiam, ſi os

 ipſum

ipſum tumet, negligere vnquam oportet, vtpote quae ſola medelam adferre valet.

Ad capitis dolorem a vermibus aut inſectis in ſinubus mucoſis caluariae conducit fumus, naribus et hiante ore exceptus, ex foliorum abſinthii, marrubii, betonicae, florum centaurei minoris, ſingulorum drachmis duabus, radicis angelicae, zedoariae, ſuccini, ſingulorum drachma vna, antimonii crudi vncia dimidia in puluerem contritis ac inter ſe mixtis et carbonum igni inſperſis. Iſtiusmodi vero animalcula non niſi ex coniecturalibus ſignis patent, qualia ſunt dolor fixus diuturnus, nullis remediis cedens, et ad motum capitis increſcens et lancinans, ſternutatio frequens, narium ſiccitas in alterutra vel vtraque parte, pruritus, vertigo, et foetidus odor ex ore atque naribus exhalans.

Cephalalgia denique ſub larua febris intermittentis per circuitus incedens non alio remedio quam Peruviano cortice, cui rheum aut ialappa admixta, curari ſe ſinit; cum eo, vt ſimul temporibus emplaſtrum mercuriale ſupra memoratum applicetur.

§. 421.

Quisquis ceterum dolore capitis vexatur, nec legere, nec ſcribere debet, nec vehementer ſe mouere, nec voce contendere; vtique poſt prandium vel coenam, poſt quam nec cogitatio quidem ei ſatis tuta eſt. Vitare etiam debet conclaue nimis calidum, ſolis aeſtum, omnemque repletionem.

Quae vero auxilia ſint capitis, vbi cum febre alioue affectu dolor eſt, tum alio loco iam expoſitum eſt, tum alias erit explicandum.

ODON-

ODONTALGIA.

§. 422.

Dentium dolor a diverſis cauſis naſcitur, modo quidem a vitio in ipſo dente, modo ab inflammatione perioſtei eiusdem, ſiue interni, ſiue externi, vel gingivarum, vel perioſtei maxillae, modo denique a decubitu ſeri ad vnam harum partium vel plures.

Inflammatio plerumque leuior eſt, ſi a congeſtione frigida originem traxit; grauior contra et febre ſtipata, ſi ex ſanguinea eſt. Naſcitur autem maxime humido frigidoque coelo ex ſuppreſſa tranſpiratione, vel ex ſubitanea refrigeratione poſt incaleſcentiam, itemque ex catarrho, rheumatiſmo, arthritide, vehementiore corporis animique motu, potu ſpirituoſo, haemorrhagia naturali ſuppreſſa, neglecta ſanguinis evacuatione, atque carie dentis: an etiam a vermibus in eodem haerentibus (*)? Aliquando etiam ſpaſmus in remotiori quadam parte eandem producit; ex quo ſaepe periodicam naturam conſequitur: aliquando vero inflammatio vicinae cuiusdam partis, naſi, auris, colli.

Gena ſub dolore ſaepe intumeſcit, multaque ſaliva ex ore fluit. Atque prius, ſi ſerioribus diebus contingit, diſcuſſionem doloris ſignificat.

Inflammatio ſaepenumero vicinas ſimul partes, gingiuas, aures, malas, oculum, et totum caput occupat; ex eaque haud raro abſceſſus lente generatur, qui ſedem inter gingiuas atque buccas figit, et ſub violentiſſimo dolore demum rumpitur.

Malum ab omni incaleſcentia facile augetur et recrudeſcit. Si grauius eſt, ipſi dentes ex alueolis ſuis aliquantum quaſi protruduntur.

In carie res multo plures, aër, potio, dentiſcalpium, et ipſe humor carioſus irritant et nouum doloris augmentum inferunt, eundemue revocant propter neruum oſſis denudatum.

Omnia autem mala, quae ex vehementiore dolore fieri poſſunt, hic metuenda ſunt, ſpeciatimque maxillae vel dentium caries, fistulae maxillarum, exoſtoſes & ſarcomata gingivarum (**).

*) vid. *Loeſeckii Obſeruat.* IV. p. 42. 43. tab. III. fig. 4. 5. Sed eiusmodi vermiculi a quibusdam inter figmenta referuntur, qualia ſaepe etiam eſſe non repugnamus. vid. *Foreſt. Obſerv. L. XIV.* 7. *Schol.* Cel. *Iac. Chr. Schaeffer* Tr. *von eingebildeten Würmern in Zähnen.* Regensb. 1757. 4. cf. *Boiſſier de S. Noſolog. method. T. III. Claſſ.* 7. p. 104.

**) vid. *Hippocratis Epidem. VII.* p. m. 1114. *Zacut. Luſit. Prax. admir.* L. I. 93.

§. 423.

Succurri huic tormento non vno remedio tum interno, tum externo oportet; cum eo, vt, quoad licet, ipſum congeſtionis genus ante accurate inveſtigetur, ſeliganturque remedia ipſi accommodata.

Quod ſi ergo congeſtio ſanguinea cognoſcitur, ſanguinis miſſiones, cucurbitulae, aut hirudines ad tempora malum levant. Si ſeroſa eſt, veſicatoria pone aurem, radix pyrethri maſticata, et oleum deſtillatum origani, thymi, aut caryophyllorum in dentem cauum cum bombace immiſſum.

Communia vero vtrobique remedia ſunt purgantia paulum valentia, temperantia cum grano vno laudani opiati permixta, et ſinapi cum fermento panis in bra-

chium

chium partis eius, qua dens dolet, coniectum. Saepe etiam vomitorium omnem dolorem tollit.

Praeter haec vero in omni dolore calida cataplasmata ſuper maxillam vtiliter iniiciuntur, et ore humor calidus cum medicamentis aliquibus continetur, ſaepiusque mutatur. Cuius rei cauſa flores chamomillæ Romanae et matricariae, cum ligno ſancto in aqua recte coquuntur; aut idem lignum cum foliis roſmarini, radice pyrethri atque gallis in vino mixto coquitur. Recte quoque eſſentia ligni ſancti, aut mixtura ex ſpiritus vini rectificati partibus octo, et eſſentiae croci atque theriacalis parte vna, ore detinetur.

Subitaneum levamentum, ad aliquot minuta temporis et vltra, in grauiore dolore expectandum eſt a liquore volatili et anodyno, quem ſupra ad cephalalgiam propoſui, ſi is in nares trahitur; non tam potens ac certum vero a compreſſione arteriae temporalis ope digitorum, vtrinque proxime ante aurem mediam ſitae (*); aut admoto ad dolentem dentem magnete artificiali (**); quo ipſo in nonnullis adeo dolor exacerbatur, vtique ſi mala iam intumuit.

Si vermes in dente haerent, illi optime iterata collutione oris cum aqua mellita educuntur, aut impoſito dentis cauernulae oleo ligni corylini necantur. Verum tamen, quum nulla horum certa nota eſt, expedit ſtatim ab initio doloris iſtiusmodi remedia ad experiundum adhibere, et deinde, ſi dolor iis non finitur, omittere.

Si vero exeſus dens eſt, feſtinare ad eximendum eum, niſi res coegit, non eſt neceſſe, ſed tentandum eſt prius, an exſtingui et coërceri caries queat medicamento idoneo, quale eſt oleum caryophyllorum, quod

gossypio instillatum in eius foramen coniicitur. Si hoc dolorem non levat, tum eximere eum oportet, aut ferramento candente inurere. Prius vero scire licet periculosum esse, si mala iam intumuit. Remediis, quae denti carioso vel extus applicata, vel in eius cauernam immissa eum findant, non facile fidendum est. Si dens in superiori parte a carie excauatus est, vtiliter foramen extra dolorem lamellis plumbeis repletur; quod hominem imposterum a tormento immunem praestare potest.

Haemorrhagiam ex euulso dente, quae et letifera fit aliquando (*), coërcent acetum fortius et spiritus vini rectificatus ore contenta, et, si haec non sufficiunt, linteamina carpta aluminis aut vitrioli solutione imbuta, aut spongia marina, singula in foramen coniecta, fortiusque impressa.

Abscessum denique ad maturationem deducit lac, ex quo flores sambuci et ficus cocti, sic, vt assidue fere calideque ore contineatur.

(*) vid. G. Chr. *Schelhammeri* diss. *de Odontalgia tactu sedanda*. Kilon 1701.

(**) Hanc curationem nouantiquam memorat *Petr. Borellus histor. et observ. medic. physic. Cent. VI.* 35.

(*) vid. *Hulder. Perlagi V und VI. medicinischer Iahrgang*, p. 595.

OTALGIA.

§. 424.

Otalgiam distinguo in calidam siue acutam inflammatoriam, quam supra (§. 170) iam sub Otitis nomine descripsi, et frigidam siue serosam, de qua nunc dicendum est.

Vtrius-

Vtriusque quidem causae communes sunt, et eaedem fere, quae Odontalgiam excitant (§. 422); quibus vero aliquae particulares addendae, scilicet vlcera manantia auris citra inflammationem, vermiculi in aurem ingressi, vel innati, res durae in eandem delatae, et contusio.

At frequentissime vero Otalgia eos adoritur, qui rheumatismis et catarrhalibus affectibus sunt obnoxii. Quae quidem vix vnquam periculosa, sed longa est vtplurimum. Eademque etiam facile recurrit, suasque per interualla exacerbationes habet.

In otalgia a colluuie serosa aliquando copiosa aqua ex aure effluit (*).

Cum arthriticis, rheumaticis et catarrhalibus malis frequens consensus otalgiae, vlcerumque omnium manantium obseruatur. Estque etiam magna aurium cum capite, oculis, dentibus, faucibus, et hypochondriis conspiratio. Ac in senibus otalgia saepe prodromus apoplexiae vel hemiplegiae esse consueuit.

A vermibus et aliis corporibus in aurem delatis orta otalgia non raro inflammationem, abscessum, conuulsiones cum deliriis, quin ipsam mortem inducit (**).

Pessima est, quae ex lapsu fit cum materiae saniosae effluxu; siquidem in interioribus partibus auris, ac in ipso encephalo grauem laesionem significat, qua plerique moriuntur.

(*) vid. *Eph. Nat. Cur. dec. I. an.* 6 *obs.* 12. *Plateri Observ. L. III.* p. 735.

(**) *Eph. Nat. Cur. dec. II. an.* 2. *obs.* 39.

§. 425.

Ex catarrho, materia arthritica, et qualicumque alia ſeroſa enata otalgia interdum celeriter leuatur oleo oliuarum et lacte inter ſe mixtis, calideque in aurem inſtillatis, ſuper lana molli addita, quae humorem intus contineat. Idque remedium per interualla repetendum. Alias, praeter regimen calidum, diſcutientia, diaphoretica, purgantia, et niſi haec ſufficiant, cantharides pone aures et affixae cucurbitulae requiruntur.

Inter diſcutientia autem ſuffitus eminet ex foliis rutae, ſalviae, gummi hacamaliaca, anime, maſtiche, ſuccino et olibano.

Pro diaphoretico egregie inſeruit mixtura ſimplex camphorata; et, ſi ab arthritica materia dolor eſt, etiam infuſum ex chamaedry, trifolio fibrino, radice rhei orientalis, et ligno ſaſſafras, et iuniperi baccis.

Ad purgandam aluum valet haec compoſitio pilularum, quae habet maſſae pilularum de ſuccino Cratois ſcrupulum, reſinae ialappae grana tria, mercurii dulcis grana quatuor, trochiſcorum alhandal grana duo; ex quibus cum eſſentia caſtorei pilulae quindecim aut viginti ſiunt; aut puluis ex cremoris tartari drachma vna, antimonii diaphoretici, radicis ialappae, ſingulorum dimidia; qui in quatuor partes aequales diuiſus per bihorium datur.

§. 426.

Vlcera glandularum auris ſebacearum manantia, niſi dolorem vel auditus grauitatem inducant, tutius omnino relinquuntur, quam conſolidantur, quum per hanc excretionem corpora bene repurgentur, et dum

ſponte

ſponte aliquando haec excretio ceſſat, protinus laedantur, ſic, vt inprimis aurium, dentium, capitiſue dolores aut parotidum tumores inde ſuccreſcant, et tamdiu torqueant, donec aures iterum hunorem dimiſerint. Vbi vero alia mala cum iſtis coniuncta ſunt, tunc frequens vſus decocti ligni guaiaci, interpoſitis laxantibus, veſicatoriis, et in adultis etiam cucurbitulis, indicatur, recteque etiam moſchus intra bombacem in aurem datur, quo malus odor ſimul corrigitur. Si nimis ulcera ſordent, et cruor quoque apparet, liquor balſamicus, quem ſupra poſui (§. 173) infundi debet: Sique ſuper vlcera caro increuit, eaque mali odoris, et ſanguinem fundit, eidem vngentum aegyptiacum admiſceri.

In vetuſtis vlceribus aliquando generantur vermes: (*) qui, ſi iuxta ſunt, protrahendi ſunt hamulo paululum recuruato; ſi longius, medicamentis enecandi. Ad id autem proficit radix ellebori albi cum aceto contrita, aut allii ſuccus, aut vinum, in quo marrubium decoctum, quo aures eluuntur. Sic emortui vermes in primam auris partem prolabuntur, unde facillime educi poſſunt.

(*) *Galen. de loc. affect. IV.* 40. *Aetius Tetrab. II. Serm. II. c.* 85. *Valeſcus de Taranta* in febre acuta generatos quoque vidit, *Philon. pharmac. L. IV. c.* 30.

§. 427.

Si pulex, aliudue animal in aurem incidit, ſpecillum lana inuolutum in therebinthinam demittendum, idque in aurem iniiciendum, ibique, vt et comprehendat, et eximat, vertendum eſt. Si non eſt ſecutum, neue attingi poteſt ſpecillo, medicamento enecandum eſt. Cuius rei cauſa acetum lithargyrii, ſyrupum communem, aut aliquod ex oleis expreſſis oliuarum, amygdalarum

dalarum tum dulcium tum amararum, itemque nucleorum persicorum, aut ex coctis absinthii vel colocynthidis, in quibus ante quoque non nihil camphorae solutum, ad aliquot guttas in aurem instillatur.

Sin aliquid exanime est, hamulo recurvato protrahendum est, aut, si hoc nihil proficit, resina eodem modo, ac ante praeceptum. Quod si vero iam nimis vehemens dolor ab isto excitatur, sub ipsius impetu extractionem moliri haud oportet, quandoquidem inde increscit dolor, et meatus auditorius magis constringitur; sed instillandum est in aurem oleum ex amygdalis, quod relaxet membranas tensas et dolorem mitiget, tumque sternutamenta admouenda, naribus et ore obturatis; quo id commode eliditur.

Quum hae res, vt aliquando fieri solet, inflammationem et abscessum excitarunt; cum ipso pure sponte postea, sed interdum post plures menses demum, immo annos, prolabuntur. Quin etiam germinatio seminum in aure diu latentium a quibusdam autoribus animadversa fuit (*).

(*) *Donat. hist. med. mirab. II.* 12. *Borelli observ. med. phys. Cent. I.* 10.

§. 428.

Si denique a contusione dolor est, sanguis mittendus est ad inhibendam inflammationem, et cataplasma ex floribus sambuci, chamomillae, farina seminis foenugraeci et oleo chamomillae cocto, quibus vitellus oui et albumen fortiter agitata adiiciantur, super aurem imponendum. Quibus si non sedetur, hyosciami folia addenda. Dolorem etiam tollit particula thuris in lacte cocta, hocque frequenter calideque in aurem instillatum.

DEGLV-

DEGLVTITIO IMPEDITA.

§. 429.

Impeditae deglutitionis nomine primo illud vitium miserabile mihi significatur, vbi deglutitis rebus descensus in ventriculum denegatus est, sic, vt in oesophago alicubi, dato obice obhaerescant, atque non nisi magna vi ac molestia in ventriculum depellantur.

Eius autem obseruatio haec est: Homo inter initia leue quoddam impedimentum in transitu ciborum solidorum per gulam experitur, quod increscendo sensim dolorificum descensum reddit. Idque impedimentum alius in superiori gulae parte, alius in media aut inferiore sentit. Procedente morbo nec molliori cibo, nec potioni transitus absque dolore conceditur. Sunt vero etiam, qui cibum facile, potionem contra difficillime transmittant. Ipse ventriculus tam in vacuitate, quam repletione, dolore afficitur, magis tamen in hac, quam in illa. Non paucis, maxime ieiunis, insipida lympha ex oesophago in os adscendit. Sub deglutitione cunctis magna vis flatuum eructatur; qui, si non sequuntur, insignis anxietas oritur. Malum equidem non omni tempore aeque graue est, sed leuiora interualla in permultis habet; sic vt finitum illud fere credat aeger; quod tamen vix paucis diebus elapsis denuo recrudescit. Corpus autem sub eo emarcescit, et loco tenuioris lymphae spissior demum pituita sub deglutitione reiicitur; eaque ipsa sub maximo incremento morbi quam difficillime, ac non nisi erecta, varieque contorta ac incuruata ceruice obiri potest. Morbus diu hominem excruciat per plures menses et annos, antequam supremum diem obeat.

§. 429.

§. 429.

At non prius is morbus a medentibus plerumque cognoscitur, quam profundas radices egerit; si quidem initio aliorum morborum, spasini, doloris, et inflationis ventriculi, aut ipsius imbecillitatis, quam bilis aut pituitae colluuies peperit, specie imponere consueuit.

Ipsaeque adeo causae eius tam absconditae sunt profecto, vt nisi foris in collo tumor conspicuus sit, a) post mortem demum lustrato cadauere patescant, licet interdum coniectura ex parte detegantur. Sunt enim glandulosarum, membranacearumue partium, tam singularum, quam complurium simul tumores, scirrhi, indurationes, modo glandulam thyreoideam, modo tracheam, gulam, glandulas dorsales, ventriculum, eiusque inprimis superius orificium, aut pancreas, aliasue adiacentes partes, immo ipsos pulmones occupantes; quae diuturnum istum et funestum morbum producunt, comprimendo, coarctando, vel occludendo prorsus oesophagi aut ventriculi vel utriusque et ipsius tracheae cauum (*). Ex quo insanabilem eum esse, simul liquido apparet.

Vt adeo incassum hic omnis generis resoluentia, sapones, salia, resinas, acidulas et ipsam salivationem (**) adhiberi, iam satis constet. Atque quamuis haec omnia tuto exhibeantur; a purgantibus tamen, et carminatiuis, ad quae plerumque tum ipsi aegri, tum medentes confugiunt, quam maxime cauendum est, vtpote quae irritando et augendo malum summe inimica esse, obseruationes haud semel comprobarunt (***). Contra vero hydromel, hydrogala, lac ebutyratum aliaque huius farinae aegris, licet non sanando eos, sed reficiendo duntaxat, conueniunt.

a) vid.

a) vid. *Tulpii L.* I. *Obſerv. cap.* 44. 45.

(*) Eiusmodi vitia animadverſa ab autoribus legas in *Boneti Sepulchr. anat. T. II. L. III. Sect. IV. Obſ.* 2. 4. 8. 9. 15. 21. 22. *Rhodii obſerv. Cent. II.* 47. 48. *Eſſays of Edinb.* T. II. 24 III. 27. *Diemerbroek anatom.* L. I. c. 8. p. 23. *de Haen* diſſ. *de deglutitione vel deglutitorum in cauum ventriculi deſcenſu impeditis.* Hag. Com. 1750 8. *Trilleri* diſſ. ſupra iam allegata *de fame letali ex calloſa oris ventriculi anguſtia.*

(**) Hanc quidem ſemel profeciſſe, *Ruyſchius* teſtatur *Adverſar. anat. Dec. I.* §. 10.

(***) Pituitoſos tamen hic excipias tumores; qualem purgantibus et aſſiduis gargariſationibus diſcuſſum *Tulpius* memorat l. c. cap. 45.

§. 430.

Subinde tamen et leuior quædam cauſa, et quae curationem adhuc perſaepe recipit, impeditam infert deglutitionem, ſpaſmodica, puta, oeſophagi conſtrictio a cruditate, excandeſcentia, moeſtitia, refrigeratione calentis corporis, dyſcraſia humorum, adſumtis acribus, neruoſi generis ſpaſmadico quodam affectu, vermibus ventriculum aut inteſtinum rodentibus, et febribus acutis per metaſtaſin ſuſcitata, tametſi diu aliquando hominem excruciare poteſt.

Isque oeſophagi ſpaſmus mox pharyngem, mox inferiorem dantaxat partem, mox totum canalem occupat; ſaepeque per intervalla affligit, neque raro in conuulſiones terminatur. Iamque etiam ex dictis patet, vel idiopathicum vel ſympathicum illum eſſe conſueuiſſe.

Omnes autem oeſophagi ſpaſmi, quacunque in regione contingant, hoc inter ſe commune habent, quod extre-

extremorum refrigerationes, artuum tremores, flatuum ad ſuperiora regurgitationes, murmura, dolores, praecordiorum anxietates, ventris adſtrictiones, vomendi conatus, cardialgiae, vrinae tenues praeſto ſint.

Propria autem ſigna ſpaſmorum pharyngis ſunt haec: deglutitio difficilis ac dolorifica, vel plane nulla, ſenſatio pali faucibus infixi, priuatio vocis, et rigida linguae, laryngis, ac totius colli conſtrictio, dolor, et impeditus motus.

Signa autem propria ſpaſmorum gulae inferioris haec obſeruantur: alimentorum libere deglutitorum percepta quaedam in ipſo gulae tubo, maxime circa ſuperius ventriculi orificium, ſubſiſtentia, dolor inter ſcapulas ſub eorundem deſcenſu, interdumque ructuum moleſta expluſio, vomitus, et muci per os eructatio. Quae ſymptomata, ſi cum iis concurrant, quae ſuperiore periodo allegavi, totum oeſophagum ſpaſmo conſtrictum eſſe teſtantur.

vid. *Frid. Hoffmanni* diſſ. de *morbis oeſophagi*, Hal. 1722. et *Med. rat. Syſtem.* T. IV. P. III. Sect. II. cap. V.

§. 432.

Ad iſtum vero morbum tollendum externa aeque ac interna antiſpaſmodica et anodyna, cum diſcutientibus, requiruntur.

Ex internis proſunt pulueres, qui habent pulueris Marchionis, nitri antimoniati, ſingulorum drachmam vnam, camphorae grana ſex, extracti croci grana quatuor, olei diſtillati chamomillae guttam vnam; qui in quatuor partes aequales diuiſi omni quadrihorio exhibentur: aut mixtura ex liquoris cornu cerui ſuccinati drachmis duabus, anodyni mineralis Hoffmanni et eſſentiae caſtorei, ſingulorum vna, eodem tempore ad quadraginta guttas

guttas data: itemque pilulae, quae ex extracti millefolii, chamomillae, ſingulorum drachma una, croci, pulueris caſtorei, ſingulorum ſcrupulo dimidio, mithridatii drachma dimidia, oleique diſtillati maceris aut menthae guttis quatuor compoſitae, pondere decem vel quindecim granorum veſperi ſumuntur. Praeterea vero eximie conferunt pulueres ex nitro et camphora, mixtura ſimplex camphorata, ſpiritus bezoarticus Boſſii cum liquore anodyno Hoffmanni, aut is cum oleo diſtillato chamomillae, maceris, abſinthii, citri, et oleum bezoarticum Wedelii.

Externe in vſum vocari poteſt liquor, qui conſtat ex aquae anhaltinae unciis tribus, eſſentiae caſtorei drachmis tribus, axungiae eiusdem drachma una et camphorae dimidia; quo aliquoties de die tum dorſi ſpina tum regio epigaſtrica perfricatur: aut balſamum vitae Hoffmanni cum liquore anodyno remixtum, quod inprimis vrgente morbi impetu inſeruit, etiam, quum ſaccharo inſtillatum ore continetur: aut theriaca ſub lingua detenta, acceſſionis tempore. Nec clyſteres ex anodynis ac emollientibus parati negligendi ſunt. Quemadmodum nec fructu deſtituitur veſica bouilla, decocto emolliente calido plena et affecto loco admota.

Quod ſi ab acribus ortus eſt morbus, lac et oleoſa proſunt. Sin ab ira, purgantia et emetica, a quibus vero alias ſumma exacerbatio metuenda.

Lactei vero et nutrientes clyſteres infundendi ſunt, ſi ſpaſmus totum oeſophagum occupat, isque nihil alimentorum transmittit.

§. 432.

Sed a ſpaſmis pharyngis merito diſtinguenda ipſius atonia et paralyſis (*) quae nunc tertio loco inter notabiliores

biliores caussas impeditae deglutitionis numeranda venit.

Nullus tumor, nullus dolor, nec vlla angustia aegrum vrget: potentia vero deglutiendi illi deest, eo, quod vel musculi deglutitionis vel totus oesophagus pertinaciter resolutus est. Huic cibi, et potus, et saliua ex ore profluunt. Interdum vero solida liberius, saltem in maioribus offis transmittuntur, minime vero liquida, nisi pariter magna quantitate adsumta subitissimeque deglutita.

Morbus nunc ex alio succrescit, nunc autem per se et ex improuiso nascitur, et vel acutus vel longus esse consuevit, inque posteriori casu mortem ex inexpugnabili fame, huicque adiuncta tabe plerumque inducit, in priori multo magis letiferus. Nec vtrobique tamen efficaciora remedia haud adferenda sunt; inter quae praecipuum assidua gargarisatio ex decocto saluiae, thymi, maioranae, similiumve stirpium spirituosarum vinoso, aut aqua vitae, in qua thymus macerata. Ad haec vires tueri oportet iurulentis beneficio clysteris per aluum frequenter infusis. In extremo casu expedit cibos ante ab aegro masticatos et linguae ope ad fauces delatos osse balaenae flexili, cuius apici spongia affixa, vlterius in gulam protrudere; aut nutrientes succos ope fistulae praelongae in oesophagum demissae ex annexa vesica per os infundere. Quidam aegri, imperante necessitate, commansos cibos digitis suis vi intrudere didicerunt.

*) Hunc morbum adnotarunt *Marc. Donatus Med. hist. mirab.* L. III. *Tulpius* L. I. 42. *Salmuth Cent. III. obs.* 16. *P. Sal. Diuersus annot. in Avicenn.* L. III. Feu. 13. Tr. I. cap. 1. *Willis Pharmaceut. ration.* P. I. Sect. I. c. 2. *Stalpart van der Wiel Cent. II. obs.* 27. *van Swieten T. II. Comment. in Boerh.* §. 818.

§. 818. p. 702. *van der Sterre prax. med. chir. obſ.* 8. *Platerus obſervat.* L. I. p. 213.

§. 433.

Ceterum impedire etiam, quamuis rariſſime, luxatio appendicum oſſis hyoidis deglutitionem poteſt: eaque a violenta muſculorum hyopharyngeorum diſtentione ſub maioris atque craſſioris boli deglutitione producitur: Hac itaque cauſa in ſuſpicionem incurrente, apta oſſis hyoidis, ope digitorum, contrectatio, eaque ſola aliquoties repetita illico malum tollit.

vid. *Ant. Mar. Valſalua* Tr. *de aure hum.* Cap. II.

SODA.

§. 434.

Quem Soda vexat, ei videtur halitus vrens e ventriculo ad fauces adſcendere, ardorem, anxietatem, ſitim, anorexiam, faſtidium et ructum ſive acidum ſive nidoroſum amarum, ac tenuioris lymphae exſpuitionem, interdumque etiam vomitionem creans, cum leui oeſophagi adſtrictione.

§. 435.

Corrupti in ventriculo cibi farinoſi, pingues et oleoſi, et bilis poſt excandeſcentiam illuc delata, frequentiores eius cauſae ſunt: deinde vero plethora, paſſio hypochondriaca, haemorrhoidalis, grauiditas eam ingenerant. Aliis a vino aut eius quodam genere aliove minus familiari potu oritur. Aliis ſine manifeſta cauſa accedit et ſaepe redit, quin conſtanter moleſta eſt *): tum vero chronicum morbum fere praenunciat. Cum arthriticis et rheumaticis affectibus interdum quo-

que alternare consueuit. Rarissime per circuitus recurrit **).

*) vid. *Rosin. Lentilii Iatrorunem* P. I. cap. 44.
**) *Act. Nat. Cur. Cent.* 7 *et* 8. p. 266.

§. 436.

Vt autem nec vna causa, nec vna humorum ventriculi corruptio id malum infert; ita diuersa remedia omnino adhibenda sunt.

Multos iuvat prunellae lapis a dimidio scrupulo ad drachmam dimidiam ex aqua sumtus. Aliis contra is ardorem intendit; quibus vero tartari cremor eodem pondere devoratus auxiliatur. Aliis prosunt passulae Corinthiacae aut siliqua dulcis ad vnciam comesa. Sed euporiston fere est taleolus pomi citrei, lapidum cancrorum puluere consperfus et deuoratus.

In soda rancida et biliosa elixir vitrioli Mynsichti vtile est: in acida vero morsuli contra ardorem stomachi officinales ad dimidiam vnciam devorati, aut species diacretae Mynsichti ad drachmam dimidiam, vel oleum tartari per deliquium ad viginti guttas et vltra ex dimidia aquae patella sumtum. Si morbus a congestione sanguinis versus stomachum et plethora, sanguinis missio imprimis conducit.

Vrgente nausea, emeticum blandum non inutile est.

Grauidarum soda omnium difficilalime dispellitur.

In chronica affectione alvum ducentibus crebrius vtendum. Nec acidulae tum negligendae sunt.

CAR-

CARDIALGIA.

§. 437.

Ventriculi dolor atrox compreſſorius et conſtrictorius Cardialgiam efficit; qui pro diverſitate cauſae modo brevis, vel longus, atque etiam periodicus, modo acutus et letalis eſſe conſuevit, ac ſimul anxietates praecordiorum, reſpirationem difficilem, dolores dorſi, eructationes, nauſeam atque vomitum, ſi quidem levior eſt, inducit; ſin autem grauior, ſudores frigidos, extremorum algores, rigores, conuulſiones, ſyncopen, ipſiusque ventriculi inflammationem.

§. 438.

Frequentiſſima cauſa eſt materia bilioſa, acris, cruda, acida, viſcida, rancida; quae vt ſua ſponte vomitum citat cum levamine doloris, ita et emeticam medicinam, vel purgantem ſaltem requirit. Quae ſi nihil efficit, tum oleum Kaieput vel cardamomi ad guttas quatuor vel ſex cum ſaccharo, cui tritura admixtum, vtiliter exhibetur; extus vero linimentum ex oleo nucis moſchatae expreſſo, theriaca Andromachi, balſamo Peruviano, puluere caſtorei et croci, atque oleis citri et caryophyllorum; aut ſacculi ex mentha, floribus chamomillae Romanae, baccis lauri, Semine carui et myriſtica nuce, incocti vino et expreſſi applicari poſſunt.

Alia cauſa haud infrequens eſt ingluvies et frigidae potus. Iterum vero ab illa ortum morbum mox tollit emeticum; ab hoc vero calefaciens medicina, qualis eſt mixtura ſimplex cum infuſo meliſſae data, vel oleum Kaieput.

Non vero a vermibus inteſtinalibus in ventriculum delatis, ſi mordent illum atque lacerant, immanis cardialgia

dialgia ſummeque acuta excitatur*). Quorum ſi ſuſpicio naſcitur, quam quidem ſubitaneus doloris ortus cum gravioribus ſymptomatibus ſubminiſtrare poteſt, valentioribus anthelminticis protinus ſuccurrendum eſt. Similiter hirudines et ſerpentes, in ventriculum per os delati, dum mordent ipſius fibras, acutiſſimam cardialgiam citant. Haec vero animalcula liberalior aquae ſalſae potus confeſtim enecare non minus, quam excutere potis eſt. Scarabaei ſi fuerint, vel aliud inſectorum genus, haec vomitu optime exturbantur tum artificiali, tum ſpontaneo.

Alia cauſa eſt ex congeſtione ſanguinis in corpore accumulati et ad ventriculum delati; quae ſanguinis miſſionem inprimis requirit: alia ex conſenſu in menſtruantibus, chloroſi laborantibus, hyſterica paſſione, atque bilis et renum calculis per ſuos ductus tranſituris.

Denique et materia arthritica, podagrica, melancholica, febrilis regreſſu ſuo ſiue ſpontaneo ſiue coacto, nec non diarrhoea ac dyſenteria ſuppreſſa, parotides retropulſae, purgantia ac emetica fortiora, venena, ſcirrhus ventriculi et inflammatio cardialgiam inferunt: de quarum vero cauſarum remotione alibi dicendi locus erit.

*) Letiferam annotarunt *I. Franc. Scardona Aphor. de cognoſc. et curand. morb.* L. III. p. 74. et *L. Heiſterus* in *medic. Wahrnehm.* p. 614.

INFLATIO VENTRICVLI.

§. 439.

Cardialgiae niſi ſpecies, tamen maxime ipſi affinis eſt ſtomachi inflatio, ſiquidem in hac etiam dolor hunc ipſum

ipſum exercet, ſed grauatiuus cum inani flatuum eructatione, vtpote qui in ipſius capacitate coarctati totius affectionis cauſa ſunt, nimiopereque ventriculum non modo diſtendunt, ſed etiam extus in tumorem attollunt, contactu atque preſſu magis dolentem, et ſubinde etiam licet rariſſime, palpitantem. Dolor ſaepe etiam in reliquum ventrem, dorſum et pectus progreditur. Multisque caput dolet et ceruix riget. Et flatus, qui per aluum exire conſueuerunt, retinentur. Frequentiſſimeque cardialgia et anorexia ſimul praeſto eſt.

Affectus modo temporarius, modo chronicus incrementum lentum capit, ſed diuturnitate increſcit, adeo, vt ſuffocationis metum facere, quid quod cartilaginem enſiformem ex ſua ſede movere demum poſſit *) ipſumque ventriculum ad rupturam deducere **).

Omnis potus calidus, omnisque cibus aſſumtus ipſum exaſperant. Et ſunt etiam quaedam eius genera, velut piſa, lentes, fabae cibi farinoſi, pulticulae, lac, ſarcimina recentia a cruore cognomen adepta, ova butyro frixa aut indurata, raphanus, cepae avena excorticata, quae languente ſtomacho, eundem inducunt vel facile reuocant, aut intendunt.

Quidquid praeterea languorem ventriculo conciliare valet, illud generandae inflationi anſam dat. Quam quidem potentiam maxime excandeſcentia et terror, praeſertim inter epulas vel breui poſt conceptus, et luctus grauis, itemque ingluuies, plethora indeque facta ſanguinis ad ventriculum congeſtio, meditatio, materiae morboſae in corpore relictae decubitus, et ſubitaneus tranſitus ex calido ſuetoque victu in frigidum, facillime exercent. Interdum autem in ſtomacho imbecillitas longa per homnis aetatem eſt; eaque vix ſuperabilem

perabilem inflationem creat. Sed pessima tamen est, quae cum alio morbo longo et cachectico copulata.

*) *Pechlin. Obs. L. I. 57.*
**) *Misc. Nat. Cur. Cent. Vet. VI. Obs.* 43.

§. 440.

Aduersus inflationem ab ingestis magnae efficaciae est essentia carminatiua Wedelii ad drachmam cum aequali portione essentiae theriacalis ex aqua, cereuisia aut vino hausta: quo intra dimidiam horam vel integram finitur dolor, deuolutis ad sensum quasi flatibus e stomacho ad inferiora, magnoque impetu per anum displosis. Nonnulli patresfamilias elixir quoddam sub nomine Pest-oder Hauselixir sibi parant, quod etiam valde laudandum habeo, si ad cochlear plenum hauriatur. Id enim momento fere inflationem, quae non chronica est, dispellit.

Enimvero in chronico morbo remedia ista haud sufficiunt; sed fortioribus contrahentibus et stomachicis opus est. Cuius rei causa eximie prosunt pulueres ex salis Anglicani scrupulis duobus et vitrioli martis totidem granis parati, quorum vnus vel duo quotidie deuorantur; aut, quod virtute adhuc superius, oleum vitrioli ad guttas duas bis vel ter in die ex dimidia patella vini haustum. Interdum longus vsus infusi vinosi ex thymo, floribus chamomillae, radice leuistici, galangae et semine ammeos ad cyathum quotidie epotum opem fert; multoque magis, si fomenta ex pulegio et cumini semine cum aceto facta super ventriculum iniiciuntur. Praeterea vero curiosior obseruatio in victu, et equitatio maxime necessaria est. Purgantia clementiora per interualla dare expedit, et, si necessitas postulat, etiam emeticum. Vinum meracum, at non multum, per omnem cibum confert.

Si

Si ventriculi imbecillitas a congeſtione ſanguinis producitur; eiusmodi remedia ſeligenda ſunt, quae tum eius copiam in corpore imminuant, tum naturalem fluxum reſtituant.

Nimium turgens ventriculus ſuperimpoſito emplaſtro ſtomachico, atque faſcia, infirmitatem eius adiuvante, perpetuo continendus eſt.

Ab opiatis vbique abſtinendum, licet dolor iſta poſtulare videatur. Inimica enim ſunt languenti ventriculo, ipſiusque imbecillitatem intendunt.

DOLOR COLICVS.

§. 441.

A ventriculi dolore tranſitus fit ad illum, qui inteſtina exercet, atque colicus appellatur. Cuius vero cauſae non ſolum, ſed etiam effectus ac modi tam diuerſi ſunt, vt in varia genera diſpeſci debeat; de quibus protinus ſigillatim nunc exponam.

§. 442.

Primum genus eſt a flatibus, indeque facta dolorifica inteſtinorum expanſione: quapropter *colica flatulenta* appellatur. Aer in ventre murmurante et plus minus diſtento arcte concluſus ex ſpaſmo, vel in vno loco aut pluribus inteſtinalem tubum obſidente, nec ab ore, nec ab aluo erumpit. Alvus hinc etiam adſtricta eſt, ſimulque reſpirandi difficultas, anxietas, inquietudo, extremorum algor, cardialgia, ſitis, et inanis vomendi conatus cum rara eructatione praeſto eſt: haecque pathemata tam diu durant, quoad vomitus contigerit, et aer ſurſum infraque explodatur. Dolor

 modo

modo fixus, modo inſtabilis et vagus eſt. In vehementi malo diſtentio ventris ſaepe tanta eſt, vt nec tactum aeger perferre poſſit, ſaltem non in omni eius parte. Inteſtina tum quoque aliquando e ſua ſede propelluntur, et herniam alicubi faciunt. Facile redit is dolor, et demum ſaepe tumores inaequales, duros, diuque permanentes, in colo, ac ſiniſtro inprimis hypochondrio, relinquit. Lipothymia et icterus in ſummo eius gradu accedunt; in quo etiam ilei metus imminet.

§. 443.

Alius dolor magis a ſpaſmo eſt, quam a flatibus; ſub eoque abdomen vehementer contrahitur, alvusque prae vehementi conſtrictione nec clyſterem recipit. Dolor autem in lumbis praeſertim excercet, artus algent, pulſus durus et contractus eſt, anxietas magna praeſto eſt, et animus ſaepe deficit. Prout vero is dolor a diuerſis cauſis oritur, ſic varia diſcrimina admittit, indeque diuerſa congnomina obtinet.

Prima ſpecies *colica ſanguinea* dicitur, quandoquidem a ſanguine intra inteſtinorum tunicas congeſto producitur. Iam vero modo *haemorrhoidalis*, modo *hyſterica*, modo *lochialis* cognominari ſolet, prout vel ab haemorrhoidum fluxu cohibito aut deficiente, vel a menſium aut lochiorum vitio excitatur.

Altera ſpecies *bilioſa* audit, cuius effectrix bilis acris eſt, in duodeno potiſſimum copioſius collecta. Dolor in ea vehementiſſimus eſt, et vellicans, et pungitiuus, vnicamque fere regionem ad dorſum, in dextro plerumque latere occupat, ſimulque vehementem ſitim, febriculam, nauſeam, bilis porraceae aut flauae vomitum ac deiectionem producit; qua ipſa excretione

ne morbus ſenſim imminuitur, et tandem prorſus finitur. Sub ineluctabili ſymptomatum vi iliaca paſſio demum producitur. Is autem morbus frequentiſſime a vehementiore via, crapula, ingluvie et ſub fervida aeſtate naſcitur, vbi plures etiam ſimul invadere conſueuit: deinde quoque ab humore atrabilario, febriumque imperfecta criſi ſolutarum vel non bene curatarum reliquiis.

Tertiam ſpeciem *rheumaticum* appello, quam potus nimis frigidus et qualiscunque vehemens corporis refrigeratio in rheumaticis ſubiectis, et aliis corporibus inducit.

Quarta dicitur *conuulſiua*, quae omnium atrociſſima; ſiquidem ventris lancinationem, ac ſi terebra perforetur, vmbilici fere ad vertebras vsque reuulſionem, cum aliis ſaeuis ſymptomatibus inducit, neque raro in letalem voluulum aut inflammationem vel primo iam die terminatur. Atque haec colica affectio ſaepenumero a vermibus, inteſtinorum aut ventriculi parietes perforantibus, efficitur *). Obſeruatur etiam in podagra, arthritide, quando humor morboſus qualicunque de cauſa ad ventriculum aut inteſtinalem tubum deriuatur. Denique in his, qui mineras plumbi tractant, ſuboritur; tumque *colica ſaturnina* appellatur. Habet tamen ea tam multas peculiares adfectiones, vt omnino ſeorſim conſiderari mereatur.

*) vid. *Heiſteri medicin. Wahrnehm. p.* 614.

§. 444.

Eſt ergo Colica Saturnina primo his familiaris, qui plumbi mineras effodiunt, qui viliores a praeſtantioribus ſeparant, qui ſingulas fundunt, qui plumbum ab argento ſeparant, qui lithargyrium rurſus

ſus in plumbum conuertunt, aut ſaltem ad vendendum ponderant. Illi contra metallurgi, qui plumbum vrunt, (Silberbrenner) ab hoc malo immunes manent.

Eadem affectio his familiariter accidit, qui pigmenta ex plumbo eiusque calcibus praeparant; itemque pictoribus, qui haec tractant, et figulis, qui vaſa terrea ſaturni vitro obducunt. Producitur etiam a vino lithargyrio aut cerusſa mangonizato, plus minus acuta aut longa; a vaſis culinae cupreis, nullo ſtanno aut impuriore obductis; nec non a terreis figulinis, ſaturni vitro obductis; ab aquis cerusſa impraegnatis; a plumbi puluere adſumto; et ab improuido ſacchari ſaturni ac tincturae antiphtiſicae Grammanni vſu. At, ſi qui ſunt, qui etiam ab antimonio affectionem iſtam produci aſſerunt, hi certe a vero mihi aberrare prorſus videntur *).

*) Condonandus equidem is error facillime erat *Mercuriali* (*Conſultat. medic. T. III.* 136.) vtpote cuius aetate antimonium in claſſe venenorum adhuc reponebatur; licet in ſe res ipſa, quam narrat, incredibilis ſit; quod ſcilicet poſt ſex annorum intervallum aliquis paralyticus ex antimonio factus ſit. De *Tronchino* vero, qui melius longe innoxias et ſaluberrimas ſtibii virtutes noſſe debebat, aut poterat, multo magis miratio ſubit, quod ſimilem deleterium effectum eidem adſcripſerit; (*L. de colica Pictonum*, p. 29.) praeſertim cum antimonium ipſam paralyſin ſaturninam ſanaſſe obſeruatum ſit. (*Klein ration. ſelect. medic.* p. 145.)

§. 445.

Ipſe morbus autem ſic obſeruatur: Homo primum plerumque ſaepeque ex improviſo acutiſſimo dolore inteſtinorum prehenditur: aliquamdiu vero ante noctu expergiſcens ſaporem dulcem et nauſeoſum in ore percipit,

cipit, et adſtrictum ventrem habet, qui poſtea quoque perpetuus morbi comes manet, ſaepeque efficaciſſima eludit remedia. Quidquid vero tum vel ſponte vel arte redditur, illud ſiccum, aduſtum gryſeum vel nigrum, et ovilli ſtercoris modo in globulos ſeparatum exiſtit, ipſoque lithargyrii puluere ſaepe obductum eſt. Venter durus atque tumidus eſt. Vrina pauca meiitur. Aeger ad haec palpitatione cordis, aſthmate, vomendi conatu, ipſaque vomitione pituitae virideſcentis, itemque cardialgia, teneſmo, vertigine et ſudore frigido corripitur. Alvique tormentis perſaepe membrorum conuulſiones et dolores et paralyſes, cum prioribus ſymptomatis alternantes, ſuperueniunt. Ipſa vero reſolutio nervorum varii generis eſt, et modo motum tantum in parte tollit, modo ſimul ſenſum, ſic tamen, vt is per intervalla cum acutiſſimis doloribus redeat. Iſtam vero nunc demum atrophia preſſo vel lento pede excipit; et nonnumquam quoque febris ſive bilioſa ſiue inflammatoria accedit, tumque aeger purulenta reiiciens, atrophicus ac emarcidus plerumque decedit; cum eo tamen, ut permulti ante mortem varii generis paſſionibus chronicis, hydrope, ictero, amauroſi conflictentur.

vid. *Sam. Stockbauſii* L. *de lithargyrii fumo noxio morbifico, eiusque metallico frequentiori morbo vulgo dicto die Hüttenkatze; cum append. de montano affectu aſthmatico, der Bergſucht.* Goslar. 1656. 12. *I. Gottfr. Henckel von der Bergſucht und Hüttenkatze.* Dresd. 1745. 8. *Io. Guil. Ilſemann* diſſ. *de colica ſaturnina metallurgorum.* Gotting. 1752.

§. 446.

Inde ab aliquot retro ſeculis non pauci medici eruditi et experti ſingularem atrociſſimae colicae ſpeciem, nunc

nunc epidemice *), nunc ſporadice **) affligentis obſervaſſe ſibi viſi ſunt; quam nouo *Colicae Pictonum* ſiue *Pictavienſis* nomine inſigniuerunt, et ſub qua partim etiam ipſam ſaturninam complexi ſunt ***). Obſeruationes vero docent, eam ſingularem ſpeciem prorſus haud efficere, ſed vel a fermenteſcentibus rebus copioſe ingeſtis produci, adoque ſpaſmodico flatulentam eſſe, vel biliosam aut rheumaticam graviorem, ſeorſim quidem vel coniunctim, quae ſimul ſaepe habitualis fit, tumque in epilepſiam aut membrorum reſolutionem atque tabem haud raro terminatur. Neque recte iſta pro noua ſpecie venditatur, quum luculenta eius mentio iam apud veteres nonnullos facta ſit ****).

*) Talem deſcripſerunt *Iac. Cabagneſius* L. *de curandis febribus*, cuius calci adiectum eſt peculiare caput de Colica Pictauienſi; Cadomi 1616. 8. *Franc. Citeſius* in *Diatr. de novo et populari apud Pictones dolore colico bilioſo*; in Opuſcul. Paris 1639. 4. In Morauia, Sileſia, maximaque inferioris Germaniae parte ea ſeculo 16. ſaeuiit, vt ex *Langii* epiſtola *de torminibus a febre relictis*, et ex literis *Cratonis* a 1582. *de paralyſi ex colica* conſtat. In Lotharingia ſaepius eam occurrere, *Car. Piſo* teſtatur *Obſerv. Lect. IV. C. II.* in Anglia pariter, *Williſius* L. *de Anim. brutor.* cap. IX. et ſpeciatim inter Damnonios omni fere autumno, *Huxhamus Opuſc. med.* T. III. p. 54. edit. Reichel. in Surinam, *Phil. Fermeri* Tr. *des malad. les plus frequentes à Surinam* 1764. Taceo eiusmodi plures epidemias, quae Abbevillae 1554. et in Piccardia 1572. graſſatae ſunt; quarum *Petr. Droetus* in *Conſil. novo de peſtilentia*, Paris 1573. 8. mentionem fecit, et quae in ducatu Sileſiaco Teſchnenſi a 1621. *Sennerto* teſte, ſaevii.

**) Quam egregii viri *Hollerius*, *Fernelius*, *Platerus*, *Crato*, *Riverius*, *Horſtius*, *Ballonius*, *Foreſtus*, aliique plures, quos nunc omitto, obſervarunt.

***) vid. *T. Tronchin de Colica Pictonum*, Genev. 1757. 8.

****) vid. *Paul. Aeginet. L. III. cap.* 43. *Conſtant. African.*

African. P. II. L. IV. c. 29. *Avicenna L. III. Fen. XVI. T.* 3. *c.* 6 *et* 7. *Haly Abbas. L. IX. c.* 8.

§. 447.

Sed vt eo clarius pateſcat aſſerti noſtri veritas de natura huius colicae affectionis, ipſius hiſtoriam nunc breuibus ſubiungemus. Morbus nunc lente, nunc repente hominem occupat cum vigiliis, deliquiis animi, ſtranguria, immo adeo iſchuria cum perpetua mingendi cupiditate, vomitu bilioſo ac pituitoſo, acutiſſimoque ventriculi, inteſtinorum, lumborum atque inguinum dolore. Venter duriſſimus eſt, et vel valde intentus vel contractus, ſimulque pertinaciſſime adſtrictus. In vehementer afflictis anus introrſum retrahitur. Dolor autem vel in determinato ventris loco conſiſtit, vel ab vno in alium tranſit. Quibusdam circa vmbilicum firmiter haeret cum ſumma ferocia. Abdomine nudato, contorqueri ac conuelli aliquid intus quaſi conſpicitur, quod ipſum tactu durum. Adſtrictus venter non niſi dura et globoſa ſtercora dimittit. Increſcente malo, humeri, mammae, totumque pectus aut crura ſaltem cum oſſe ſacro aut plantae pedum, velut aculeis punguntur, et tum colicus dolor minuitur, poſteaque perſaepe cum rheumatico alternat. Et ab hoc malum etiam interdum incipit, interdumque adeo inopinato a paralyſi, atque dein ad inteſtina transmigrat. In artuum dolore autem ſubinde copioſus ſudor erumpit, et quandoque ſimul puſtulae rubrae ardentes ex toto corpore auſpicato efflorefcunt. Praeter haec vero et paralyſes, ceſſante motu, at ſenſu ſuperſtite, indeque ſubinde dolorificae, in artibus nunc ſuperioribus, nunc inferioribus, aut aphonia incidunt. Nonnullis morbus comitialis, conuulſiones, ſpaſmus maxillae inferioris, coecitates, ſopores ac lethargi, cum letali quidem plerumque

rumque euentu, accedunt. Sic autem morbus ad plures hebdomades, quin menſes, trahitur. Idemque recurrit ſaepe, et difficillime curationem admittit. Quicunque vero ipſum ſuperant, hi diutius lecto affixi et membrorum reſolutione tentati vires paullatim recuperant.

Cf. praeter *Citeſii, Huxhami, et Tronchini* ſcripta iam allegata, Anonymi (cl. *Maſſuet*) *diſſertation ſur la Colique* in *Biblioth. raiſonn.* T. VIII. p. 30. T. IX. p. 144 et 279. cl. *Io. Grasbuys Tentamen de Colica Pictonum*, Amſtel. 1752. 8. et Ill. *de Haen. Rat. medend. P. III. cap. II.* p. 80. ſeq. *Iournal. de Medec.* par *Vandermonde*, M. Novembr. 1761. M. April. et Iul. 1764. et *Medical Tranſactions, publiſhed by a ſociety of Phyſiciens at London.* Vol. I.

§. 448.

Reſtat vnum Colicae genus, quam ſtricte et proprie *chronicam* appellare poſſis. Ea per multas hebdomades, ac menſes, quin omnem adeo vitam, maxime a paſtu, excruciat, ſic tamen, vt per intervalla remittat et exacerbetur. Producitur autem ab inteſtini praeternaturali coarctatione et anguſtia, cui colon maxime expoſitum; aut a ſcirrhoſa, calloſa aut cartilaginea ſubſtantia, in quam pars inteſtini converſa eſt; aut denique a ſcirrho extus inteſtino adnato, iſtudque comprimente.

§. 449.

Ad curationem tot diverſorum dolorum colicorum nunc progredior.

Balneum calidum ex mera aqua, vel adiecto lacte, qualemcunque dolorem colicum efficaciſſime lenit.

Vni-

Vniversim etiam mithridatium ac theriaca opitulantur.

Colicam vero *a flatibus* optime carminant cucurbitulae coecae ventri impositae, et sal catharticum. Si dolores ad hæc non cessant, quidpiam ex carminativorum genere cum anodyno dare expedit; cuiusmodi est essentia carminatiua Wedelii cum quarta parte laudani liquidi remixta. Si naturaliter corpus calet, potentius nihil sumitur quam oleum cornu cerui ad duas, tres, quatuorue guttas cum saccharo. Ad recursum impediendum, quotdianus vsus infusi florum chamomillae aut ptisanae ex anisi et foeniculi seminibus salutaris est. Tumoribus duris, siqui in ventre extuberant, vtiliter emplastrum carminativum Sylvii, aut de cicuta cum emplastro de ammoniaco superhabetur.

Colicam *sanguineam* levat venaesectio, clysmata ex aqua frigida, lintea eadem madida et ventri applicata, cucurbitulae item coecae, pulueres aliquot lenientes ex cremoris tartari scrupulo integro et florum sulphuris compositorum dimidio, quovis bihorio dati, et decoctum foliorum arnicae cum floribus; in quo etiam aliquamdiu adhuc persistendum.

In colica *biliosa* praesentaneam opem fert mixtura ex aquae distillarae menthae vnciis tribus, succi citri vncia, salis tartari drachma dimidia, et laudani liquidi guttis viginti aut eius loco theriacae scrupulis duobus; cuius pars tertia quauis hora sumitur. Postero die catharticum leniens ex manna, foliis sennae et tamarindorum pulpa exhibendum, idemque etiam iterandum, prout humoris reliquiae vel plures vel pauciores postulare videntur. Dolores ceterum anodyno levandi sunt. Si pertinacius malum, venaesectione etiam opus est, ad avertendam intestinorum inflammationem. Quodsi

vero malum ex ira ortum, protinus dari debet cochlear plenum tincturae rhabarbari orientalis, aut puluis ex rheo et cremore tartari: Sin a qualicunque cibo dyspepto aut a fructibus horaeis, paratisque inde ac non probe defaecatis vino mustoque, vnicum tartari emetici granum aqua dilutum, et deinceps anodynum. Sequenti die sanguinis missio et catharticum locum habent. Ad recursum mali auertendum, anodyni vsus sub tenui victu aliquamdiu continuandus est; et nisi haec sufficiant, equo vel curru ad roboranda intestina frequentius vehendum.

Colicam *rheumaticam* momento quasi sedat essentia castorei ad dimidiam drachmam epota, superhaustis aliquot calidae cyathis. Si rebellius est malum, intus mixtura simplex camphorata, cui laudanum liquidum ad tertiam partem admixtum, cum clysteribus oleosis, extus vero cataplasmata ventri adhiberi debent, pedibusque lateres calidi.

Colica *conuulsiua*, si *a vermibus* inducitur, id quod quidem probabiliter tantum ex subitanea ipsius accessione in homine alias sano ac in defectu aliarum causarum efficientium cognosci potest, potentissima anthelmintica, quae alibi a me notabuntur, requirit. Sin autem *materia arthriteca* aut *podagrica* in causa est, sola emollientia et demulcentia tum extus, tum intus, adiuncto prudenti Opii vsu, adferri oportet, simulque ad crura valentius epispasticum adplicari.

In colica *Saturnina* quidquid pingue est et oleosum prae ceteris confert, tum ad praeseruationem, tum vero etiam ad curationem. Metallicolis ergo, et aliis artificibus, qui noxam ab halitibus saturninis accipere possunt, lac, butyrum, omnesque pingues cibi ad quotidianum

tidianum vsum, prophylactico scopo, maxime conueniunt: In ipsa vero curatione clysteres mere oleosi, oleum amygdalarum dulcium in copia haustum, vna cum lacte affatim epoto omnem paginam absoluunt, interposito quidem per intervalla infuso mannato. Ad Paresin superandam, curato morbo primario, valent, praeter curam lacteam adhuc continuandam, ignis electricus, balneum aquae dulcis, aut quae praestant thermae sulphuratae, et linimentum neruinum, quod habet axungiam quandam officinalem, oleum nucis moschatae et hyosciami expressum, rosmarini vero distillatum, essentiam balsami Peruuiani, atque crocum; quod autem non membro laboranti, sed spinae et abdomini, vbi fons mali, illinendum. Contra artuum dolores vesicantibus, et contra amaurosin emetico vtendum est.

Colica ab *angustia intestinorum* insanabilis est. Lenimentum tamen oleum amygdalarum dulcium epotum, et clysteres oleosi promittunt.

De *colicae Pictonum* curatione nihil habeo, quod peculianiter praecipiam, quum sub aliis generibus iamiam indicatis, iisdemque omnino diuersis, contineatur. Inde vero est, quod tam insignem dissensum in Medicorum scriptis de remediis aduersus eam istorumque effectibus reperias, inprimisque de emeticis, purgantibus, emollientibus, opiatis, tonicis et sanguinis missione; quae ab aliis laudantur et commendantur, ab aliis vero, vt nociua, aut saltem inefficacia, repudiantur.

§. 450.

Mentio adhuc sigillatim facienda est dolorum ventris, quibus infantes recens nati primo vel altero mense subinde cruciantur, sic, vt diu noctuque, aut noctu

ſaltem, lamentabiles clamores continuo fere edant, pervigiles, corpuſculum ſaepe contrahant, nec contactum ferre poſſint nec commode lac ſugere. Emiſſae feces plerumque virideſcunt, et lac maternum minus bene concoctum in multis grumis caſeoſis pituitae virideſcenti admixtum conſpicitur. Complures infantes ab acerbitate doloris ilico conuulſi iugulantur.

Siue meconium corruptum, ſiue copioſior pituita et bilis acris dolorem iſtum ingenerant ſub laxo nimis ac ſimul valde ſenſibili inteſtinorum habitu. Quapropter tum evacuantibus et anodynis, tum roborantibus externis aliquamdiu ſuccurrendum. Recte itaque linctus ex pulveris radicis ireos Florentinae drachma, ialappae ſcrupulo, croci orientalis granis octo et ſyrupi de cichoreo vncia, per aliquot dies menſura vnius vel duorum minimorum cochlearium illis datur, donec feces naturalem colorem et conſiſtentiam recuperauerint. Abdomen autem per plures hebdomades lavatur vino mixto, in quo maiorana, mentha, pulegium, roſmarinus et ſimilia decocta ſunt. Dolorum atrociam praeterea cataplaſma ventri impoſitum et clyſter emolliens leniunt.

Trimeſtres vel plurium menſium infantes dolorem colicum ex fecibus nimis induratis aluoque diutius adſtricta aliquando experiuntur omnino acerbum; qui enemate oleoſo celeriter finitur, ſtercoreis globulis impetuoſe expulſis. Sed et adulti homines ſubinde huic colicae ex languore motus periſtaltici inteſtinorum patent; quam ideo recte *ſtercoream* appellabis. Hosque pariter enemata lubricantia et largus vſus olei amygdalarum dulcium a cruciatu liberant.

TENES-

TENESMVS.

§. 451.

In tenesmo frequens, laboriosa ac dolorifica desidendi cupiditas est, in qua vel nihil prorsus excernitur, vel pauca tantum pituitae mucisque similia, interdum etiam leviter subcruenta descendunt; quibus nonnunquam ex cibo recte cocta interponuntur. Anus sub eo interdum etiam procidit.

§. 452.

Id malum raro per se hominem exercet, nec nisi post longam ventriculi inflationem, sub ingruente malo corporis habitu, accedit. Multo frequentius contra plurium morborum, inprimis dysenteriae, deinde inflammationis vesicae, intestini recti, vesicularum seminalium, lithiasis vesicae, stranguriae, dysuriae et ischuriae tamquam ymptoma supervenit; nec non denique a scybalis durioribus, a moliminibus haemorrhoidalibus, a turgentibus intus in intestino haemorrhoidalibus vasis, a valentioribus catharticis, praesertim colocynthide, ab ascaridibus cum vehementi pruritu, et ab ulcere inter vesicam ac intestinum rectum producitur.

§. 453.

Interim dolor iste vix unquam per se iugulat, nisi in dysenteria, si quis multum aetate processit. Periculosius saepe inanis desidendi conatus mulieres grauidas propter varices ani internas cum molesto sensu quasi nuclei in anum intrusi prehendit, ipsumque partum elidit; quod in India inprimis ac Lusitania frequenter incidit, vt etiam foeminae facile vitam ex hoc perdant *). At minus periculi illa alvi difficultas

in

in his habet, quae ab incremento foetus duntaxat excitatur.

*) vid. *Bontius de medic. Indor.* p. 68. et *Piso L. de medic. Brasil.* p. 28.

§. 454.

Fotus ex farina ſeminis lini, foenugraeci, et floribus verbaſci, calide ſaepeque ad anum admiſſus citiſſimam opem in omni fere teneſmo adfert.

In *dyſenterico* autem diascordium, aut theriaca ex lacte, aut decoctum ſeminis foenugraeci vel capitum papaveris albi cum euphoria per clyſterem in alvum iniicitur. Et balneum aquae calidae iſtum quoque lenit.

Teneſmus *haemorrhoidalis* a ſanguinis miſſione, lenioribus catharticis et fotu ſupra memorato levatur.

Ille vero ab *aſcaridibus* oleo rutae et vnguento mercuriali per clyſterem in anum immiſſis et anthelminticis ſedatur.

LITHIASIS
RENVM AC VESICAE VRINARIAE.

§. 455.

In omni parte quidem corporis humani, quin et interdum in pluribus ſimul, calculus generari ſolet; nullibi tamen frequentius, quam in renibus et veſica, adeo, vt nulla aetas et nullus ſexus ab hoc immunis ſit, quid quod exempla congenitorum vtrobique proſtent. Naſcitur vero vterque ex haereditatis iure et congenita renum imbecillitate, ex veſicae atque renum inflam-

inflammatione, vlcere, violentiori contusione, qualicunque sanguinis intra has partes effusione, materiae arthriticae, podagricae atque tartareae dentium translocatione, copioso liquorum spirituosorum vel infusorum Theae calidorum potu, denique praeternaturali humoris lactei, viscidique in his partibus secretione; cuius magnam vim dissectores aliquando in renibus nimis laxis repererunt, vna cum ipsis calculis in eodem haerentibus, indeque ex ipsius condensatione generatis.

§. 456.

Sunt, qui ad calculi in rene vesicaque generationem praegressam quandam vasculorum sanguiferorum in his partibus laesionem, sanguinisque thrombum quendam, aut particulam sanguinis vel puris exsiccatam, tamquam basin quamdam requirunt, ad quam tartareae partes ex lotio alluente paullatim praecipitentur. Id autem quamuis omnino incidere sic aliquando consueuit; ex eo tamen non omnem lithiasin derivare licet, propterea, quod primum sine vlla eiusmodi laesione atque constitutione non paucis hominibus tam in renibus, quam in aliis partibus calculi nascuntur; deinde, quod vrinae vesica interdum ex toto lapidea crusta obducta reperitur; tum, quod calculosi per intervalla tantum tormenta sua patiuntur, ac interposito tempore bene valent; porro vero vrina sub quiete ac putredine materiem calculosam deponit; et renes in calculosis admodum flaccidi existunt, calculique etiam extus saepe post mortem viscoso humore obducti conspiciuntur, vel ipsi huic liquido inhaerent; non nullis etiam, quibus tartarus ad dentes copiose concrescit, lithiasis tum finitur; denique vero calculosi saepissime limosum atque viscidum humorem e vesica excernunt. Ex quo efficitur, calculum non vna ra-

tione, nec vna de caufa, fed frequentiffime tamen ex humore praeternaturali, potiffimum in renibus generari *). Vbi lapillus e renibus in veficam defcendit, fuper eo ex tartareis vrinae particulis plures cruftae fucceffive concrefcunt. Quemadmodum etiam in vefica fuper quocunque corpore peregrino eo delato materia calculofa fimili ratione concrefcere confueuit **). Nec dubium eft, calculum in vefica etiam ad particulam muci, qui veficam inveftit, coire poffe; vtique, fi vefica intus plures inaequales cellulas nacta eft, in quibus lotium aliquamdiu retinetur,

*) vid. Ill. *Phil. Conr. Fabricii* diff. *de genuina calculi renalis genefi.* Helmftad. 1756.

**) Exempla habent *Couillard* in *Obferv. Iatrochir.* p. 39. & *Borrichius* in *Act. Hafn.* II. 55. et alii.

§. 457.

Proximum eft, vt de fignis vtriusque calculi praecipiam. Renalis ergo fic innotefcit. Renem acerbus dolor comprehendit, modo quidem fixus, modo vero, ac in defcenfu quidem lapilli per vreterem, ad ilia verfus coxendicem vel ad proximum teftem, quin ad crus lateris refpondentis excurrens; quod nonnullis etiam obtorpefcit, aliis vero ftringitur aut tremit. Alvus dura et adftricta eft. Dorfum aegre flectitur. Cum vrina fubinde arenulae effluunt *). Crefcente tormento ea interdum retinetur; pofthac vero, excuffo ex vretere lapillo, craffa et copiofa profluit, et complures arenulas vehit. Eadem aliquando fanguinem ducit; interdum ardoris quodam fenfu crebriorem mictionem facit, fed ftillantem; interdum quoque male foetet: id autem latentem in renibus abfceffum denotat. Sub dolorum impetu ftomachus fubvertitur, ac vniuerfus inteftinorum canalis in confenfionem trahitur. Interim ipfi dolores nunquam indefinenter torquent, fed periodos

dos ſuas, tempore quiden non exquiſito, ſeruant. Quodſi calculus tam grandis eſt, vt e rene in vreterem propelli non poſſit; tum vix vllus dolor percipitur, ſed vrina tantum limoſa et ſubrubra effluit.

Vbi vero calculus in vreterem delatus eſt, dolores multum ob anguſtiam meatus increſcunt, et per totum eius tractum vsque ad veſicam, et ad plures alias partes, ceu iam ſupra indicatum, extenduntur. Lotium ſaepe tum quoque retinetur, inque ipſum renem ſubinde repellitur, eundemque diſtendit. Vrina tum vomitu etiam aliquando redditur, et per cutem ſerum vrinae odore infectum exhalat. Quodſi vero calculi itinera iſta ſaepe tranſierunt, ea magis ſenſim dilatantur et ſic demum patent, vt aegri poſtea ſimilibus doloribus haud amplius torqueantur.

Sed et in renibus non ſolum, verum etiam in vreteribus, calculus latere poteſt ſatis grandis per omnem vitam ſine vllo incommodo.

Modo vnus, modo plures calculi in pelui renis aut vretere haerent; modo alter tantum, modo vterque ren iis oneratus eſt. Siniſter autem magis, quam dexter lithiaſi eſt ſubiectus.

Ipſorum calculorum renalium varia ſpecies eſt. Alii ſunt inſtar ſilicis duri, alii toſacei et magis friabiles, alii rotundi et laeves, alii aſperi, cum figura peluis renalis, alii ramoſi aliterque figurati; quos tamen non niſi in ipſis locis natalibus poſt mortem quaeras. Color pariter in illis variat, perinde ac magnitudo et pondus. Rotundi et laeves facilius, quam aſperi excluduntur.

Interdum calculus renalis in tumorem attollit renem

vna cum lumbis, et ex rupto abſceſſu erumpit, vel inciſo iſto educitur.

Denique ſciendum eſt, quod, qui hac lithiaſi infeſtantur, vrinam multo tempore ante craſſam fere et ſubrubram cum denſa et tenaci ſpuma. ac modo turbantem ſe tantum, modo rubrum, ſubviſcidum atque arenoſum ſedimentum demittentem, ſine vllo incommodo, aliaque vlla calculi nota excernant; tandem vero praeter omnem opinionem acerbiſſimo dolore renum, cum adſtrictione alui atque cruris ſtupore prehendantur. Non nullis etiam vehemens dolor colicus accidit, et ex aluo tenaciſſimus mucus albus et lacteus exprimitur; *colicam nephriticam* tum appellant.

Memoratu praeterea haud indignum eſt, quod in iisdem corporibus, quae renum calculo obnoxia ſunt, felleae quoque cyſtis calculi haud raro producantur.

Ceterum in diagnoſi calculi renalis circumſpiciendum eſt, vt ne cum dolore colico, cum hydrope renum ſaccato, eorundemve ſcirrhoſitate confundatur; vtpote quae mala iſtum omnino ſimulare conſueuerunt.

*) Quamuis arenulae iſtae, una cum ipſis lapillis per vrinas excretis, praecipua ſigna calculi renalis conſtituant; tamen iſtae nunquam certe calculum maiorem ibi produnt. Sine eo namque copioſiſſime excretas illas quotidie *Piſo* vidit, vt arenae ſcriptoriae loco illis aeger vteretur *L. de morb. a colluv. ſer.* III. p. m. 235. et Ill. *Fabricius diſſ. cit.* §. III. not. *c.*

§. 458.

Tormentum a *veſicae calculo*, quod pariter ac antecedens intervalla ſua habet, quibus ſaepius reuertitur,

tur, ad hunc fere modum innotescit: Vrina cum assidua mingendi cupiditate difficulter redditur, sic quidem, vt sub ipsa mictione, quae repente ingruit, ea subinde intercipiatur. Dolor totum colem comprehendit, saepeque in sola glande aut praeputio versatur, simillimus ei, quem multae veluti aciculae impactae produxerint; vehementissimusque est, vbi nouissimae lotii guttae exprimuntur. Id temporis conatus etiam desidendi est; idque, quod ex aluo descendit, in plerisque paucum et globulare est, in aliis limosum, quod aegre propter suam tenacitatem decidit. Ipsa vero vrina multis non aliter, quam sedendo, pedibusque implicatis et inclinato corpore exprimitur: alii saltem inclinati mingunt, alii melius recti, alii supini. Plerique colem tum quoque constanter mulgent et extendunt. Foeminae naturalia crebro contrectant et scalpunt, digitoque admoto ad vesicae ceruicem calculum repellunt. Vrina effluens modo citrina pellucida, modo alba et turbida existit, cum quibusdam veluti squamulis, aut mucoso vel arenoso sedimento. Interdum etiam cruentum quid concretum aut sincerus sanguis ducitur. Odor ipsius acris lixiuiosus est; sique vlcus simul siue in renibus, siue in vesica est, ea protinus a mictione foetet.

Digitus in anum immissus et ad vesicam datus, maximeque catheter in vesicam impulsus, fidem calculi huius faciunt; quamuis nec cum hoc quidem in omni casu medentes satis certi sint: de quo infra passim pluribus dicetur. Hoc loco vero saltem sciendum est, calculum paruum posse catheterem effugere; mollem autem, et muco involutum ipsius sensum intercipere; nec denique cognosci, dum alieno loco, velut in scroto, vagina, perinaeo, inguine aut prostata haeret.

Interim hoc genus morbi frequentius pueris quam adul-

adultis, viris quam foeminis accidit; et ad corporis motum, inprimis in equo aut rheda, intenditur.

§. 459.

Plerumque vnus calculus in vesica continetur, rarius duo vel tres, rarissime plures.

Eorum pondus ab aliquot drachmis ad plures vncias, ad libram et vltra adscendit.

Color etiam diuersus est, ruber, flauus, cinereus, nigricans.

Respectu figurae reperiuntur oblongi, rotundi, angulares, ad latera compressi. Alii cavitatem peluis renalis referunt. Alii sunt canale quodam pertusi aut sulcati, vt lotio aliqua via pateat. Ceterum quilibet grandior fere ex lamellis est compositus. Minor calculus plerumque coni figuram, aut cylindri obtinet; raro scaber aut angulosus est. Minimum genus, idque arenosum, plerumque sphaericum est, velut pulueris pyrii grana. Singulorum textura vel densa aut friabilis est.

Equidem calcareae naturae esse vesicae calculum, tantum non omnes eruditi viri credunt et profitentur; experimenta vero repugnant, quum ex nullo liquore acido efferuescentia oritur.

§. 460.

Rarum est, calculum vnum aut plures non libere vagari in vesica, sed eidem adhaerescere, sic vt vel tunica ipsius sint inclusi, nunc ex toto quidem, nunc aliqua saltem spina; vel quibusdam quasi caruncalis mediis adglutinentur *).

Eius-

Eiusmodi calculus vel acutiſſimos medentes ſaepe fallit, vt prorſus non cognoſcant illum, ſiquidem nec cathetere reperiri poteſt. Malum hinc inter haemorrhoidales affectus, ad veſicam delatos, ibidemque dolores, ſpaſmos atque dyſuriam excitantes plerumque ab iisdem numeratur **).

*) vid. *Io. Zach.* ***Platneri*** diſſ. ***de calculo ad veſicam adhaereſcente***, Lipſ. 1737. et *Mem. de l' acad. roy. de Chirurg.* T. I. p. 395.

**) Caſus eiusmodi deſcribitur in *Act. Helvet.* T. III.

§. 461.

Huic vitio duo alia ſubiungenda ſunt, quae pariter calculum veſicae mentiri ſolent. Alterum eſt hoc, vbi veſica intus cruſta tartarea obducta eſt, nullo tamen calculo praeſente, neque veſicae tunicis adglutinato: *) quod fallacem reddit catheteris vſum, quoniam aeque ac in praeſentia calculi ad ipſius contractum repercuſſio quaedam dura ac renitens occurrit. Alterum eſt veſicae ſcirrhus, qui non ſolum adamuſſim ſymptomatibus, quae inducit, calculum mentitur, ſed et ipſe ille tum a cathetere, ob duritiem veſicae et reniſum, deprehendi videtur **).

Simile ſimulacrum efficere tumor aliquis poteſt, qui veſicae extrinſecus incumbit.

*) vid. *Pechlini Obſerv. I. 2.*

**) *id. l. c. obſ. 3.*

§. 462.

Enimvero et calculus poteſt in veſica haerere ſine omni doloris ſenſu *). Quocirca valde probabile eſt, omnem morbum in calculo non ab hoc ipſo, vti quidem vulgo creditur, ſed potius a diatheſi vrinae, non-

nonnihil iam putrescentis intra renes aut vesicam **) eandemque ad spasmodicas contractiones vellicantis, rectius deriuari; quae totum morbum omnino conficere potest, et qua emendata, aeger rursus vrinam mittere, vt sanus potest, nihilque incommodi amplius experitur, quamuis calculus adhuc delitescat. Ex eo quoque manifestum est, ipsum calculum non efficere totam morbi scenam, quod morbus non perpetim eosdem cruciatus infert, sed interualla sua habet, ac periodos modo longiores, modo breuiores, modo vehementiores, modo mitiores facit. Praeterea morbi, de quibus supra scripsi, quod lithiasin mentiantur, sententiam nostram liquido confirmant, hoc est, probant, quod absque calculo totum illud tormentum, qnod eidem adscribitur, in corporibus humanis oriri queat. Vnde etiam intelligitur, cur permulti, cum pueri secti sint, tamen adolescentes ac viri facti, iterum, tertiumque calculum in vesica aluerunt***). Si quid tamen symptomatum ipse calculus excitare potest, illud tum demum accidit, quando vrinae iter vere obstruit; ex quo praeter dolores suppressio vrinae sequitur.

*) vid. *Lossii Observat. L. III.* 53. Ill. *de Haen rat. medend.* T. II. p. 206. III. p. 155. 165. seq.

**) cf. *Brendelii* olim nostri Progr. *de calculi vesicae vrinalis renumque natalibus* G. 1751.

***) vid. *Fr. Tolet* Tr. *de la Lithotom.* p. 256. *Mem. de l' acad. de Chir.* T. I. p. 415.

§. 463.

Non leue periculum minatur tormentum ab hoc calculo, vt vulgarem loquendi morem retineam. Recens nati, exclusis inter grauissimas conuulsiones lapillis, breui admodum tempore paroxysmis conficiuntur. Adulti per plures annos hoc malo cruciantur, tandemque

que immensis fracti doloribus extingui possunt. Quum iam diu traxit idem, tenesmo aegri graviore afficiuntur, ipsisque infimum intestinum adeo procidere consueuit.

Minor calculus facilius quidem in vesicae cervicem impingit, sed vrinam tamen pertinacius retinet, quam maior; vtpote qui vel apta corporis positura vel immisso cathetere haud difficulter repellitur, aut canale aliquo excauatus lotio exitum conciliat *).

Grauissimum vero obstaculum calculus e vesica expressus tum eo loco inuenit, qui est incuruus et subter pubem, tum in membranea vrethrae parte, cui perinaeum extus respondet. Quas vias si semel perrupit, nunc facile reliquum iter absoluit, vt tamen et hic aliquando obhaerescat vbiuis, quin et incisa urethra extrahi debeat.

*) vid. *Io. Groenevelti diss. lithol.* app. p. 67.

§. 464.

Nunc de curatione lithiasis praecipiendum est. Ea proh! dolor non levis est, licet centena et amplius remedia tam a medicis, quam a vulgo, tamquam specifica collaudantur. Nihil autem eorum, me iudice, felicem praestare curationem potest, nisi quod vel roborans et adstringens sit, vel pituitam illam, vnde calculus generatur, in ipso sanguine, inque suis quasi elementis, dissoluat ac destruat, sicque praeternaturalem illam coctionem et secretionem paullatim impediat.

Sed operae pretium est, coniungere in curatione vtrumque remediorum genus; quorum illud memoratam secretionem praepedit, hoc vero vrinam intra corpus

pus ſic immutat, vt ibidem computreſcere ac praecipitari non poſſit. Ex priorum claſſe ſatisfaciunt eſſentia abſinthii ſimplex, puluis radicis gentianae rubrae, infuſum vinoſum radicis acaciae ſylveſtris, et folia vuae vrſi; ex poſteriorum vero, ſuccus raphani nigri, elixir acidum Dippelii, et oleum vitrioli. Sed cum in aliis morbis non ſemper idem exitus eidem remedio reſpondet, tum in hoc ſpeciatim credibile videtur, non vno omnes calculos remedio, quum tam inſigniter intuitu denſitatis differant, aeque poſſe diſſolvi.

Haec autem remedia ita ordinanda ſunt. Matutinis horis cochlear ſucci ex raphano expreſſi exhibetur; antemeridianis et pomeridianis cochlear eſſentiæ abſinthii aut infuſi vinoſi radicis acaciae ſylveſtris, aut dimidia drachma radicis gentianae rubrae; veſpertinis denique guttae duae olei vitrioli aut duodecim elixir acidi Dippelii, ſingulae quidem ex patella aquae plena.

Si ſemel finita lithiaſis, iſtorum remediorum vſus per aliquot hebdomades adhuc continuatur, donec nihil limoſi aut viſcidi in lotio deſideat. Atque tum denique ſola eſſentia abſinthii altero quoque die per aliquot menſes adhuc ſumi poteſt, aut caliculus infuſi vinoſi radicis acaciae ſylueſtris, quod tum renum tum chylopoeiticorum viſcerum tonum inſtaurat. Selectus alimentorum vſus non poteſt non curationem accelerare; an vero eam ex toto et per ſe abſoluturus ſit, vt Lobbiana experimenta volunt *), de eo mihi nihil certi adhuc conſtat.

Infuſum calcis vivae aut oſtracodermatum et ſapones medicati, inque his Stephenianus, qui potiores ſuas vires oſtracodermatum calci debet, ob taedioſam ſuam moram, et quod non modo ſpem ſaepe fallant, ſed et magis aegrum laedant, nec omni aetati conueniant,

niant, non valde praedicari possunt. Plus tamen hisce duobus remediis, et fortassis omnibus aliis Carolinae thermae epotae praestant: ad quas, qui potest, calculosus se conferat.

Verum tamen neutrum horum remediorum alii casui accommodatum est, quam vbi nullum vlcus cum calculo in renibus aut vesica est coniunctum: contra vero Vva vrsi tum multum iuuat. Vbi vero calculus in vesica super corpore in eandem delato concreuit, aut vesicae adhaerescit, nihil iuvare horum omnium remediorum potest.

In ipsis paroxysmis infusum foliorum altheae aut malvae, et fotus ex farina seminis lini ac foenugraeci proficiunt. Emulsiones autem vulgares et clysteres, nisi therebinthinacei fuerint, parum valent.

RHEVMATISMVS ET ARTHRITIS.

§. 465.

Rheumatismum et Arthritidem merito in therapia coniungimus, quamquam alias disiungi consueverunt. Est enim vtriusque morbi non solum intuitu causarum ortusque sui vna eademque indoles, sed frequens etiam vtriusque combinatio in eodem subiecto obseruatur, perinde ac rheumatismi in arthritidem conversio; quin iisdem fere auxiliis vterque morbus oppugnatur.

§. 466.

Est autem Rheumatismus affectio admodum dolorifica, nunc brevis et acuta, nunc vero longa, quae varias corporis partes, tum internas, tum maxime externas, carnosas, non exceptis venis cutaneis, et peri_

osteo, et ipsis ossibus, cum movendi quadam impotentia, vel etiam rigore infestat.

Affecta pars non raro tumet, aut exigua saltem tubercula in eadem, quales sunt ἴονθοι a Graecis, Vari a Latinis appellati, aut maiora, nucis magnitudine exsurgunt. Eadem subinde diffusiori inflammatione, subinde vero profundiori atque grauiori prehenditur, adeo, vt vel ipse sanguis aliusue humor effundatur, vnaque cum hoc ipso aer strepens ex aperto tumore erumpat *).

*) vid. *Klaunigii Nosoc. char. Obs.* XX. et *Claud. Pouteau Melanges de Chirurgie.* p. 41. In lumbagine chronica ac insanabili *Morgagnus* post mortem conspexit quorundam dorsi musculorum insolitum colorem, fibras laxas et cedentes, crebrisque interiectis sanguinis grumulis disiunctas. *L. de sedib. et caus. morb. Epist. LVII. n.* 17.

§. 467.

Rheumatismus omni aetati conuenit, atque autumno ac hyeme maxime oboritur, et congestionem humorum siue sanguineorum siue serosorum pro sua causa agnoscit: vnde tensiuus ac pressorius dolor, itemque ardor aut frigus in affecta parte, tumidusque eiusdem infarctus facile explicatur.

Levior erysipelatodes aut phlegmonodes inflammatio eidem familiarior est, quam arthritidi; et fit interdum per metastasin febrilem ad artus et parotides.

Idem ab exterioribus ad interiora repelli se patitur: nec non constantem modo locum occupat, modo oberrat; (*arthritidem vagam et scorbuticam* complures hodie, alii vero *rheumatismum arthriticum*, si quidem et articulos simul dolor occupat, appellant) isque quibus-

quibusdam regionibus quaſi endemius eſt et multos ſimul, etiam cum febre, per aliquot hebdomades vexat, Varenorum nomine, die Varen apud Weſtphalos inprimis olim inſignitus *). Denique etiam epidemico more ſubinde graſſatur et periodicas reverſiones facit. Confirmatus ac diurturnus tandem magis directe occupat articulos, ac in veriorem arthritidem obſirmatur; aut, ſi fixus pertinaciter perſiſtit, tabem lentam ac letiferam demum inducit.

In iunioribus affectus rheumatici magis caput, pectus, ſcapulas, humeros, manus, et dorſum petunt: in viris et ſenioribus dorſum et coxas cum femoribus. Sub reverſionibus autem, ad interiora tendentibus, in illis iterum magis caput, fauces et thoracem, in his hypochondria, inteſtina, renes, et veſicam quaerunt.

*) vid. *Io. Weyers Arzneybuch von etlichen bisher unbeſchriebenen Krankheiten, vom Schurbauch, von Varen, Dracontiis, Maden, Nachtgriff etc.* Frf. 1588. 8. Cuius tractatum de Varenis agentem latine convertit *Henr. Smetius.* in *Miſcell. medic.* p. 227.

§. 468.

Rheumatiſmis *febris* ſe interdum adjungit; vnde *acuti* appellantur, et ipſa febris *rheumatica* dicitur, modo leuior, intra duo aut tres dies deferveſcens; modo gravior, cum acerbiſſimo complurium partium dolore, interdumque etiam vniverſae cutis vel ſingularum partium tumore. Eadem noctu potiſſimum exacerbatur, praetereaque leuiſſima corporis denudatione ingraveſcit, et largiſſimos extrudit ſudores. Tuſſicula ſicca frequens in multis ſimul praeſto eſt. Ante quartum vel nonum diem aegri rariſſime levantur, vixque ante tertiam aut quartam hebdomadem prorſus liberantur, ſummopere eheu emacia-

ti. Vrina per totum morbum rubra eſt, nec fere ſine ardore meiitur. Sub finem aliquando praemagni tumores lymphatici in aliqua partium affectarum externarum oriuntur, qui nullam fere admittunt diſcuſſionem, et aperti vlcera cacoethea relinquunt, A quibus vero diſtinguas tumores molles circa articulos naſci ſolitos; quibus aegri alleuantur. Sed haec eadem materies per vniuerſam cutem diffuſa interdum ſubito interiora, inprimisque cerebrum et pulmones petit, cum funeſto euentu *).

*) vid. *Ill. Stoerkii ann. med. II. p.* 119.

§. 469.

Arthritis magis quam rheumatiſmus ad certas aetates adſtricta eſt, ſpaſticisque agitationibus intra partes tendineas et ligamentoſas articulorum abſoluitur, ſic, vt modo totos plexus tendineos, modo pauciores tantum fibras occupet, et dolores acutos, vellicantes, ac rupturam quaſi minitantes, per interualla quidem nunc vehementiores, nunc tolerabiliores, efficiat. Neque ſolos tamen articulos ea ſemper occupat, ſed et interdum latius ſe perinde ac rheumatiſmus diffundit, aut hac ſaltem ratione conſpirationem quandam cum hoc ipſo alit. Aliquando etiam, vt is, metaſtatica eſt, et eryſipelatodes.

Imbecillitas viſcerum ad officinam chyli pertinentium in plerisque aegris praeſto eſt cum anorexia, inflationibus, et quadam moeſtitia. Inque foeminis quam multis menſtrua praemature atque copioſius iuſto fluere conſueuerunt.

§. 470.

Videtur autem arthritis ex peculiari ſucco morbido

do prognaſci, quem natura ad praeternaturalem legem coquit et per iſta plerumque vaſa, quae articulorum ligamentis ac membranis, non minus quam tendinibus ſmegma ſuum naturale largiuntur, rariſſime in ipſo articulorum cauo, per glandularum ibi poſitarum arteriolas, mediante rubore inflammatorio h. e. inflammatione ſine febre, deponit.

Atque is ſuccus arthriticus ſub initio fere ſimilis eſt humori lacteo *), et eiusdem naturae ac materia calculorum renalium, qui ſubinde etiam ex eodem in arthriticis corporibus generantur; quorumque vrina in inueterata arthritide aliquando talem ſuccum etiam ſecum vehit, indeque ſtatim ab emiſſione in gelatinam quaſi coagulari conſpicitur. Progreſſu temporis iſte condenſatur in ſuis receptaculis, tandemque prorſus in friabilem terram albicantem tranſit. Quapropter tumores arthritici initio molles ſunt, foveasque paene ab impreſſo digito admittunt. Senſim vero, et poſt plures demum annos, iidem indurantur ac ſimul aſperiores fiunt, tandemque adeo ſponte diſrumpuntur.

Oportet autem humori illi lacteo acre quiddam ſimul ineſſe, velut ex rubore laeto cruoris e vena miſſi, nec valde denſi, non minus quam ex dolore rodente ac perforante quaſi manifeſto apparet; vt luculentas humorum acriorum collectiones in arthriticis corporibus, perinde ac excretiones taceam: de quibus infra adhuc ſpeciatim dicetur.

Interim materiae huius generatio non ſimul et ſemel, ſed ſucceſſiue et admodum lente contingere conſueuit; ſic quidem, vt initio, praegreſſis variis rheumaticis capitis, faucium, aurium, malarum, pectoris, dorſi, affectionibus, eadem vnum vel alterum pedis aut manus digitum occupet, aut exigua tubercula, lenti

aequalia, ſuper vno vel altero tendine efformet, deincepsque paullatim ad plures articulos tranſeat; cum eo tamen, vt aliqui principaliter afficiantur, indeque etiam humore concreto ac indurato plus minus poſtea incuruentur, ſic ut flecti demum amplius ſe non ſinant.

Ad rheumatiſmum autem non opus videtur, ſpecificam quandam materiam acrem in ſanguine (qui ipſe etiam hic admodum tenuis atque floridus apparet) adſumere; ſiquidem ſola ſaepe ſanguinis miſſio, aut ſpontanea euacuatio **) eundem tollit. Ceterum vero colluuies ſeroſa tanquam altera primaria cauſa rheumatiſmi omnino accuſanda eſt; vnde etiam permultis morbis, ab hac cauſa ſuſcitatis, frequentiſſime ſe adiungit, iisdemue ſuccedit. Rariſſime ex ipſa muſculorum ſuperficie gelatinoſus humor exprimitur, a nemine adhuc fere niſi a Drelincurtio in diſſectione repertus ***).

*) vid. *Act. Hafn. V.* 80.

**) vid. *Guil. Ballonii Epidemior et Ephemerid.* L. II. p. 182.

***) vid. *Clopt. Havers Oſteolog. Diſc. IV.*

§. 471.

Arthritis et rheumatiſmus permultas cauſas remotas, tam internas quam externas, inter ſe communes habent. Cuiusmodi ſunt dyſenteria, diarrhoeae et febres intermittentes ſuppreſſae, repulſa ſcabies, fluxus ſanguinei intercepti, tranſpiratio ſufflaminata, neglecta venaeſectio et ſcarificatio, liquorum ſpirituoſorum abvſus, vehementiores mentis alterationes, corporisque ſubitaneae refrigerationes. Speciatim vero rheumatismus a veſicatoriis iteratis et ſonticulis diu geſtatis poſteaque neglectis, itemque ab ulceribus chronicis, veneno ſaturnino, qualitercumque in corpus delato, vaporibus mercuria-

mercurialibus, ambuſtis, vexatis, luxatis et fractis inducitur. Praetereaque febribus intermittentibus in ſuis circuitibus ſeſe aliquando adiungit.

§. 472.

Nec vno modo ſolutio rheumaticorum et arthriticorum affectuum contingit, ſudoribus nempe, vrina mucoſa aut ſabuloſa rubra vel alba, febre, diarrhoea, dyſenteria, haemorrhoidibus, mictu cruento, ptyaliſmo, ſputis, furunculis, vlceribus, ſcabie, varicibus, abſceſſibus ani, vomitu bilis, puſtulis, aliisue exanthematibus, varis et gutta roſacea; ſic tamen, vt non in perpetuum iſti inde tollantur, ſed ſubinde iterum recurrant.

In intenta arthritide conuulſiones et tetani metuendi ſunt, perinde ac in illo rheumatiſmo, qui cum vehementia ſubitoque perioſteum et ipſam oſſis ſubſtantiam prehendit, quo intra paucos dies os abſcedit et carioſum fit, et mortis adeo periculum imminet.

Arthritis ſuperuenire colicae, chloroſi, melancholiae, aſthmati, febri, morbis cutaneis, fluxibus ſanguinis nimiis, ſcorbuto, ac hydropi conſueuit; huncque, ſi recens adhuc eſt, tollere aliquando valet. Lui venereae etiam interdum ſe immiſcet. Rheumatiſmus et arthritis, ſiue vaga fuerit, ſiue fixa, ſub regreſſu ſuo peſſimos gignunt morbos, colicam, cardialgiam, ſingultum, dyſenteriam, phthiſin, aſthma, paralyſin, coecitatem, febres inflammatorias, hecticam, apoplexiam, catarrhum ſuffocatiuum. Alias vero, dum nullam curationem recipit arthritis, hydropem demum aut tabem ſaltem inferre ſolet.

Nullus autem morbus frequentius a parentibus trahitur, quam articularis; et tum quidem raro perfecte ſanatur.

Multis ſub adultiori aetate ſpontaneae ſudationes matutinae in lecto circa aequinoctia contingunt, quas negligentius tractatas aut ſponte ceſſantes rheumatiſmi demum plerumque excipiunt.

Ex longo rheumatiſmo atrophica demum et ad motum impotentia redduntur membra. Sique perioſteum is diu admodum occupauit, fracturae oſſium ſpontaneae demum accidere poſſunt.

Iſchias chronicum aliquando abſceſſum muſculorum abdominis vel cruris, et partium internarum adeo producit, quem dein tabes ſubſequitur.

Sed et interdum abſceſſus ad coxam ſuppuratorius, interdum vlcus articuli, caries oſſis, et luxatio coxae pro morbo coxario imponunt, et prognoſin valde incertam atque dubiam reddunt.

Lumbago interdum ſubitaneo abdominis tumore, velut tympanitico, ſoluitur.

§. 473.

In curatione rheumatiſmi ſimplicioris, quem et frigidum nonnulli vocant, ſtatim confert ab initio ſanguinem ex ipſa parte laborante, ſi fieri poteſt, aliquoties, prout neceſſitas poſtulat, mittere, vel etiam eidem membro cucurbitulas, inciſa cute, admouere, aut ſanguiſugas applicare. Deinde porro leuioribus catharticis, qualis eſt puluis pleuriticus Mynſichti, ad ſcrupulum per trihoria datus, aut mixtura ſimplex camphorata, in cuius uncia dimidia ſoluta eſt extracti panchymagogi Crollii drachma dimidia, ad quadraginta guttas iisdem intervallis exhibita; ut et diaphoreticis remediis veluti pulveribus ſalinis et camphoratis, cui ſulphuris flores etiam adjiciendi, aut mixtura antiſcorbutica Drawizii congeſtionem diſcutere.

In

In pertinaciori morbo perſaepe cucubitularum coecarum, fricationum, veſicantium, ſinapiſmorum, urticationum, aut fonticulorum uſus, quin et, ſi fixus eſt dolor, ſetacei aut cauterii e bombace parati et laboranti parti impoſiti *), neceſſarius eſt. Sique in perioſteo tibiæ, cui cutis ſaltem ſupertenſa, dolor vehemens ac longus eſt, juvat etiam hanc usque ad os ſcalpello incidere; intus vero decoctum Viennenſe **) aut ligni guajaci cum cortice, itemque ſpiritum antiſcorbuticum Drawizii, et corticem Peruvianum exhibere: qui et in arthritide vaga rheumatica, itemque in rheumatiſmo febrili non inefficax eſt; non omiſſa quidem tum ſanguinis miſſione et purgantibus antiphlogiſticis, aliisque alterantibus atque temperantibus medicamentis.

Praeterea balneum formicarum, aut thermae, inprimis ſulphureae, itemque aequae temperatiores minerales, et electricus ignis, in longo ac rebelli rheumatiſmo conveniunt.

Ubi vero cum arthritide iſte copulatus eſt, tum mercurius ſublimatus eadem ratione ac in lue venerea exhibitus ceteris fere cunctis remediis palmam praeripit.

A topicis qualibuscunque, excepto emplaſtro de hyoſciamo, ſtudioſe cavendum eſt, utpote quae non niſi materiam rheumaticam ab uno loco ad alterum pellendo infida omnino remedia ac inſecura exiſtunt.

Ad *arthritidem* autem confert maxime bryoniae radix purgandi ſcopo ſaepius aſſumta, decoctum ſaturatius radicis ſaſſaparillae aut ſtrobulorum pini ex cereuiſia, ſpiritus antiſcorbuticus Drawizii, et antimonium crudum, in morſulis inprimis, prouti a *Kunkelio* fuerunt compoſiti ac uſurpati. In inveterato ac rebelli malo inunctio mercurialis praeſtantiſſima eſt, cum eo, vt ptiſana demulcens ex ſaſſaparillae, bardanae ac liqui-

ritiae radice loco potus ordinarii cum decenti regimine adhibeatur, et salivae fluxus, interpositis catharticis, arceatur, tametsi iste quidem in se non est damnandus. Tophaceas concretiones oleum animale Dippelii illitum, aut stillicidia ex aqua molliente ac resoluente nobilissimarum stirpium virtute impraegnata, quoad ejus licet, dissolvunt. Atrocioribus vero doloribus leniendis aqua calcis vivae cum aceto; aut cataplasma ex foliis hyosciami, lini ac foenugraeci seminibus, et lacte inservit.

*) cf. *Pouteau l. c.* p. 49.

**) In huius vsu probe obseruandae sunt cautelae, quas b. *Werlhofius* proposuit L. *de limitandis laudibus et vituperiis morborum*. p. 28.

PODAGRA.

§. 474.

De Podagra seorsim praecipere aptius mihi visum est, quam cum arthritide ipsam copulare ex communi medicorum sententia. Quamquam enim affinitatem quandam cum articulari morbo eamdem alere intelligo; longe tamen aliam scenam ludit, atque acutorum affectuum more, et ad leges typicas incedere, saepeque etiam ad easdem reverti, consuevit; longe atrociores quoque dolores facit, et a materia multo subtiliore, multoque acriore, quam arthritis, haud dubie producitur: quo accedit, quod contagiosam indolem habere videatur; nec tam facile sanationem, quam haec, recipiat; neque semel salutatos, nisi in perniciem corporis, dimittat unquam.

§. 475.

Est ergo podagra, nisi me omnia fallunt, singularis prorsus morbus acutus ac inflammatorius, qui sedem in

in ipsis articulorum vinculis et tendinibus musculorum, cum membranis ossa cingentibus figit, et sic observatur. Quandocumque accedit aut revertitur; id quod quidem omni die anni, ordinarie tamen semel vel bis circa aequinoctia vel solstitia, aut serius altero vel tertio demum anno fieri adsolet; tum plerumque adventum ejus diversae corporis debilitates, velut praecursores, praenunciant: gravitas nempe corporis, dolor capitis, aut aliarum partium, tussis, anorexia, lacryma et saliva acris, urina limpida aut turbida, insomnia, irregularis horror, et venarum circa locum affectum intumescentia, itemque surarum aut digitorum pedis spasmus. Quae cuncta paullatim increscunt, donec ipse morbus cum febre, vomitu, interque haec ipsa jam memorata pathemata, maximam partem perdurantia, erumpat. Primus autem paroxysmus media plerumque nocte, nisi ira, terrore, refrigeratione, malove regimine in victu citius arcessitus, invadit et deinde quotidianis insultibus repetit, ac per duas, tres, quatuorve hebdomades aegrum impotentem, lectoque affixum miserabiliter exercet. Dolor, quem is primum sentit, illi similis est, quem luxata faciunt, simulque sensum quasi aquae frigidae adfusae inprimit affecto loco. Is ipse vero in multis diversus est et diversum quoque ambitum habet. Dolor in permultis etiam ex uno pede in alterum migrat, aut utrumque simul paullatim comprehendit, vel manum aut genu etiam occupat, aut in haec loca prosilit, priora relinquendo. Noctu omnia symptomata ingravescunt. Cutis affectae partis nec minimum contactum ferre potest, et non solum tensa est, sed simul etiam tumet cum conspicuo rubore. Ubi morbus ad finem properat, sudor tam ex toto corpore, quam ex affecta parte erumpit, quae ante sicca erat; et in vicem doloris torpor aliquis ac rigor subsequitur, qui interdum per plures annos remanet. Sub finem nonnul-

lis

lis quoque ſanguis ex ani venis fluit. Lotium per totum fere morbum acre eſt, et ardet, et arenoſum limum deponit. Sudor multis foetidus aut lixivioſus eſt, argentumque denigrat. Finito circuitu cutis prurit et plures ſquamulas furfuraceas dimittit.

§. 476.

Podagra vix pueri laborant, niſi haereditaria ſubſit qualitas: jus enim haereditatis is maxime morbus in prolem, quamquam haud ſine diſcrimine, exercet: vix etiam foeminae, niſi hyſtericae aut vetulae, quibus menſtrua ceſſarunt.

In junioribus ea inprimis definitas periodos obſervat, eosque etiam univerſim atrocius exercet: quemadmodum contra ſeniores et quos jam diu vexavit, ſegnius; ſic, ut hi tandem aegritudinem magis, quam dolorem experiantur.

Quo longius intervallum inter duos circuitus interceſſit, eo plerumque longior ac vehementior ipſe paroxyſmus eſſe conſuevit; et viciſſim.

Pulſatorius dolor in pede laborante, ac in ſomno pavores, et tumor pedis ſtatim ab initio accedens, brevem morbi durationem denuntiant.

Ubi exanthemata prurientia in pede olim affecto ſponte efferuntur, haec hominem a paroxyſmo tunc immunem praeſtant.

Neque vero ſemper materia podagrica ad pedem, manum ac genu defertur; ſed ad interiora interdum decumbit loca, pernitioſo quidem modo; praeſertimque veſicam occupat, atque paralyſin, inflammationem, dyſuriam, et mictum cruentum inducit: quibus malis ſe-

niores

niores inprimis patent. Praetereaque, ubi natura prorſus a molimine ſuo excretorio, hoc quidem reſpectu ſalubritatem podagricis praeſtante, deflectit, tandem plerumque in lithiaſin, arthritidem univerſalem, hydropem, tabem, paralyſin, apoplexiam aut viſcerum inflammationem acutam et gravem illi incurrunt. Atque ejusmodi acuti morbi etiam ſubito et cum ſummo vitae periculo oriri ſolent, ſi colluvies podagrica intempeſtive retrocedit aut ineptis medicamentis topicis reprimitur.

Iuniores, ſi podagrici fiunt, raro ad ſenectutem perveniunt.

Iſchiaticum malum ſaepius reverſum in podagram demum atque gonagram tranſire conſuevit.

Denique vero præmagnam imbecillitatem podagra in pedibus ſenſim relinquit, adeo, ut, ubi inveteravit, contractos fere artus faciat, quibus uti ad motum ſine baculo aut graculis homo amplius vix poſſit. Praeterea quoque id, quod craſſiſſimum eſt de humore morbido, membranis adhaeret; et ſingulis paroxyſmis cumulatum, interdum in cretaceam quaſi materiem induratur, ſenſimque articulos opplet, eorumque frangit mobilitatem.

§. 477.

Quaeſtio nunc incidit, cur quidam homines tantum podagrici fiant et unde podagra oriatur? Quam vero non magis diſcutere me poſſe, quam multas alias hujus generis, v. c. undenam quidam homines miliaribus exanthematibus, aut eryſipelati, aut anginae, ſubinde et κυρίως ſubjiciantur, lubenter confiteor. Quid? quod longe abſtruſiorem adhuc eſſe podagrae, quam memoratorum morborum, materialem cauſam, fateri cogor. Tametſi quidem non ignorem, humorem podagricum

dagricum esse excrementitium, subtilem, acrem, mobilissimum; quem natura lente et per intervalla in corporibus nonnullis praeparat et mediante febre ulterius coquit, et ad locum determinatum defert ac successive demum inde expellit; illud tamen me omnino latet, quomodo iste intra sanguinem oriatur et quid maxime illum ingeneret. Certe tantum abest, ut ab ira, venere et baccho materia podagrica producatur, ut tam ii, qui sobrietatem atque temperantiam ubique colunt, non raro podagram experiantur, quam, qui intemperantissime vivunt, liberi prorsus ab ipsius furore permaneant. Quo quidem prorsus haud negatur, qui semel podagrici facti sint, ab excandescentia, et immoderata concumbendi atque debacchandi voluptate enormiter laedi ac debilitari, sic, ut laetior seges ejusmodi excrementitiae materiae posthaec inde propullulet. Pabulum enim hae res podagrico fomiti certissime subministrant, quamuis genitoris nomen haud mereantur.

Ceterum figmentis annumerandas esse medicorum doctrinas tam discrepantes de ipsius humoris podagrici natura atque indole existimo: quare etiam haud mirum, quod tot disceptationes, totque dissensus pepererint. Profecto et haec indagatio cognitionis medicae sphaeram superat. Sui generis esse humorem istum, nec cum ullo alio comparari posse, verisimillimum est.

§. 478.

Quamquam permulti aegri vix opem sperant a medicamentis in levando insultu podagrico, adeoque etiam ab eorum usu abstinent, et diaeta saltem tenuiore atque calido regimine torturam suam per aliquot hebdomades inter multos sustinent ejulatus: tamen non uno auxilio succurri illis egregie potest cum certissima spe laetioris allevamenti et brevioris durationis paroxysmorum.

rum. Idque fit, si sanguis in affecta parte protinus mittitur aut scarificatione et cucurbitula ex dolente loco educitur, sique infusum laxans antiphlogisticum alternis diebus aliquoties exhibetur, ceteris vero pulveres ex magnesiae albae drachmis sex, reguli antimonii medicinalis duabus, camphorae granis octo parati ac in sedecim pares portiones divisi ter die assumuntur. Per haec enim medicamenta congestionis vis, unde maximi dolorum cruciatus, potentissime non solum imminuitur, sed et ipsum acre morbosum ex sanguine ad alia loca excretoria commode derivatur, quin etiam aliquantisper alteratum in sua energia infringitur. Ceterum tutissimum levamen praestat cataplasma emolliens ac anodynum, diu noctuque pedi applicatum; quod fit ex foliorum boni Henrici, hyosciami, florum chamomillae Romanae, meliloti, singulorum manipulo, seminis lini, foenugraeci, gummi carannae, singulorum uncia dimidia, camphorae drachma, et lacte. Pro potu autem aeque ac medicamento aqua frigida optime inservit.

Quisquis autem contra furentis podagrae insidias se feliciter obmunire, eamque sensim debellare atque tollere cupiat, istum oportet curae lacteae, si alias bene fertur, per annum et ultra pertinaciter se adstringere *); aut tamdiu decocto radicis bardanae ac elixir vitrioli Mynsichti constanter uti. Nisi vero per ista remedia ex toto podagrici liberantur, tamen rarissimis saltem et vix aestimabilibus vexantur doloribus.

Vino quidem haud interdicendum omnibus podagricis extra accessionis impetum, quin nec in ipsa illa, censeo, si nempe ipsorum ventriculus frigoris sensu mirum in modum afficitur, inprimis generosiori atque dulci; quod potius conferre quam nocere illis attentae observationes docuerunt **). At vinum pomatum, juxta spiritus ardentes, summe est pestiferum.

*) An-

*) Antiquissimi huius remedii mentionem fecit *Celsus* L. IV. c. 23. et nostro saeculo *Io. Dolaeus* tam in se ipso, quam in aliis, post *Greiselium*, *Sachsium*, *Waldschmidium*, ipsius facultatem expertus est L. *de furia Podagrae lacte victa et mitigata*. Amstelod. 1707. 12.

**) vid. *Comment. Instit. Bonon. T. I.* p. 148. *Essay on the gout, by T. Bennet*, Lond. 1734. 8. *Traité de la Goutte, par Ms. Liger. Par.* 1753. 8. *Werlhofii Comment. de laud. et vituper remedior.* p. 28. not. 10.

§. 479.


In podagra ad stomachum regressa utilissima est theriaca ad drachmas duas e vino sumta intra lectum. Aliis remediis certe hic non opus est. Sin autem colluvies ignea in pulmones aut in encephalum transierit, illuc peripneumoniam cum sui satellitibus, huc paralysin, lethargum, apoplexiam suscitando; tum communia quaedam auxilia necessaria sunt, quae humorem morbidum in partem, quam prius occupaverat, revocent; idque efficiunt larga sanguinis missio in pede instituta, et post hanc vesicatoria ampla suris utrinque imposita, et purgantia atque diaphoretica, cujusmodi sunt pulveres camphorati, quales §. 476. praescripsi. Verbo, omnibus viribus contendendum est, ut per omnes vias humor morbidus ad vitales partes delatus pernicissime eliminetur; alias intra nychthaemerum mors metuenda est. Sin apoplexia aut lethargus praesto sunt, emetica medicina etiam uti oportet: quod si vero haec mala omnem deglutitionem prohibent, cathartica sedulo sunt per clysterem in alvum injicienda. Ulcera autem a vesicantibus facta conuenit per duas minimum hebdomades servare aperta; quam in rem balsamum Arcaei ipsis optime superimponitur.



CLAS-

CLASSIS V.

SPASMI.




INTRODVCTIO.

§. 480.

Ad novam classem morborum describendam progredior; qui tametsi quoque, uti illi in praecedenti classe, ex parte insignes dolores inferunt, id tamen phaenomenon inter se magis commune habent, unde cognosci possunt, ut vehementer distenta membra, aut contracta, aut mirum in modum huc illuc agitata in iisdem appareant: quod vitium Graecis σπασμὸς, Latinis nervorum distentio generatim appellatur.

Quemadmodum vero externas partes ad sensum affici sic observantur, quatenus vel ex carnibus constant, vel ab his reguntur, sive in universum omnes simul, sive singulae, velut oculus, maxilla inferior, labra, membrana narium pituitaria, brachium, manus, crus, digiti manuum et pedum, atque coles; ita quoque id genus mali internis partibus omnibus ac singulis, velut linguae, faucibus, columellae, laryngi, oesophago, ventriculo, intestinis, vesicae urinae, ductibus biliferis, et cordi similiter incumbit, siquidem aliquas earum ex toto, alias vero ex parte Creator summus ex fibris carneis pariter fabricavit.

De singulis vero harum partium spasmis minime necesse est, vt in praesenti seorsim exponamus; quum permultae nonnisi sede, neutiquam vero causis ac medela inter se differant, aut sub alio genere, aliave morborum classe comprehendantur, aut tamquam symptoma dumtaxat ad alios morbos principales accedant. Quapropter de his saltem, quae summa genera spasmorum efficiunt, hoc loco praecipiemus.



TETANVS. SPASMVS. CONVVLSIO.

§. 481.

Enimvero gravissimum Spasmorum genus illud est, quod τετάνε appellationem a Graecis est adeptum, et Latinis Rigor nervorum dicitur. In hoc cervix, omniaque loca capite inferiora cum rigidissima immobilitate in rectum distenduntur; quod proprie τέτανος dicitur; aut in priorem partem curvatur, ut mentum pectori appressum sit, ἐμπροσθότονον tum vocant Graeci; aut denique in posteriora convellitur, sic, ut rigescente dorso et pectore caput scapulis videas committi, ὀπισθότονον appellant *).

*) vid. *Hippocrates* L. *de dieb. iudic* p. 73. *L. III. de morb.* p. 491. et L. de *internis affect.* p. 591.

§. 482.

At plures notae praeter has etiam sequuntur. Qualiscunque enim Tetanus fuerit, inferior maxilla plerumque simul convellitur, et superiori tantopere apprimitur, ut neque vectibus, neque cuneis diduci queat. Oculi in quibusdam huc illuc agitantur, in aliis immoti atque aliquantum ex orbita protrusi apparent, in aliis distorti sunt. Sensuum vigor aut integer aut nullus est; atque in priori casu aeger ingentibus doloribus excarnificatur. Idem interdum delirat, aut similis homini furibundo redditur, vel melancholia tentatur, et vocis usum perdit, et per nares potionem ac sorbitionem interdum refundit, pugnoque pollicem includit. In Emprosthotono, si summum gradum consecutus est, pedes ad incurvatum caput accedunt, totumque corpus quasi in globum convolvitur. In Opisthotono vero inflexi sunt cubiti, cruraque distenta, caput autem sic retrorsum flectitur, ut calcem feriat, unde difficillima respiratio,

ratio, atrociſſimique dolores inſeruntur, aegerque vix ab iis, qui adſunt, continetur, quin e lecto excidat. Idemque, cum delirat, continere ſe non poteſt; et, cum dolor detinet, interdum ſurſum proſilit, ubi vero remiſerit, quietem agit. Perſaepe denique febris tetano accedit aut ſtatim ab initio praeſto eſt.

§. 483.

Ipſe vero morbus vel per ſe hominem prehendit, vel grauioribus aliis generibus ſpaſmorum ſe immiſcet; et, ſi prius eſt, per aliquot horas tantum, aut per unum alterumve diem eundem torquet, et deinde iterum dimittit; aut per intervalla nunc longiora, nunc breviora recurrit, ac per unum menſem aut plures interrupta ſerie continuat.

Is autem tetanus univerſalis tamquam morbus primarius et ab inquilinis cauſis ſuſcitatus in regionibus Europaeis oppido rarus eſt; in meridionalibus vero, et Americanis multo frequentius, etiam tamquam ſympathicus atque ſymptomaticus affectus, occurrit *).

*) vid. *Medic. Obſerv. and Inquiries by a Soc. of Phyſic. in London.* Vol. I. n. 12. p. 87.

§. 484.

Particularis tetanus ſive potius Opiſthotonus, qui muſculos ad maxillam pertinentes occupat, quemque hodie *Spaſmum maxillae inferioris*, noſtri *das Wangenſchürgen* appellare ſolent, Graeci vero nonnulli cum *Aretaeo* ſtricte τέτανον appellarunt *), in Europaeis regionibus non ita infrequens eſt, et praeſertim infantes recens natos et lactantes, aliquando tamen etiam adultos et ſenes, comprehendit, et ſic obſervatur. Clanculum fere obrepit, et rarius ſigna adventus dat per luculen-

 tas

tas convulſiones. Iectigatio, pavores et vagitus inter initia apparent. Alvus nonnihil adſtricta eſt, et feces dimittit juſto duriores, quae progreſſu diverſicolores, ſpumoſae atque foetidae redduntur. Lotium inter initia modo multum aquoſum mingitur, modo compluribus horis ſupprimitur. Facies rubore fugaci ſubinde perfunditur, inque ipſius muſculis agitatio ſpaſtica obſervatur. Difficultas quaedam ſuctionis atque deglutitionis paullatim accedit, et lac per nares cum tuſſicula et ſingultu extunditur. Maxilla, immiſſo in os digito, difficulter diducitur. Reſpiratio ſenſim anhela, ſpaſtica et gemebunda fit. Vox initio acutior, nunc rauca evadit, tandemque in obſcurum ſaltem murmur abit; paucis initio intercipitur, pluribus aliquot ante mortem diebus. Procedente malo maxilla adeo adſtringitur, ut vix cochlearis manubrium immitti queat. Collum etiam obrigeſcit. Facies paullo rubet ac tumet, maculisque rubicundis obſeſſa eſt. E naribus viſcoſa deſtillat proluvies. Superiora ſudore frigido perfunduntur. Abdomen totum intumeſcit; atque nunc quidam foetidiſſima evomunt, coloreque croceo tingentem linteamina urinam reddunt. Articuli membrorum fere contracti ſunt. Permulti aegri alterutram manum ſubinde ad os et nares adducunt, iterumque retrahunt. Sub mortem viciſſitudo quaedam ſpaſmorum et paralyſium in faciei muſculis et membris obſeruatur, cum livore vel diſtorſione labiorum ac ſtridore dentium; urina autem, atque feces clanculum elabuntur. Tandem vero ſub convulſionis cuiusdam exacerbatione aut inter lentam reſpirationem atque ſpaſticos thoracis motus miſeri aegri inter alterum et decimum quartum diem exſtinguuntur **).

Praeter hunc ſatis cognitum maxillae tetanum alius, huic prorſus contrarius, hactenusque vel non viſus vel praeterviſus, mihi memorandus eſt, quem ante aliquot annos in muliere poſt priorem, quaſi ab hoc relictum, ſpecta

ſpectavi ac etiamnum conſpicio conſtanter; in quo quippe maxilla ante priorem protruditur, ſic, ut utriusque dentes prorſus ſe non contingant, et maſticatio cum difficultate quadam peragatur. Vix credibile eſt, quod articulus et muſculi maxillae eiusmodi iniquam poſituram tam diu conſervare queant.

*) vid. *Aret. L. I. c.* 6. *de cauſ. et ſign. acut. morb. Galen.* in *Finit. med.* in *Introduct.* et *L. de muſculor. diſſect.*

**) cf. *I. G. Brendelii* Progr. *de ſpaſmo maxillae inferioris infantili.* Gott. 1757. et *Act. Helvet.* vol. I. p. 64.

§. 485.

Violenta et acuta linguae extruſio, *Gloſſocele* dicta, verus etiam tetanus particularis eſt; qui vero per ſe nunquam hominem, quantum ſcio, infeſtare ſolet, ſed aliis gravioribus ſpaſticis ac convulſivis, et ex his mixtis affectibus tamquam ſymptoma adiungitur.

§. 486.

Σπασμός Graecis ſtricte dictus, Latinis vero nervorum diſtentio, (rectius contractio muſculorum) eiusmodi eſt affectio, in qua unum membrum vel plura ſimul impetuoſe et tam vehementer contrahuntur, ut reduci aliquamdiu nequeant ad priſtinum ſtatum, muſculis ad ſuum principium praeter voluntatem contractis: unde membrum a naturali figura deſciſcit, et vehementiſſimo torquetur dolore, qui modo levius, modo atrocius inſultat, viresque proſternit.

Is affectus, aeque ac Tetanus, modo acutus eſt, modo longus et periodicus, modo primarius, modo ſymptomaticus, et cum ſanum hominem, tum iam aegrotantem adoritur, atque ſub ſe, tamquam ſpecies,

Spasmum cynicum, Torturam oris, Glossocoma, Cataclasin, et Spasmum flatulentum sive Crampum comprehendit.

In *Spasmo cynico*, qui cum acuta febre praesertim oritur, os cum rictu quodam pervertitur, musculis ejusdem et faciei versus suam originem contractis.

In *Tortura oris* labia versus unum latus violento modo subitoque trahuntur, ac in eodem situ permanent. Apoplexiam haec saepenumero praecedit, et a paralysi relinquitur.

In *Glossocomate* lingua enormiter revellitur *): quod fit tam symptomatice in universalibus spasticis et convulsivis morbis, quam sympathice subinde in abscessibus partium internarum, pulmonum inprimis, et hepatis, et septi transversi: ex quo maximus suffocationis metus imminet.

Cataclasis aliquando in acuta et maligna febre spectatur; et est alterutrius oculi spastica occlusio.

Crampus denique collum, inprimis vero manuum pedumque digitos aut suram tentat, atque unum vel alterum musculum per breve tempus praeter voluntatem cum dolorifica quadam rigiditate quasi conglobat et convellit, aut summo cruciatu, quod rarius tamen evenit, extendit. Σπασμός φυσώδης Graecis appellatur, quod a flatibus h. e. crasso lentoque vapore in nervorum propagines insiliente oriri ipsis credebatur.

Ceterum *Priapismi* adhuc mentio hoc loco facienda est, quem quidem multi propterea, quod coles cum dolore erigitur, ad Tetanum referunt **); quoniam vero etiam constat, quod interdum et spasmo teneatur, sic, ut non solum distentus, sed etiam contortus sive convulsus existat ***); hinc eodem jure aliquando etiam

iam ad ſpaſmum ſtricte ſic dictum reſerri debet. At rariſſime per ſe oritur Priapiſmus, nec niſi a frigore; alias in tetano, colica ſpaſmodica, epilepſia, dyſuria, et gonorrhoea virulenta ſubinde apparet. In cadaveribus adeo ſaepe adhuc animadvertitur.

*) vid. *Aretaeus Chronic. paſſiow. L. I. c.* 7.

**) vid. Cl. *Chriſti. Ludov. Bilfingeri L. de Tetano. Sect. I.* §. 19.

***) vid. *Zacut. Luſitan. Prax. admirand. L. III. obſ.* 118.

§. 487.

Quod denique ad *Convulſionem* attinet, hoc quidem nomine anteceſſores noſtri σπασμὸν latine appellare conſueverunt, ipſique Graeci ſub hac voce iſtam quoque comprehendunt, uti multi adhuc faciunt; at quidam tamen, aetate noſtra, illud majori jure deſtinarunt proprie illi ſpaſmo, ſive violentae muſculorum contractioni, quae cum aeque violenta extenſione perniciter alternat, integris ſenſibus. His enim ſuppreſſis, Epilepſiae nomen affectus adipiſcitur.

Modo vero acuta et breuis, modo longa, tumque vel continua vel periodica eſſe Convulſio conſuevit, ac vel cuncta membra ſimul tentat, vel ſucceſſive unum poſt alterum, aut ſingulares tantum partes. Eadem vel in alio fit morbo, vel per ſe talem facit; tamque violenta eſſe poteſt, ut oſſium luxationes et fracturae inde oriantur. Ipſius ſpecies autem eſt *Riſus Sardonius*, (quem cum ſpaſmo cynico non pauci confundunt *) muſculorum faciei et oris involuntaria convulſio cum riſu pariter involuntario, in quo aeque ac in naturali pectus, omneſque aliae partes, quibus riſus fit, commoventur, animus vero non gaudio, ſed dolore atque iracundia plerumque effertur **). Rarioribus affectibus

bus affectibus annumerandus eſt; et praeter communes cauſas maxime a vulnere diaphragmatis, ipſius inflammatione, ſuppuratione, et Ranunculo ſcelerato producitur.

Porro ad convulſiones, tanquam ſpecies, referenda ſunt tremor, ſternutatio morboſa, palpitatio cordis, atque chorea St. Viti; de quibus vero ſigillatim adhuc exponetur.

Dentium ſtridor, τρισμὸς graece dictus, muſculorum maxillarium eſt convulſio, quam hoc loco ſaltem indicare tamquam ſymptoma multorum acutorum morborum ſuffecerit.

*) Praeeunte quidem *Aretaeo Chronic. paſſion. L. I. cap. 7.*

**) Exemplum eſt apud *Iul. Alexandrinum* de *Salubr.* L. 19. c. 23. et in *Act. Helvet.* I. p. 47. unde clariſſime ediſci poteſt, quam male is riſus involuntarius cum ſpaſmo cynico confundatur.

§. 488.

Quamquam vero in hiſce generibus Spaſmorum (§. 481-487.) diverſimode omnino muſculi afficiuntur; ſcire tamen licet, ſingula iſta non admodum ſpeciales cauſas agnoſcere, unde producantur, ſed communes et univerſales; cuiusmodi ſunt ſuperflua vacuatio, neceſſariae vacuationis ſuppreſſio, febris magna, angina, venena, draſtica, ambuſta, vulnera, punctiones nervorum, tendinum ex orbita ſua diſtractiones, luxationes, fracturae, caſus in poſteriora, partus difficilis, pituita primarum viarum copioſa, corrupta, verminoſa, vermes ventriculi ac inteſtinorum effractores, materia podagrica exanthematicaque regreſſa aut retenta, vehementiora animi pathemata, affectiones hypochondriacae, hyſtericae, arthriticae, melancholicae, et haemorrhoidales, ebrietas, inedia, frigus, encephali vitia bene multa in menyngibus, vaſis, ipſoque parenchymate

chymate per anatomen detecta, et colluvies ſeroſa circa medullam ſpinalem, et caries vertebrarum.

Obſtructiones nervorum, eorundem nimiam rigiditatem, lentorem fluidi nervei, hujusdemque dyſcraſiam nolim in cenſum referre cauſarum efficientium, quum nihil eorum vere demonſtrari queat, ſed inanibus duntaxat ſpeculationibus ſuffulciatur.

§. 489.

Nonnunquam ſpaſmi repente hominem adoriuntur, nonnunquam vero praenuntios quosdam habent, qui illos praeſignificant, veluti vertiginem, tinnitum aurium, oſcitationes, tremores, palpitationes cordis, praecordiorum anxietates, dolorem ſpaſticum ſub proceſſu ſterni enſiformi, inflationes, veſicae urinariae aniue teneſmoden conſtrictionem, aurae frigidae aut formicationis in artubus ſenſationem. Solutio vero paroxyſmorum ſub vociferatione ac ejulatu non raro contingit. Finito paroxyſmo ingens laſſitudo et ſtupor aliquis in membris relinquitur: aliique etiam animo delinquunt, alii ſoporoſi evadunt.

Eventus autem qualiumcunque graviorum ſpaſmorum, (quam vocem in latiore ſenſu hic ſumo) anceps eſt, inprimis acutorum et continuorum.

Magis horrendi ſunt ſpaſmi qualescunque ex inanitione, quam ex repletione, vixque ulla medicinae ope ſanabiles. Hinc poſt graviſſima vulnera, et poſt quamvis aliam ſanguinis immenſam profuſionem, poſt acutas febres, ac inediam, et ſumme exhauſtis viribus, fere ſemper letiferi. Funeſtiſſimi etiam a lumbricis effractoribus et veneno.

Senſus etiam ſuppreſſi majus periculum in omni ſpasmorum genere, quam integri, oſtendunt.

Tetanus

Tetanus cum ſuis ſpeciebus magis exitialis eſt, quam cetera ſpaſmorum genera: idemque primo jam die occidit, aut intra hunc et decimum quartum plerumque; ſic nempe, ut et poſt hunc quidam adhuc intereant *). Certumque exitium eſt, ſi mens in furorem agitur.

Qui ſubito febricitantibus, ſine ullis praecurrentibus ſignis, accidunt ſpaſmi, vomitum bilis praeſignificant; quo facto, conquieſcunt.

Qui quartum vero diem in acuta febre tranſcendunt, aut in ſtatu morbi ſe efferunt, itemque cum comate aut phrenitide, perniciem oſtentant.

Et ſpaſmus in empyicis ac ſumme languidis obortus mortem praenunciat.

Qui ex temporum intervallis recurrunt ac diu affligunt, in alios morbos, inſaniam, melancholiam, paralyſin, apoplexiam, ac epilepſiam plerumque tranſeunt, aut tales morbos tamquam comites accerſunt: e quibus duo poſtremi, quod perimnut, peſſimi.

Febris autem ſuperveniens ſpaſmis, eos non raro ſolvit, interdum vero internecionem quoque affert. Alias a luculenta quadam excretione aut exanthemate ipſorum ſolutio expectanda eſt.

Convulſionibus equidem infantes frequentius laborant, quam adulti, ſed facilius quoque easdem ferunt, ac reſtituuntur; niſi acutiſſima et maligna febre capti ſint. Pronior etiam eſt ſequior ſexus, quam nobilior, ad ejusmodi affectiones.

*) vid. *Hippocrat. L. III. de morb.* p. 491. et L. *de intern. affect.* p. 592. *Ioſeph. Lieutaud Synops. Prax. medic.* p. 154.

§. 490.

§. 490.

Praevisis causis tam multis atque diversis, vnde spasmi cujuslibet generis producuntur (§. 488.); praevisis etiam eorundem discriminibus (§. 483-487.), ac eventibus diversis (§. 480.); haud difficulter intelligitur, non omnes illos sanationem recipere, neve remedia quidem postulare, neque eadem omnibus conducere. Quapropter legitima eorundem medela in eo vertitur, ut ad causarum quam accuratissime indagatarum remotionem, quoad licet, a medente respiciatur: id quod vero an detrahentibus, aut replentibus, aut corrigentibus et quibus, aut denique chirurgicis auxiliis fieri debeat, judicio ipsius limato relinquendum.

§. 491.

Itaque, si superflua vacuatio spasmum fecit, hanc idoneis remediis protinus oportet coercere, et deinde corpus cibis euchymis et eupeptis iterum replere; si necessariae vacuationis suppressio, hanc per sua remedia revocare; si febris magna, temperantia exhibere et quae ipsam materiam febrilem alterare valent, itemque sanguinem mittere, alvum ducere, vomitiones excitare, et sic porro; si angina, revellentia omnis generis admovere (§. 188. n. 3.); si venena, antidotos, aut vomitoria; si purgantia aut emetica drastica, theriacam et ex his parata medicamenta ingerere; si vulnera, si nervi puncti, si tendines incisi aut semidiscissi, partes emollientibus ac relaxantibus sedulo fovere, aut pro re nata cultello dissolvere; si tendines ex sua orbita dimoti, si ossa fracta aut luxata, eadem decenter reponere, et luxatis quoque relaxantia applicare; si partus difficilis, eundem, quoad licet, accelerare, clysteres oleosos saepe in alvum infundere, sanguinem e vena educere, et potiones ex selectis antispasmodicis, quae infra nominabuntur, in intervallis exhibere; si pituita primarum

rum viarum et vermes in causa sunt, emetica, purgantia, et anthelmintica dare; si materia exanthematica regressa aut retenta, selectioribus diaphoreticis, camphoratis, epispasticis vel etiam cucurbitulis uti; si animi pathemata vehementiora, nervis alium characterem et menti aliam ideam imprimere; sin alii morbi spasmos accesserunt, iisdem idoneis remediis succurrere; si ebrietas, aquam frigidam, aut caldam, aut lac praebere, et clysteres quoque iniicere; si inedia, corpus delibatis potibus ac cibis replere et vires repente reficere; si frigus denique, frictiones pannis calidis, cum infusis diaphoreticis, et, si speciales partes spasmo tentantur, fotus ex emollientibus ac nervinis rebus admovere.

Ceterum in permultis casibus opportunum est, naribus spirituosa submovere, medullam spinalem et ipsas partes laborantes unguento emolliente perfricare, clysteres oleosos infundere, artus, in quibus aurae frigidae sensatio spasmum praenunciat, ligaturis constringere, aegros in balneum calidum aut frigidum demittere, et, si deglutire valent, liquorem cornu cervi succinatum, spiritum bezoarticum Bussii cum liquore minerali anodyno Hoffmanni mixtum, essentiam ambrae, aut moschum cum aqua epileptica Langii, et, si sensus vigent, opiata subinde propinare; postremo, si mens alterata est aut sensus aboliti, magnos strepitus et fragores per tympana, tubas, tintinnabula, pulveremve pyrium excitare.

Convulsiones infantum saepe emetico ex sulphure antimonii, quod auratum dicunt, cum aliquot moschi granis dato, brevi conquiescunt.

Denique vero in omni spasmo protractam meditationem, desidiam, frigus, aestum, iram, terrorem, tristitiam, metum, cruditatem, et quidquid vires consumere potest, vitare oportet.

RAPHA-

RAPHANIA.

§. 492.

Est praeterea morbus spasmodico - convulsivus vulgo dictus (*die Krampfsucht*, *Kriebelkrankheit*), qui subinde, at fere ut pestis rarissime, per populum grassari consuevit, et plures civitates, vicus, pagos, regiones paullatim invadit *); quem cum Ill. *Linnéo* simplici Raphaniae nomine insignire placet, non quidem, ut causam ejus efficientem talem esse credam, qualem is reperisse sibi visus est **); sed, ut brevissime saltem ac uno verbo morbum appellare possim, qui sic deprehenditur.

Extrema initio stupor, dorsum dolor occupat, cum sensu punctionis atque formicationis per totum corpus. Aliquamdiu post membra modo obrigescunt, modo convelluntur, modo contrahuntur, oculis simul rigidis aut distortis, oreque saepe distracto, pharynge constricto, revulsaque lingua. Musculi omnes vehementer dolent, sic, ut aegri quidam prae dolore vociferentur, quin adeo delirent, ac furibundi huc illuc, nisi vinculis coerceantur, discurrant, gravesque sibi injurias inferant. Alii visum perdunt, alii rationem, sic, ut vel stulti, vel melancholici, vel maniaci evadant. Interdum quoque febris atque bulimos se immiscent. Multique praeterea aegri nausea et vomitione torquentur: multis alvus per totum morbum fluit. Artus post repetitos motus convulsivos subinde intumescunt, saepeque etiam vesiculae aqueae ac tubercula, aut exanthemata miliaria in iisdem exsurgunt. Quibusdam sanguis ex naribus fluit, aut ex pulmonibus rejicitur. Aliis ungues de digitis decidunt extremorum. Paroxysmi semel, bis, ter et amplius de die redeunt, ac intra unam aut duas horas iterum decedunt, sudore et sopore saepissime succedente, ac stupore superstite. Atque haec tota

ta affectio modo cito intra primam hebdomadem, modo tarde intra unum vel duo, quin plures menses finitur, sic, ut multi quidem pereant, alii vero, servata vita, in alios nervorum morbos, epilepsiam, mentis affectiones, paralyses, tetanum, aut in phthisin conjiciantur, aut denique salubriter per sudores atque scabiem judicentur. Multis, finito morbo, vertigo, amblyopia, coecitas, auriumve tinnitus aliquamdiu remanet. Aliquando etiam prior morbus recurrit; hujusque praesagium voracitas exhibet.

*) vid *Gregor. Horstii Oper. med. T. II. L. VIII. obs.* 22. de morbo convulsivo maligno et epidemio, qui a. 1596. et 1597. per Hassiam, Westphaliam, episcopatum Coloniensem, et vicina loca saeviit, et post aliquot lustra iterum in Hassia grassatus est. *Gottlieb Budaei Consil. medic. von der Krampfsucht oder Kriebelkrankheit, welche an unterschiedlichen Orten im Churfürstenthum Sachsen und dem Marggrafthum Oberlausitz grassiret.* Budissin 1717. 8. *G. W. Wedel* et *I. C. Wolff* diss. *de morbo spasmodico epidemico maligno in Saxonia, Lusatia, Pomerania, vicinisque locis a.* 1716. *et* 1717. *grassato et adhuc grassante.* Ien. 1717. *W. H. Waldschmied* diss. *de morbo epidemico convulsivo per Holsatiam grassante*, Kil. 1717. *Act. Vratisl.* 1717. M. Iul. p. 87. 90. seq. M. Decembr. p. 397. *A. Vateri* diss. *de morbo spasmodico populari Silesiae.* Vit. 1723. et Poloniae, in territorio Moscowiae ac Niesnae, observante G. *Schobero Act. Vratisl.* 1723. M. Ian. p. 37. *E. Rosen* diss. *de morbo spasmodico convulsivo epidemico* (in Elfsborgensis provinciae territorio Kindensi a. 1746. et 1747. grassante) Lond. Goth. 1749. *P. I. Bergii Förſök til de gångbara Sjukdomars utrönande, för år* 1754. *och* 1755. Stockh. 1755. ubi epidemicus morbus, qui in Smolandiae prouincia Cronobergensi, et in Blekingia circa Carlshamn saeviit, describitur.

**) Diss. *de Raphania*, Upsal: 1763. quam invenies in Ill. aut. *Amoenit. academ. vol. VI.* p. 430. seq.

§. 493.

§. 493.

Atqui vero truculenta haec lues omnis contagionis expers esse videtur; tametsi nemo fere non, praeter infantes lactantes, eidem subjectus est.

Maxime autem letiferum symptoma linguae revulsio est, et opisthotonus.

Agrypnia continua diuturniorem ac minus tolerabilem morbum prodit. In longum autem protractus in epilepsiam plerumque transit.

Recidivans difficilem sanationem recipit.

Mens qualitercunque alienata perraro ad integritatem suam revertit.

§. 494.

Quemadmodum morbus fatalis ac epidemicus non potest non ab universali quadam causa proficisci; perdifficile tamen est, eamdem reperire. Certe in mucilagine et vaporibus venenatis impuri et male cocti panis, in seminibus loliaceis aut raphani raphanistri, frumento intermistis, in clavis ejus secalinis, in prava aeris constitutione, inque larvis insectorum frumentum depascentibus ea perperam adhuc quaesita fuit *); utique, quum exempla prostent de hoc morbo in unico saltem homine observato **), quem ab inquilinis prorsus causis oportebat proficisci. Quapropter existimamus, omnes causas materiales, quae spasmos excitare valent, etiam vim habere, Raphaniam nunc in multis, nunc in paucioribus, nunc vero in unico homine suscitandi.

*) Plerasque illas hypotheses solide jam refutavit Cel. *Eberh. Rosén diss. cit.* etiam novissimam in textu

allegatam, quae rusticum territorii Kindensis autorem habet. Quod autem ad illam attinet, quam posthaec Ill. *Linné* diss. *de Raphania* proposuit de semine raphanistri, inter hordea, unde rustici Suecani panem coquunt, aliquando nimis copiose aestate humida crescentis, tamquam morbi hujus epidemici causa vera et communi; ea praeter levem aliquam probabilitatem nihil prae se habet, quod ipsi faveat, quum non nisi inopinato casui de letifera Meleagridis convulsione, in cuius ingluvie nonnullae siliquae hujus plantae repertae fuerunt, innititur. Certe, priusquam pluribus experimentis in animantibus hujus seminis omnino acrioris venenata virtus fuerit confirmata, illud pro efficiente causa Raphaniae haberi, me quidem judice, haud potest; quamvis ill. autor permultis speciosis argumentis sententiam suam probare annisus fuerit.

**) vid. *Hier. Ludolffi* et *I. Wilb. Woellneri* diss. *sistens casum novi morbi spasmodico convulsivi, rigidi dicti.* Erf. 1727.

§. 495.

Tametsi vero legitima morbi causa nondum potuit reperiri; non ideo tamen is pro incurabili censendus est; quum satis sit, nosse, quod miasma acre, cujus documenta ex historia morbi abunde patent, qualecunque illud demum sit, humoribus inhaereat, et ad encephalum, ad nervos, atque musculos delatum alienationem mentis, certe stuporem, atque violentos motus in corporibus excitet, atque correctionem non minus quam expulsionem a medentibus desideret. Vtrumque autem praestari posse absque causae antecedentis cognitione, manifestum est.

Igitur euacuationem optime praestant radix jalappae in pulvere quarto quoque die data, et duo vesicatoria in suras vel brachia conjecta, inque nouis sedibus post exsiccationem denuo excitata, vt perpetuus effluxus humoris

moris morbidi e corporibus efficiatur. Pueris et infantibus Sinapismi in istorum vicem commode substituuntur.

At correctionem iuxta atque expulsionem praestat radix imperatoriae ad dimidiam drachmam bis vel ter de die data; quae in multis simul vomitum cum euphoria mouet.

Fortassis etiam lac tamquam summa antidotus ad curationem prodest, quum infantes lactantes a morbo immunes maneant.

Sanis ceterum prospiciendum tum purgante medicamento intra mensem bis exhibendo, tum aceto bezoartico ex radicis angelicae, imperatoriae, carlinae singularum uncia dimidia, et aceti libris duabus parato: de quo adulti mane et vesperi cochlear plenum, pueri dimidium hauriant.

Atque quum denique epidemicus h. e. communis morbus haud dubie a communi causa siue interna siue externa proficiscitur; et suspicio quaedam in semina venenata cadere potest, secalinis ac hordeaceis, vnde panem conficimus, intermista; securum omnino est, licet forte superuacuum, ista a prioribus sollicite repurgare, haecque postea animantibus domesticis ad deuorandum exhibere; quae, si in similes affectiones ac homines incurrant, nocivam rem quam luculentissime proditura sunt medentibus.

EPILEPSIA.

§. 496.

Vehementissima corporis distentio convulsiva morbus sacer siue comitialis est, quem ἐπιληψίαν Graeci vocarunt. Homo eadem comprehensus subito concidit,

dit, omnium ſenſuum atque mentis functionibus interceptus: membra in dextra aut ſiniſtra parte, frequentiſſime vero in vtraque mirifice una cum capite quatiuntur: digiti aut ſaltem pollices in pugnum contrahuntur: ex ore ſalivae ſpumoſae viſcidaeque extorquentur: dentes ſubinde ſtrident: vox obſcura eliditur aut prorſus deficit: cor palpitat: reſpiratio cum difficultate quadam ſuffocatoria peragitur: deglutitio quaſi quaedam perpetua ac involuntaria exauditur: oculi pervertuntur: urina, ſtercus, genitura interdum praeter voluntatem exprimuntur. Interpoſito tempore aeger ad ſe redit, et per ſeipſum languidus, pallens, puſillanimis ac contriſtatus conſurgit.

§. 497.

Id genus plerumque per circuitus, nunc rariores, nunc frequentiores, atque lunae ſaepenumero reſpondentes, revertitur: et in nonnullis duntaxat noctu. Idem longum etiam eſſe ſolet, at vitae non periculoſum, quod vsque ad mortis diem hominem comitatur. Qui vero aetate parvula corripiuntur, plerumque intereunt.

Longum etiam malum in alios morbos tranſit, maniam, paralyſin, aphoniam, ſtrabismum, coecitatem, ſurditatem, apoplexiam; tumque vel ceſſat prorſus, vel adhuc perſiſtit, cum aliquo mentis ſtupore; quam alias quoque per ſe inducere conſueuit. Interdum os, aut cervix, aut manus contracta relinquitur.

Viciſſim etiam morbis neruorum variis ſuperuenit, ac mortem plerumque adfert.

§. 498.

A vero haud multum abeſt, epilepſiam fieri non poſſe ſine diatheſi quadam in neruorum ſyſtemate, a proca-

catarctica quidem causa aliqua suscitata: quarum omnino variae exsistunt satis luculentae. Diathesis vero ipsa obscura est. Quamquam enim in encephalo epilepticorum permulta ac diuersa vitia subinde occurrant, velut ichores, abscessus, menynges putridae, colluvies serosa inter has et alibi in encephalo, sinus venosi indurati, cartilaginei, infixae spinae, depressiones cranii, exostoses in interiori tabula; haec cuncta tamen, quum saepe adsunt citra epilepsiam, haecque vicissim adest sine illis, non possunt absolute ac immediate morbum producere; sed occulta quaedam dispositio neruorum tamquam causa huius morbi principalis statuenda est, quae accedentibus demum illis occasionibus morbum ingeneret.

Ita vero esse, ex eo manifestum fit, quod epilepsia saepenumero est haereditaria affectio; quod a levissimis causis, velut titillatione pedum, in nonnullis excitatur; quod, quo sensibiliores nervi existunt, quales in junioribus deprehenduntur, eo magis pronum est corpus in eundem morbum: vnde distentio gingivarum a praerupturo dente, et ventris tormina frequenter istum in tenellis producunt; contra vero adulti ab eiusmodi irritamentis, et his quoque fortioribus, nullatenus afficiuntur. Porro etiam nutrix grauiori ira aut terrore perculsa proli suae saepe ac subito morbum cum lacte infundit, dum ipsa nihil patitur. Quapropter, quum sub aetatis incremento nimis tenera illa ac irritabilis nervorum qualitas emendatur, ipse morbus hactenus rebellis non raro cessat. Quo quisque vero adultior hoc morbo corripi incipit, eo difficilius ille sanatur; siquidem in hujus corpore validam fuisse causam necesse est, quae istum produxerit, dum in junioribus etiam a levissima inferatur.

Neque vero praedisponens causa vbique videtur ad-

ſumenda eſſe. Poteſt enim grauior encephali laeſio, poteſt exinanitio ſanguinis, vt nonnunquam v. c. in parturientibus contingit, poteſt venenum acre ventriculum erodens, poteſt denique laceratio ventriculi aut inteſtinorum a lumbricis effractoribus, et immanis terror, etiam in validiſſimis corporibus epilepſiam producere ſine ulla diſpoſitione.

§. 499.

Enimvero inter cauſas procatarcticas hactenus recenſitas memorandae adhuc ſequentes veniunt: pituita ſanguinis ac inteſtinorum corrupta, verminoſa, vehemens dolor colicus, partus difficilis, imaginatrix vis ingens, paſſio hyſterica, ebrietas, venus, bilis atra, ſanguis, ichor, exanthemata intercepta, ulcera improvide reſiccata, febres intermittentes ſuppreſſae, meditatio profunda, inedia, lac acre, et omnes violentae nervoſi generis adfectiones. Praeterea obſervatio docet, nonnullas mulieres, dum conceperunt, fieri epilepticas.

§. 500.

At fomes morbi videtur modo in cerebro, modo in ventriculo, eique annexo tubo inteſtinali, modo in diſtantioribus aliis latere ſedibus, e quibus furtim deinceps per nervorum ductus ſerpit ac progreditur. Hinc vero tres differentiae Epilepſiae conſurgunt: quorum una cerebro, altera ventriculo ac inteſtinis aſſignatur, tertia alterius cuiusque partis conſenſu fit.

Quae in cerebro vel medulla quoque ſpinali deliteſcit, ex eo cognoſcitur, ſi capitis gravitas atroxve dolor, et ſenſuum mentisque ſtupor aut tarditas urget, et turbulenta inſomnia adſunt, et facies pallet, ipſaque acceſſio, vel nulla prorſus ſymptomatum praeſentia,

homi-

hominem repente occupat, aut destillatio quasi quaedam a capite in pectus, et inde in ventriculum decidua praecedit. Quam ergo idiopathicam recte cognominamus.

Altera, quae originem a ventriculo ac intestinis sumit, praegressores habet harum partium dolorem, distentionem, compunctionem, et difficilem inediae tolerantiam; cumque circuitus proxime imminet, nauseam, cardialgiam, animi deliquium, et, quamuis raro, calidioris aurae e ventriculo adscendentis sensationem; cumque desierit, vomitionem pituitae aut bilis.

Tertia species saepe a pede, manu, brachio, aut digitis singularibus extremorum, interdum etiam ab utero, inprimis gravido, aut ex infimo ventre, principium ducit. Haec etiam ab alia quavis parte proficisci potest. Visa enim est, quae a summo capitis vertice originem haberet, de quo vapor quaquaversum excurrens, si per externas solum partes vagabatur, vertiginem, si intro in encephalum penetrabat, epilepsiam cieret.

§. 501.

Curationem prorsus non admittit epilepsia, quae ab haereditate est; quae ab encephalo male conformato aut corrupto (nisi istud vitium tollere possis); et quae denique ex praemagna sanguinis vacuitate repente oritur. Nec servari possunt parturientes, quae ad singulos dolores, ad absolvendum partum summe necessarios, convulsionibus corripiuntur, dolores istos suffocantibus. Vix etiam sanescit, qui ex improviso concidit, neque ante in partibus aliquem venientis mali sensum habet; et qui ex vehementi terrore epilepticus factus est.

Facilius autem curatur, qui ea specie laborat, quae ex consensu fit; qui ex superflui sanguinis retentione,

 aut

aut excretione humoris morbidi ſuppreſſa, in epilepſiam eſt conjectus. In priori ergo caſu expeditiſſimum eſt remedium viſcus quernus, cortex Peruvianus, et folia mali aurantiae; quae cuncta videntur roborante quadam facultate nervorum imbecillitati ſuccurrere, ac ſimul corporis ſuccos emendare. In reliquis ſanguinis evacuationes qualescunque, ulcera artificialia diverſi generis, lignum ſanctum in decocto ſaturato, oleum animale Dippelii, itemque ligni buxi et heraclini, porro radix imperatoriae, anthelmintica, vomitoria, purgantia, ligaturae artuum, unde aurae cujusdam adſcenſus ſentitur, juxta exercitationes frequentiores proficiunt.

Ceterum felix quisque epilepſia chronica laborans pronuntiandus, in quo ulcera ſponte vel ex accidenti ſubnaſcuntur; aut quem febris quaedam, inprimis quartana, aut dyſenteria comprehendit. His enim ſupervenientibus, auſpicato liberari poteſt.

Denique non alienum puto, ſpecifici cujusdam medicamenti adverſus epilepſiam chronicam mentionem facere, quod venereae indolis eſt, et ita paratur. Arbritaria quantitas Vitrioli de Cypro aqua pluviatili ſolvitur in catino terreo, ſuper leni igne; ſolutio per chartam bibulam trajicitur, eidemque poſtea ſpiritus ſalis ammoniaci vulgaris ad ſaturationis punctum inſtillatur; quo miſcela elegantiſſimum colorem cyaneum adſumit. Poſt aliquot horas ſpiritus vini rectificatiſſimi ſufficiens quantitas adfunditur, quo liquor protinus conturbatur; deinde interpoſito tempore in fundo vitri ſe repraeſentant criſtalli minutae, elegantiſſimi coerulei coloris, quae deinceps mediante charta bibula ſeparandae, et in vitro probe obturato ſervandae, quum ſapphirinus color ab aeris acceſſu deſtruitur ac in viridem permutatur. Atque hujus ſalis grana quatuor pueris exhi-

exhibentur, adultis autem plura ad ſcrupuli medium. Etiam filtratus liquor cyaneus in ſimilem vſum adhiberi poteſt a viginti guttis ad octoginta ſucceſſive adſcendendo. Unica ſaepe doſis pulveris ſufficit; interdum vero plures requiruntur. Utraque medicina vix ſine nauſea atque vomitu operatur.

Atque haec fere ſunt adverſus epilepſiam longam remedia. Brevis enim, quae nonnullos morbos, ut dentitionem, dolores univerſim vehementes, variolas, febres acutas, tamquam ſymptoma comitatur, aut a veneno hauſto, aut gravi capitis aliarumque partium vulnere proficiſcitur, aliis remediis tractanda eſt, quae non tam epilepſiae, quam ipſi morbo principali ejusque cauſae opponuntur.

§. 502.

Denique epilepſia laborantem fugere utique oportet cum cruditatibus, ſolem, balneum, ignem, frigus, vinum, liquores ardentes, laſſitudinem, ſolicitudines, negotia omnia, locique praecipitis omniumque terrentium conſpectum.

CHOREA VITI.

§. 503.

Equidem non tam aſpectu horrendus eſt viti ſaltus, quam epilepſia, ſed aeque miſer tamen morbus, ad quem deſcribendum nunc venio. Homo repente ad ſaltationem, ac ſimul plerumque ad riſum cogitur citra voluntatem. Manus, pedes vel unius duntaxat lateris, ac plerumque ſiniſtri, vel utriusque, una cum toto corpore tam mirifice, tamque celeriter commoventur, ut nec exercitatiſſimus geſticulator praeſtare id poſſe videatur,

tur, tantaque ſimul vehementia, ut vix a robuſtiſſimis hominibus afflictus poſſit componi ad quietem. Atque ejusmodi ſaltationes modo in diſtans fiunt, modo in altum. Quidam vero ſaltus non faciunt, ſed ad curſum ſaltem ſub praemagna praecordiorum anxietate concitantur *); unde epilepſiae procurſivae nomine a quibusdam ſalutatur morbus. E geſticulatoribus quidam ſub choreae acceſſione potum deglutire non valent, ſed ſuborta tuſſi per os et nares rejiciunt. Alii iſtum quidem deglutire poſſunt, at non niſi inter miras geſticulationes poculum ori admovendo, neque recta linea id ad os deducendo, ſed diducta ſaepius a ſpaſmo manu huc illuc aliquamdiu verſando, donec tandem forte fortuna labris propius illud admoventes, liquorem derepente infundunt, avidiſſimeque deglutiunt. Mens in inſultu non uno modo ſe habet, dum in aliis alienata eſt, aliis vero recte conſtat.

Ipſe paroxyſmus tam intuitu frequentiae, quam durationis diverſus eſt, ſiquidem vel ſingulis diebus ſemel, bis aut ſaepius, vel longiore intervallo recurrit, et nunc intra dimidiam horam, nunc longius vel brevius finitur. Rariſſime per hebdomadem et ultra ſine ulla fere intermiſſione perdurat. Finito inſultu aegri prae defatigatione pedibus inſiſtere vix poſſunt, ac undiquaque ſudoribus diffluunt. Quidam adeo ſub praelongo paroxyſmo moriuntur **).

*) vid. *Tulpii Obſ. L.* I. 16. *Arnold. Boot Obſervat. de affect. omiſſis.* c. VI.

**) Caſus de hoc Viti ſaltu videſis in *Eph. Nat. Cur. dec. II. ann.* 3. *obſ.* 69. *dec. III. ann.* 3. *obſ.* 181. *Plateri obſerv. L. I.* p. 87. 88. *Barth. Martini diſſ. exhib. caſum de chorea St. Viti*, Argent. 1730. *Heiſteri medic. Wahrnehm.* p. 797. *Caſes of the Epilepſie, hyſteric fits, and St. Vits dance*, by *I. Andrée*,

Andrée, Lond. 1746. 8. *Iournal de Medec.* M. Ian. 1761. M. Maji, 1763.

§. 504.

Is morbus in ſe longus eſt; et tam in junioribus, quam adultioribus obſervatur; adeo, ut, quod *Sydenhamus* adſtruit, eum a decimo tantum aetatis anno usque ad pubertatem homines prehendere *), experientiae refragetur.

Eſt autem ille ſingularis convulſionis ſpecies, quem legitimae convulſiones ſubinde quoque diu ante praecedunt **). Hinc minus recte *Platerus* cum *Tulpio* ad inſaniam, ***) *Meadius* ****) et ante hunc *Doverus* ad paralyſin eumde retulerunt *****); perinde ac *Iunckerus*, qui pro analogo Hydrophobiae venditavit ******).

*) *Opp.* p. 743.
**) *Plater. l. c.* p. 788.
***) *ll. cc.*
****) *Monit. et praec. med.* Cap. II. Sect. II. p. 40.
*****) *The ancient Phyſician's legacy to his country*, p. m. 45.
******) *Conſpect. Medic. theoret. pract. tab.* CXXIII. p. 941.

§. 505.

At frequentiſſima ejus cauſſa vermes ſunt: quibus ideo euporiſta opponenda. Ad haec vero maxime nervinis et antiſpaſmodicis opus eſt, inprimis viſco querno, aut cortice Peruviano, aut oleo animali Dippelii; praeterea purgantibus, praeſertim ſale mirabili Glauberi, radice bryoniae, aut tinctura catholica Londinenſium; neque non vomitoriis. Subtilior materies, quae nervis inhaeret, per cutis poros maxime eliminari debet

bet vel cantharidibus in cutem conjectis, vel igne electrico.

STERNVTATIO MORBOSA.

§. 506.

Interdum sternutatio proprium morbum efficit, et attentam observationem desiderat; quum nempe diutius, quam par est, ac simul inaniter plerumque, affligit et per plures horas, dies, hebdomades, imo adeo menses absque intermissione fere continuat, et per intervalla quoque instar periodici morbi revertitur: summus languor et syncope demum producuntur, quid? quod coecitas et convulsiones, et hemiplegia, et mors ipsa suboriri possunt *).

*) Exempla sternutationum immodicarum lege in *Misc. Nat. Cur. Cent.* V. p. 32. *Dec. I. ann.* 3. *obs.* 138. *Dec. II. an.* 8. *obs.* 152. *Act. Nat. Cur. vol. IX. obs.* 43. *Horstii L. V. de morb. mulier. obs.* 51. *Salmuthi observ. Cent. I.* 93. *Hildan. Cent. I. obs.* 24. *IV.* 12. *Cardan. Comment. in Hipp. aphor. V.* 47. *Famian. Stradae L. III. Prael. IV.*

§. 507.

Abditae sunt plerumque causae ejusmodi rariorum et crebrarum sternutationum. Ex cognitis autem haemorrhagiae naturales retentae, repressa scabies, ingluvies, abscessus super cranio absconditus, et catharrhus acris occurrunt. Alias anguem sub herba suspiceris; nisi post amplexus venereos, ut accidere nonnullis solet, aut ex venerea cogitatione conspecta pulcra muliere tales continuae ac vehementes sternutationes oriantur.

§. 508.

§. 508.

In curatione ad ſuppreſſas excretiones ſive naturales ſive morboſas reſpiciendum eſt, et opportunis remediis ubique ſuccurrendum: ſin autem cauſſa non cognoſcitur, evacuantibus varii generis utendum. Ceterum lac tepidum frequenter in nares trahi, et opiata intus dari convenit.

TVSSIS CONVVLSIVA.

§. 509.

Vehementiſſima omnium tuſſis convulſiva ſeu ferina attentionem nunc meretur ſingularem, quum per ſe morbum efficiat. Adſtricta ea maxime eſt aetati infantili atque puerili, et cuivis anni tempori, quo repentinae frigoris et caloris viciſſitudines, tempeſtates pluvioſae, ventique frigidi corpora diu affecerunt; populariterque tum haud raro, at ſine contagio certe, graſſatur, et ad duas minimum hebdomades, plerumque vero ad unum menſem, quin plures protrahitur, multosque omnino jugulat. Initium per primam hebdomadem admodum leve eſt, ut a tuſſi catarrhali vix differat; poſt vero ea increſcit, et fere ſingulis horis tanta concuſſione, etiam ſaepius in his, adfligit, ut facies humoribus turgeat, et violaceo quaſi colore ſuffundatur, labiaque liveſcant, et ex oculis prominentibus lacrymae, ex naribus pituita copioſe deſtillet. Tuſſis ipſa clangori quaſi aſinino ſimilis, per aliquot temporis minuta et longius durat, exſpirationem ſaepiuſcule retinet, et ſuffocationis metum in quolibet paroxyſmo graviore facit. Sub finem ejus pauxillum humoris mucoſi, admodumque tenacis, extunditur. Antequam vero tuſſis erumpat, titillationem quandam in faucibus

et

ſcrobiculo cordis miſeri experiuntur, quam quidem tusſicula elidere per intervalla conantur, nequaquam vero ſupprimere valent; unde tandem violenta atque ſuffocativa quaſi ſuccuſſio ſequitur. Quidam ſub initio ejusdem anxie per conclave decurrunt, tandem caput parieti adponunt et ſic vim tuſſis ſuſtinent: inter quam non raro ſtomachus, pituitam cum levamine excutiens, ſubvertitur, frigidusque ſudor e facie erumpit.

Atque haec fere ſunt ordinaria ſymptomata, quae clangoſam tuſſim efficiunt. Multis vero praeterea ſanguis ex naribus, faucibus, aut pulmonibus erumpit, quin ex labiis, et vaſculis albugineae oculorum tunicae diſruptis. Aliis caput dolet cum vertiginoſa caligine, viſus obſcuratur, extrema frigent, facies aut totum corpus leucophlegmatico tumore turget, cor palpitat, ſternutationes frequentes accidunt, lotium atque ſtercus clam elabitur, ſingultus, et quodvis convulſionum genus accedit, et finito paroxyſmo copioſi ructus erumpunt. Interdum miſeri ſub acceſſione tuſſis, impedita inſpiratione, ſubito in terram concidunt, et ſic jacent quaſi mortui ſine ſenſu, ſine motu, et ſine reſpiratione. Porro urinae minguntur tenues, et alvus plerumque adſtricta et dura eſt.

Sub progreſſu morbi ſudores, diarrhoeae, exanthemata miliaria, ſcabies, parotides, aphthae oris, aliaque ulcuſcula in aliis ſedibus tam humida, quam ſicca ſalutariter, ſi ab aphthis receſſeris, generantur. Interdum, licet rariſſime, inter initia ſtatim ſuccreſcit febris, in aliis catarrhali ſimilis, in aliis intermittens in modum tertianae. Nonnullis aegris in decurſu pleuritis accedit.

§. 510.

Haec tuſſis, quae ſemel tantum hominem occupare creditur,

creditur, corpus magnopere delassat, et in aliis hernias excitat, in aliis vero gibberes; in aliis paralyses membrorum, aut memoriae ac judicii jacturam infert; itemque metastases ad ossa facit, quae inde cariosa fiunt. In gravidis abortus metuendus est. Permultos autem tabe vel pulmonum ulcere cum febre hectica, vel convulsionibus atque suffocatione in ipso paroxysmo necat. Universim vero, quo juniores, teneriores, atque imbecilliores aegroti sunt, eo in majori periculo versantur. Ceterum febris, et aphthae, et haemorrhagiae, et convulsiones, morbum periculosiorem reddunt.

§. 511.

Praeter haec notandum adhuc venit, quod epidemiae hujus tussis respectu vehementiae et malignatis inter se differant: quod tussis infantes a variolis grassantibus plerumque immunes praestet, correpti vero illis, usque ad exsiccationis stadium ab eodem liberi maneant, quo nunc vehementiore impetu et majori periculo affligantur: denique, quod aliquando febri scarlatinae ac morbillosae succedat, vel hanc etiam praecedat: itemque exanthematici et arthritici morbi suppressi, ulceraque praemature consolidata eandem inferant.

§. 512.

Lenita autem in universum haec tussis inde cognoscitur, si per longiora intervalla recurrit, atque breviori tempore finitur. Deinde quoque appetitus rediens et haemorrhagia narium extra paroxysmum declinationis notam exhibent. Ceterum totius morbi finis inde cognóscitur, si afflicti extra paroxysmos libere et sine roncho spirant, si nulla amplius febre corripiuntur, si bene appetunt, si tranquille dormiunt, sique alvum rite deponunt, sensimque vires recuperant.

Enim-

Enimvero in his, qui sanitatem recuperarunt, digestio laesa aliquamdiu remanet, quae atrophiae metum adhuc facit. Alios faucium tumores, inflammationes exulcerationesque vexant.

§. 513.

Ex memoratis symptomatibus et effectibus convulsivae tussis luculenter apparere potest, eam partim affectum esse catarrhalem, partim ex digestione depravata proficisci, partim etiam ab acriori lympha, citra omne aeris contagium. Quapropter etiam pectoralibus remediis non obtemperat, certe non solis, sed cum antispasmodicis, diureticis, diaphoreticis, emeticis, purgantibus ac vesicatoriis conjunctis; ad quae tamen cuncta non, nisi difficulter eam elidi sciendum est.

Ex his autem pectoralia oportet cum anodynis ac diaphoreticis perpetuo usurpare; purgantia vero sexto vel octavo quoque die, perinde ac emetica; quae cum prioribus etiam utiliter copulari possunt.

Prosunt itaque ex priori classe decoctum furfurum triticeorum, quod fere per totum diem calide ex patellis, adjecto pauxillo mellis, vel sacchari et lactis hauritur; vel, in ejus vicem, decoctum radicis chinae cum tertia vel quarta parte lactis remixtum: item elixir pectorale Wedelii ad tres partes, et spiritus nitri dulcis ad unam, inter se mixta, et quouis bihorio ad viginti, triginta guttas et ultra datum; aut potio ex aquae hyssopi unciis sex, elixir pectoralis Wedelii, liquoris cornu cervi succinati, singulorum drachmis tribus, syrupi de althea Fernelii uncia; quae cochleatim quovis bihorio assumenda; cui etiam aliquot grana Moschi addi possunt: item decoctum ex radicis altheae unciis duabus et aquae fontanae sesquilibra paratum, cui post

tertiae

tertiae partis conſumtionem ſacchari penidii vel ſyrupi diacodii uncia et plus adjicitur; quod omni hora ad patellam aut dimidiam ſaltem, frigide hauritur ac inprimis, quandocunque aeger ſtimulum ad novam tuſſim ſentit; quo ea optime demulceri poteſt. Nec decoctum corticis Peruviani, praeſertim in conſortio liquoris cornu cervi ſuccinati, inutile eſt. Adhaec unguentum pectorale commode pectori, aut, quod plus proficit, oleum ſcorpionum lumbis illinitur. Et ſanguinis miſſio interdum neceſſaria eſt.

Ex purgantium autem claſſe maxime ſeligenda eſt manna et ſcammoneum; ex emeticorum, ſulphur antimonii auratum, Kermes minerale, et oxymel ſquilliticum.

Specifica varia decantata praetermitto, utpote quae laudatam facultatem ſaepenumero haud exſerunt.

Denique, quod inter cibos acetaria quam maxime proſint, fideliter moneo.

TVSSIS STOMACHICA.

§. 514.

Neque tuſſis ſtomachalis praetervidenda eſt, quae perſaepe cum catarrhali, interdumque etiam convulſiva confunditur, a quibus tamen tum cauſarum, tum curationis reſpectu differt. Quemadmodum etiam inter vulgus inprimis tuſſis catarrhalis pharyngis aut pulmonum pro ſtomachica non raro venditari ſolet.

Vexat ea inprimis poſt paſtum, ac in vacuitate ventriculi, maxime tempore matutino et ad noctem. Stimulus autem tuſſiendi circa ſcrobiculum cordis aut ex hypochondrio ſiniſtro incipit; inque ventriculo praeſto

est digestionis vitium, sensus gravativus, etiam cum inflatione, cardialgia, anorexia, atque nausea; interdum etiam, licet rarissime, fames canina vrget. *) Conjunguntur etiam ructus et flatus copiosi, facileque in paroxysmo vomitiones fiunt; ac inter tussiendum sonitus ex profundo cum impetu et summo conatu emergit, sitis etiam vexat. Respiratio plerumque liberior est, ac in tussi pectorali; nullumque in pectore siue renisus, siue angustiae vestigium percipitur.

(*) vid. *Io. Gerh. Winther* diss. *de tussi stomachali, atque bujus mechanica*; Rintel. 716.

§. 515.

Haec tussis vel sicca, vel humida est, ac simul vel per se vrget, vel cum pectorali complicatur. Interdum etiam periodos seruat *). Pueris autem, et senibus, et lurconibus inprimis frequens est, et ubique diuturna, cumprimis, quum inepta ipsi remedia opponuntur, cujusmodi uniuersim pectoralia sunt, atque mucilaginosa. Et licet mitigata videatur, tamen subinde recurrit. Adhaec tertiana febre laborantibus, ac hypochondriacis familiaris est; vnde etiam hypochondriaca appellatur.

Habitualis et chronica facta ad ipsam phthisin ducit, totidemque malorum causa existere potest, ac convulsiva; saltem febrem lentam inducit.

*) vid. *Io. Gerh. Wintheri diss. cit.* §. 17. et *Mich. Ettmülleri Opp. T. II. P. II. obs.* 196.

§. 516.

Oritur ergo ea a saburra acri biliosa, acida, pituitosa, in ventriculo stabulante, eundemque vellicante; quae

quae praecipua ejus causa est. Deinde eam flatus in ventriculo inclusi, ossiculum aut nummus deglutita suscitare valent. A febre quartana etiam aliquando relinquitur. Aliud genus symptomaticum est, et ab hepatis tumore, a consumto hepate, a scirrho pancreatis, et abscessu mesenterii producitur.

§. 517.

Curatio hinc in priori casu tribus indicationibus absoluitur; quarum prima est, vt materia ad tussim irritans quandocyus per emetica et purgantia eliminetur; altera, vt ejusdem qualitas morbosa per commoda absorbentia atque resoluentia corrigatur, cujusmodi sunt inprimis radix ari, pimpinellae, ireos Florentinae; sales alcalini et medii, conchae calcinatae, ex quibus pulveres componi possunt; qui vtiliter etiam cum roborantibus et purgante aliqua re commiscentur; deinde quoque huc spectant pilulae de ammoniaco, spleneticae Sylvii, ejusdem sal volatile oleosum, elixir viscerale Hoffmanni, proprietatis, essentia gascarillae et similia; tertia denique, vt irritatio stomachi, atque vellicatio compescatur; id quod tum roborantibus, tum anodynis medicamentis inter se mixtis efficitur. Ceterum diaeta congrua, et equitatio ad sanationem multum confert. Ineptae res deglutitae optime emetico euerruntur.

Vbi cum catarrhali tussi coniuncta est stomachalis, huic iisdem remediis, ac conuulsiuae, succurrendum.

INCVBVS.

§. 518.

Incubus, graece ἐφιάλτης, grauis est, at breuis corporis oppressio et quaedam quasi suffocatio, quae

cum vocis ac loquelae interceptione noctu plerumque fit in insomnio anxio et profundo, in quo laborans vel ab hoste se invadi, vel ab aliquo venerem exigente et grauius pectori incumbente premi, vel absurdiora quaedam spectra insilientia et gravantia imaginatur et fingit. Quae omnia vero vix eveniunt, nisi homo in dorsum decumbens et declivi capite somnum capit; protinusque cessant rursus, ac in latus ille se convertit vel corpus erigit: remanente tamen tremore cordis, et terrore, et sudore, et ingenti lassitudine; maculis etiam hinc inde in corpore aliquando conspicuis sublividis, a stagnatione sanguinis subortis.

§. 519.

Adverterunt nonnulli, et ephialten quandoque epidemice grassari *), et subinde interdiu quoque adfligere **). Sed utrumque rarum est, et posterius hominibus in somnum inclinantibus duntaxat evenire existimamus, minime vero extra somnum. Atque talem incubum diurnum nosmet ipsi in viro aliquoties post prandium, quum somo in sedili indulgeret, observavimus.

*) *Cael. Aurel. Chronic. L. I. cap. III.*
**) *Rhodii Observ. Cent. I.* 54. *Smetii miscellan. med.* p. 547.

§. 520.

Plethora undecunque orta inprimis Ephialten infert; qui alias frequentius feminas, quam viros exercet, praecipueque tales, quibus vel non rite menstrua succedunt, aut quae spasticis adfectibus excruciantur. Alia causa pituita est, aut melancholicus humor circa praecordia inhaerescens, quo per crapulam, cruditatem, ingluviem, pervigilium, vel animi curam commoto, diaphragma et pulmones premuntur. Praeter haec

haec vero ſemper ſpaſtici quidquam in imo ventre aut thorace praeſto eſt, quod per inſomnium terriculoſum, decubitum corporis ſupinum, et declivem capitis ſitum luculentius ſe effert ac increſcit: quemadmodum totus profecto morbus ad ſpaſticorum tribum referendus eſt.

§. 521.

At ſaepe incubus revertitur; et, ſi hoc ſingula nocte fit, aut ſyncope accedit, metus eſt, ne in epilepſiam, aut apoplexiam, aut catharrum ſuffocativum terminetur.

Averruncare ipſum vitatus in dorſum decubitus et abſtinentia a coena poſſunt: quae duo ergo praecipue omnium laborantibus praecipienda. Ad haec ſanguinis detractio, purgantia, emetica, diluentia, abſorbentia, antiſpasmodica, roborantia atque temperantia, inprimisque poeoniae ſemen, limatura martis, eiusque rubigo, et pulvis Marchionis cum cremore tartari et nitro verſus noctem ſumtus operae pretium faciunt.

PALPITATIO CORDIS.

§. 522.

Quum de cordis palpitatione nunc praecipio, protinus ſignificare fas eſt, de morboſa, valdeque moleſta atque chronica palpitatione me hic agere, neutiquam vero de tremore cordis atque leviori, tranſitoriaque concuſſione, qualis multis ab effuſiori ira et gaudio, vehementiori corporis exercitatione, balneo nimis calido, fervidiori veneris appetentia, et exaeſtuante potu, evenit, aut ex magno virium decremento poſt immoderatum ſanguinis profluvium ac in malignis morbis, et ante animi deliquia, itemque ante mortem haud raro exoritur.

Palpitatio ergo cordis, de qua hic ſermo, immoderata eſt concuſſio, vehementi ſyſtole ac diaſtole ſaepe diuque moleſta. Huius tanta quandoque vis eſt, vt pulſatio extra conclave audiatur, vt arteria magna foras in aneuryſma dilatetur, vt thoracis coſtae dislocentur, exedantur ac diffringantur, vt cor ipſum de propria ſede depellatur, denique vt externus locus, vbi admota manus pulſum percipit, rubeſcat aut calloſus fiat. Atque ſic affecto corde, arteriae omnes, inprimis quae ſupra jugulum ſunt, vehementer pulſant; in aliis vero pulſus plerumque irregularis, intermittens, debilis, parvus, aut plane nullus eſt *), ſaepeque cordis motui haud reſpondet. Neque vero eadem vehementia, nec continuo palpitatio iſta urget, ſed nonnunquam, et praeſertim ſub quiete intermittit, deinde ex improviſo ſaepe, et noctu dormientes adoritur, vt ſubito evigilent, mox interdiu ſine evidenti ac externa cauſa revertitur, praetereaque a qualicunque fortiori corporis motu, aeſtu, balneo, adſtrictiori veſte, tibialibus intra dormiendum arctius conſtrictis, venere, cibis flatulentis, crapula, vino, excandeſcentia, terrore tum recrudeſcit, tum exacerbatur. Inſignes praecordiorum anxietates eamdem interdum praecedunt. Sub ipſo vero paroxyſmo reſpiratio velox et anheloſa eſt, ipſaque anima interdum deficit, nervique adeo diſtenduntur.

*) Sub hac aſphyxia in carpo vehementer interim carotides ſubſilire, Ill. *Hallerus* teſtatum facit *Opuſc. pathol.* obſ. 52.

§. 523.

Sanguinis defectus vel exſuperantia, haemorrhagiae ſuppreſſae, materia arthritica, ſcabioſa, tranſpirabilis et foetor pedum repreſſa, ulcera praemature conſolidata, diuturna triſtitia, immanis terror ac metus, gaudium

um immoderatum, flatus incarcerati, potus frigidus aestuanti corpori ingestus, bilis atra, scorbutus, malum hypochondriacum, cachexia, epilepsia, viscera corrupta, obstructio hepatis, palpitationem cordis prae ceteris efficiunt: deinde vero vermes in corde haerentes *), polypi et steatomata cordis vel aortae, hujusque et aliorum vasorum et valvularum cordis ossescentia, aut habitus calculosus, denique tumores circa cor, et arteriae magnae praeternaturalis prope cor angustia.

Multi quidem medentes etiam hydropem pericardii huic censui causarum adnumerant; is vero effectus tantum palpitationis est, et citra eam haud raro occurrit. Quapropter etiam palpitatio cordis pro maximo signo hujus hydropis, perinde ac thoracici, immerito a nonnullis habetur.

An vero pericardium cum corde connatum veram palpitationis causam efficiat, ut quidam volunt; illud in medio adhuc relinquendum puto.

*) Nisi forte sanguinea coagula sub hac specie observatores deceperint; velut Ill. *Hallero* credibile est. *Element. Physiol. T. II. p.* 21.

§. 524.

Longum sane atque atrox malum palpitatio est, quae, quum in pueritia vel juventute corripit, vitam longam esse non sinit; progressu temporis graves alios morbos, respirationem difficilem, cachexiam, haemoptysin, phthisin, hydropem varium ac multiplicem, asthma convulsivum, et febres anomalas inducit; aegrumque persaepe repentina morte necat, quam aliquando cordis, auriculae, venae cavae vel aortae ruptura praecedit; quum hae partes antea enormiter distentae fuerint.

Quam quidem distentionem magis pro effectu, quam causa palpitationis habendam esse monemus.

Neque prorsus idiopathica, hoc est, causam intra vel prope cor ipsum agnoscens palpitatio curationem recipit. Symptomatica vero curari adhuc, sublatis unde pendet morbis, potest. Interim a quacunque causa subortum malum nunquam parvi aestimandum est, etiamsi aliquando longas inducias facit; siquidem facile habituale fit, et a levissima causa recrudescit, nec raro, si cor ultra sphaeram elasticitatis distentum constringere se amplius non potest, in lethalem syncopen subito terminatur.

Ceterum sciendum est, nonnullis hominibus inde ab infantia familiarem esse ac perpetuam, neque vero anxia ac molesta sensatione comitatam palpitationem. Velut tamen hoc a naturali statu omnino deflectit; ita tanquam suspectum phaenomenon ubique considerari meretur, quod limites demum transcendendo in morbosam palpitationem cum aliis pravis symptomatibus conjunctam transiturum est.

§. 525.

Quamquam permultae idiopathici morbi causae a dissectoribus repertae sunt (§. 523.); perdifficile tamen est, in corporibus vivis genuinam ubique determinare; utique cum non raro plures simul praesto sint.

Neque tam facilis sane est polyporum verorum *) atque aneurysmatum cordis et vasorum majorum diagnosis; nec dissimulandum, omnes notas hactenus ab observatoribus erutas et collectas, ambiguas et fallaces esse. Quamquam enim polypum adesse credunt, si aeger difficulter spirat, si cor vehementius palpitat, si anxie-

anxietas ad levem motum, etiam cum lipothymia, increſcit, ſi pulſus intermittens, vibratus, ac irregularis eſt, ſi facies pallet et pedes tument, ſi dolor ſub ſterno percipitur, ſi brachium torpet, inque eodem pulſus obſcurus eſt; tamen nec omnia iſta ſymptomata in uno polypoſo, nec principaliora quidem ex his, pulſum intermittentem et palpitationem ipſam, ubique deprehendes **). Multoque magis reliqua fallere ſymptomata conſueverunt, quum aliis quoque morbis, vt ipſe pulſus intermittens, adſociantur. Adeo polypus adeſſe poteſt cum ipſo aneuryſmate cordis, et tamen nunquam aeger palpitatione corripitur ***).

Vbi aneuryſma cordis cauſam morbi praebet, pariter tantum conjecturales notae illud manifeſtant; atque ſi ſiniſtrum ventriculum iſtud occupavit, pulſus in carpo ſine ordine ac numero decurrit; ſi dextrum, pulſus cordis ſub ſiniſtra mammilla non percipitur, ſed ſub ſterno ac in dextro latere; ſi utrumque ſinum, ictus cordis, manu ad ſiniſtram mammam admota, haud poſſunt diſtingui et ad numeros reduci, ſed videntur quaſi plura in pectore corda ſimul et ſine ordine ſalire. Neque tamen in his quidquam perpetuum eſt.

*) Diſtinguendi hi ſunt a ſanguineis coagulis, quae in cordis thalamis aut auriculis frequenter reperiuntur, et ſub mortem, ac poſt illam demum generantur. Veri autem polypi ſunt ſolida coagula, non tam ſubito nata, diverſi generis, quo ad carnis, membranae, cartilaginis, oſſis, tendinisve ſubſtantiam accedunt, talemque texturam poſt elotionem ſanguinis coagulati monſtrant. In aqua fervida, inque ſpiritu vini in dura coagula abeunt. Sedes eorum eſt in utroque cordis ſinu, magis tamen in dextro, quam ſiniſtro. Frequenter lacertis cordis et valvulis tendineis intertexti ſunt funiculis ſuis, aut minimis radiculis inter cordis fibras quaſi infixi. Frequenter quoque in magnas venas et arterias propagines ſuas educunt, iſudque

que cavum, quo continentur, utique dilatant, cum praeter polypum etiam sanguis transire debeat. Permulti experti viri, *Tulpius*, *Pechlinus*, *Malpighius*, *Albinus*, *Senac*, *Hallerus*, *Pissinius*, *de Haen*, *Ioerdens*, *Barrere*, *Goetz*, *Fantonus*, *Morgagnius*, et plures alii polypos veros descripserunt; quos ideo cum *Kerkringio*, *Ruyschio*, *Tysone* et paucis aliis ex morborum sive potius causarum morbificarum numero relegare, et sub mortem demum generatos credere non possumus. Materies autem polyporum verorum spissum est illud, et lardosum, quod in sanguine e vena misso atque conquassato subito concrescit et condensatur. Quidquid ergo subitam quietem sanguini inducit, velut animi deliquium, terror, vel lentam, uti moeror, graviusve aliquod impedimentum pulmonis, et acida, ac spirituosa venena; illud potest generationi polyporum ansam dare. Sed et vehementior cordis motus potest illos generare, quemadmodum in lacte apparet, quod concussione in vase butyraceo in solidiorem massam convertitur. Ceterum de modo, quo polypi sensim increscunt, conf. Ill. *ab Haller Elem. Phys.* T. II. p. 23.

**) Nunquam interdum adesse pulsum intermittentem, testatur *Mauchart* diss. *de puls. interm.* §. 19. 20. Nec unquam talem in suis polyposis deprehendit *Ioerdens*, nisi paullo ante mortem; neque ullam palpitationem. (*Observat. path. ther. de polypo cordis* §. VI. ad *Act. Nat. Cur. Vol. IV.*) Reperit etiam Cl. *Home* duo magnos polypos in cordis sinubus, sine ullo signo. *Medical facts ad experiments*. p. 132. 133.

***) *Stoerk. ann. med. I.* p. 118. cadav. quart.

§. 526.

Quandocunque polypus maiorum vasorum cordis ostia obstruit, vt sanguis per ista vel expelli e corde, vel recipi in hoc amplius non possit; proximum est, vt syncope cardiaca, asphyxia, apoplexia, catarrhus suffoca-

ſocativus, ruptura cordis vaſisve maioris, et mors ſubitanea vel cum ruptura iſta, vel ſine ea ſequantur.

Sed polyporum, aneuryſmatumque ſimulacra perfectiſſima et bilis atra mota, et neruorum ſpaſticae affectiones, et incarcerati flatus ſaepe efficiunt. Vnde eſt, quod multi ſe glorientur polypos et aneuryſmata cordis perſanaſſe, vbi nihil eorum adfuerit.

§. 527.

Palpitatio idiopathica nullam prorſus medelam, ceu jam eſt praeceptum (§. 524.), recipit, ſed duntaxat palliativam, quae utplurimum vero etiam parum vel nihil praeſtat. Aliquos levat venaeſectio, ſingulis menſibus et in ipſo paroxyſmo inſtituta; quae vero aliis plus obeſt. Aliis pulveres temperantes levamen adferunt. Quidam illud ab inclinatione thoracis aut lateris ſaltem in terram, vel a reclinato capite in dorſum in paroxysmis accipiunt. Expedit praeterea, aquam pro potu ordinario ſeligere, interque initia palpitationis manus ac pedes fricare, atque clyſterem in alvum injicere.

In aneuryſmate cordis miſſio ſanguinis non juvat, ſed malum potius exaſperat, et hydropem arceſſit.

Symptomatica palpitatio levatur ſtudioſa cauſarum, quas ſupra excitavi, occaſionalium evitatione; et curatis principalioribus morbis, unde ortum traxit, finitur.

§. 528.

Ad polypos cordis reſoluendos nihil habeo, quod commendare poſſim, neque quidem ad recentes, qui in viſcoſo coagulo adhuc conſiſtunt. Ecquis enim illos cognoſcat? Illi ergo Medici nimis genio ſuo indulgere viden-

videntur, qui vel hos vel densiores jam factos, verum cordi, aut valvulis vasorum nondum adnatos resolvi posse gestiunt. Et, si tales adeo a se resolutos credant, probare prius debent, polypos omnino adfuisse, et quam curandam susceperunt palpitationem, ab iisdem esse profectam. Sed vereor ego multum, ne in tam dubia ac fallaci polyporum diagnosi semetipsos deceperint. Neque enim polypus eos semper obsidet, ubi ejus suspicio est. Si quid tamen cum aliqua saltem spe optati effectus polyposis exhibendum, nihil profecto erit, nisi quod massam sanguineam potentissime resolvat: qualem facultatem scolopendrium, serpentariae Virginianae radix, nitrum, sal ammoniacum, et thermae Carolinae possident. Quod ad venaesectionem attinet, circumspiciendum est, an obsit vel proficiat. Ceterum omnis negotiosa actio, et quidquid supra scriptum est palpitationem excitare (§. 522. 523.), vitari debet.

SINGVLTVS.

§. 529.

Ad singultum, affectum sane mirabilem, venio, in quo homini pectus inopinato, et cum celeri impetu, atque singulari clangore in larynge concutitur, pectoris cavitas subito ampliatur et cum abdomine nonnihil antrorsum propellitur, sermone, inspiratione, atque deglutitione simul interceptis. Quae tota actio quidem minimis momentis absolvitur, et per intervalla dein recurrit.

Atque haec omnibus singultientibus communia sunt. Vehementia vero concussionis et sonitus, ipsius frequentia, intervalla, atque duratio, una cum symptomatibus affectionem comitantibus, omnino diversa sunt.

Re-

Reperiuntur namque, qui tanto cum impetu singultiunt, ut in magnum clamorem efferantur, quem transeuntes in plateis percipiant; utque totum corpus contremiscat et costae frangi videantur. Nonnulli singulis horae minutis, alii citius vel tardius iterum singultiunt, et sic per plures dies, hebdomades, menses, et annos, modo die nocteque, modo hac vel illa tantum, modo per periodos afficiuntur. Multi vero, etsi diu ac vehementer singultiant, nullum inde incommodum sanitatis experiuntur. Alii contra non leves noxas inde ferunt, et cardialgia, ructu, nausea atque vomitu conturbantur, neque potum vel cibum, durante affectione, assumere possunt. Paucissimi finita ea sternutare solent, aut in animi deliquia conjiciuntur.

§. 530.

Permultae res singultum faciunt, nimia cum cibi tum potus, inprimis frigidioris, quantitas, plethora, excedens qualiscunque humoris, sive boni sive mali, vacuatio, immodica corporis refrigeratio, assumta acria tam ex ciborum, quam medicamentorum classe, et venena; deinde humores varie corrupti, pituitosi et biliosi, in stomacho ac primis viis stabulantes, nobiliorum viscerum corruptiones, febres intermittentes non recte curatae, aut malignae, morbi cutis repressi, cohibita alvi profluvia; denique graviora vulnera, depressae cartilagines costarum et sterni *), fracturae earundem, ac luxationes, et vertebrarum compressiones.

Praeterea singultus febribus acutis, tam simplicibus, quam exanthematicis, nec non inflammatoriis gravioribus se nonnunquam adsociat, et acutus ideo cognominatur.

*) vid. *Bapt. Codronchi* Tr. *de morbo novo, prolapsu mucronatae cartilaginis:* qui adnexus est *Tr. de mor-*

morbis, qui Imolae a. 1602. vagati sunt. Bonon. 1603. 4. Neque tamen semper singultum inde excitari, ex *Velschii* observatione constat. *Cur. et cas. Dec. VII. cur. 10. p.* 452.

§. 531.

Videtur autem singultus modo symptoma esse transversi septi, modo ventriculi, et sub inspiratione formari. Saltem hoc probabilius est, quam si sedes ejus in ventriculo solo, ex veterum, aut oesophago ex Boerhaavii sententia quaeritur. Verum totam hancce disputationem hic deprecamur.

§. 532.

His cognitis ad prognostica declinemus. Non pertimescendus est singultus, qui a cruditatibus et acrimonia in primis viis, citra febrem, aliumve morbum, oritur; neque is, qui repletionem, aut frigidi potus haustum, vel refrigerationem totius corporis pro causa habet, dumne ea immoderata fuerit, aut potus corpori sudanti nimium ingestus; utpote qui facile chronicus, interdumque perpetuus fieri potest. Sternutamentum autem singultui, maxime qui ex repletione oritur, accessisse utile est, siquidem eodem finitur.

Enimvero in febribus periculum semper singultus ostendit, praesertim inflammatoriis; in aliis enim, vbi ab initio statim adest, non tam ominosus est, neque circa dies criticos cum bonis coctionis signis, ubi vomitum criticum aut alvi fluxum expectes; quibus subsecutis iterum cessat.

Pessimus quoque singultus est a venenis, a corruptis visceribus, et in capitis atque septi transversi vulneribus,

bus, et ab immoderata evacuatione; utique in ſodalitio aliorum exitialium ſignorum.

Malus porro ſingultus a cohibito alvi fluxu, aut repulſo quodam morbo.

In ſingultu chronico ambiguae et fallaces ſunt praedictiones: isque etiam interdum recrudeſcit *).

*) vid. *Hoffmanni Med. ſyſtem. T. IV. P. II. p.* 441.

§. 533.

Quum igitur plures ac diverſas cauſas agnoſcit ſingultus, atque etiam pluribus morbis, tam acutis, quam chronicis, jungitur; opus omnino eſt, ut ſingulis cauſis accommodata remedia opponantur.

Singultus ergo ex repletione aut cruditate, et ſaburra primarum viarum purgantia et vomitoria inprimis requirit. Nec aliena ſunt ſternutamenta, caſtoreum, maniluvia frigida, extremorum ligaturae, ſpiritus compreſſio, omnisque intentus motus. Praeſtita vero evacuatione, ſtomachica, ruta, zinziber, galanga, ſpiritus roſmarini, cujus doſis cochlear plenum, intus data, et linimenta ex oleis diſtillatis rutae, abſinthii, calami aromatici aliarumque rerum, cum oleo nucis moſchatae expreſſo parata conferunt.

In ſingultu ab acribus rebus aſſumtis ſaepe ſolus potus tepidus, aut mulſum ſufficit.

In ſingultu chronico ſaepe liberaliores ſanguinis miſſiones curam abſolvunt; et in illo ex menſium defectu, ſimul emmenagoga. Vbi vero cauſa latet, demulcentibus, veluti looch ſano et experto, aut oleo amygdalino,

lino, curatio tentanda est; quam aliquoties profuisse, observationes docent *).

Singultus ab evacuatione humectantia desiderat, praesertim aquam temperatam creberrimam; simulque castoreum, zinziber, rutam aut cuminum, quae vino infundenda; et quidquid defectum explere potis est. Quodsi vero ab emetico, purgante, venenove singultus excitatur; illis vtendum est, quae istarum rerum facultates enervant.

Quodsi a materia exanthematica singultus ortus; vesicatoria, spiritus bezoarticus Bussii, essentia alexipharmaca Stahlii opem ferunt; speciatimque, in regressu podagrae, pediluvia tepidiora.

Iisdemque remediis etiam in singultu a refrigeratione utendum est; in quo et essentia castorei cum spiritu bezoartico aliquo utiliter exhibetur.

Singultum ab alvi fluxu intempestive cohibito maxime demulcens potus et clysteres emollientes et eccoprotici compescunt; una cum mixtura Riverii alterante, quae prae magnesia et absorbentibus magnam praerogativam habet.

Singultus a costa fracta, distorta, aut luxata nonnisi decenti repositione sublevatur. Cartilaginem vero sterni depressam aut incurvatam optime cucurbita coeca adplicata attollit.

Singultus febrium acutarum ac inflammatoriarum a primarii quidem morbi curatione dependet; levari tamen non parum a crebra aquae frigidae sorbitione, manuumque in hanc immissione, et vini quoque potu potest.

*) Nec

*) Nec in hoc casu, dum nihil ex iis, quae ab arte suppeditantur, morbi difficultati succurreret, amuleta, aliaque auxilia sympathetica antiqui contemserunt. vid. *Alex. Trallian.* L. VII. c. 13. p. m. 368. et *Marcell. Empir.* cap. 17.

RVMINATIO HVMANA.

§. 534.

Inaudita pene res est, hominem brutorum instar ruminare, ruminatumque cibum ventriculo ad concoquendum reddere: quae tamen exemplis quibusdam, retro inde ab aliquot seculis, ita comprobata, ut negare eam audacter nemo possit. *) Nemo non vero simul intelligit, ad statum prorsus praeternaturalem humani corporis adfectionem istam pertinere, eaque propter in numero morborum habendam esse, nec inepte ideo a me hoc loco pertractari. Idquod eo lubentius quoque facio, quo magis ea hactenus a medentibus, quasi non exstaret, omissa fuit atque praetervisa.

*) Ejusmodi obseruationum decem collegit tum ex libris, tum ex fidis aliorum relationibus, *Io. Conr. Peyerus Merycolog. L. I. cap. VI. et L. III. cap. III.* Vndecimam, eamque plenissimam, lege sis in *Io. Sam. Carl medicin. Rathschlaegen XIX.* p. 110. seq.

§. 535.

Est autem ruminatio humana non libera, sed coacta et involuntaria, quae nolentes volentes invadit. Initium ea sumit statim a pastu, vel post horae quadrantem, aut mediam horam, et intra unam et sex vel septem horas finitur. Sive vero solidi sint deglutiti cibi, sive molles, sive sint liquida, cum specifico sapore non solum omnia nunc inter se mixta, nunc solitaria refun-

duntur, sed etiam grato et jucundo *), nisi sub finem, ubi cum acore quodam redeunt. Et quibusdam tanta aviditate cibus in os regeritur, ut indigentia ejus ventriculus quasi perpetim laboret. Quidam etiam valde sunt voraces. Alii ruminationem supprimere norunt. Cuncti vero quum aegrotant, ab omni ruminatione cessant.

*) Cum aversatione juvenculam quandam ruminasse, neque quidem quotidie, a *Daniel. Ludovici* commemoratur in *Eph. Nat. Cur. Dec. I. ann.* 9. et 10. *obs.* 160. Verum haec ruminatio neque simplex fuit, de qua hic agimus, neque commode quidem hoc nomine insignitur. Atque cum in reliquis exemplis, quotquot legimus, ruminatio vbique visa est cum oblectamento fieri, illud ad ipsius naturam referendum merito putamus.

§. 536.

Alia vero ruminatio a nativitate suam originem trahit, sic, ut a parentibus ad embryonem transferatur, aut connata saltem existat; alia a morbo ventriculi, nominatim vomitu frequenti, aut diuturna eructatione *).

*) Ansam equidem huic peruersioni dare quoque consuetudinem, laudatus *Peyerus* existimat *l. c.* p. 222. idque ex *Th. Bartholini Histor. anat. Cent. I. hist.* 39. probare vult. Ipse vero *Bartholinus* disertis verbis ait, non ruminationem fuisse, quam bibo suus exercuerit, sed arbitrariam, eamque adeo fallacissimam potuum revomitionem.

§. 537.

Opinati sunt quidam docti viri, ruminantes homines duobus esse ventriculis oportere instructos, uti bestias ruminantes *); verum horum opinionem tum anatome refellit **), tum acquisita affectio, qua nonnullos in ado-

adolescentia, alios in consistente demum aetate prehensos esse, constat. Neque cuncta quidem bruta ruminantia duos ventriculos habent. Alii oriri eam a praeternaturali aliqua ventriculi constitutione a primo ortu credunt: ***) quam quidem si magis velis in motu quaerere, quam in fabrica, non repugno. Haec enim si requireretur ad ruminationem, an posset ea ex morbo et in adulta demum aetate accidere.

*) *Bartholinus l.c. Cent. V. hist.* 16. et *Anat. reform.* *L. I. cap.* 9.

**) vid. *Peyeri l.c.* p. 63. *Rhodii Observ. Cent. II.* 59.

***) *Sennerti Pract. Medic. L. III. P. I. Sect. II. cap. IX.* p. 124.

§. 538.

Molesta sane, ac diuturna est haec affectio, et ad consulendos Medicos omnino impellit. Gravissima vero a parentibus in utero materno contracta perinde ac connata; quam nemo adhuc curavit, certe curare haud aggressus est; quaeque ideo pro insanabili prorsus haberi non debet. A morbo orta nec selectis cibis, nec medicamentis obtemperat, sed pertinaci ac continuae regressuri cibi repressioni, quae motibus ventriculi diu satis resistendo, illos tandem supprimere apta est.

NAVSEA. VOMITVS.

§. 539.

Nausea est inane vomendi desiderium, quo nihil ejicitur; saepe tamen sponte nulloque conatu pellucida aqua ex ore profluit. Vomitio autem est eorum, quae in ventriculi capacitate sunt, violenta per os re-

jectio, quam frequentiores ſputationes, nauſea, anxietas, et noviſſime labiorum tremor, praecedunt.

Vtriusque ratio formalis in inverſo motu periſtaltico ventriculi quaerenda eſt, qui in nauſea mitior, in vomitu vehementior et quaſi convulſivus. Muſculi abdominales conſenſus lege ſuccedunt et contracti premunt adjacentes partes. Diaphragma quieſcit, quamuis ipſius efficacia abſociata fieri etiam vomitus poteſt.

§. 540.

Similis eademque eſt utriusque affectionis cauſa, ſed levior in nauſea, in vomitu gravior.

Vna earum eſt ventriculi imbecillitas, quae neque cibum amplexari, neque contineri ſinit: quae inde naſcitur, quod purior cibus, nullo vitioſo humore permiſtus, redditur.

Altera eſt ventriculi ſcirrhus, inflammatio, et ulcus; quorum notas alibi propoſui: quibus ſteatomata adde juxta ventriculum.

Tertia eſt quaevis res praeter naturam ventriculum laceſſens; id quod modo copia efficit, ut copioſior cibus aut potus naturae grauis; modo aliena et externa qualitas, ut corruptus et putreſcens cibus; modo acrimonia, qualem bilis conſequitur, et venena multa habent, et ova barbae piſcis; modo lentor, ut pituita. Quae vitia cauſarum nonnunquam in ipſo ventriculo gignuntur; nonnunquam ex aliis ſedibus eo confluunt. Praeterea vermes ventriculum ingreſſi eundem etiam laceſſunt ac irritant.

Quarta eſt ventriculi irritatio, quae ex humoribus intra ipſius tunicas difficulter motis, ut in obſtructione pro-

profluvii ſanguinis naturalis et graviditate; vel alienis quoque, ut in omni fere morbo febrili; vel per conſenſum, prognaſcitur in vulneribus capitis, vertigine, cephalaea, irritatione gulae, doloribus a calculo tam bilis, quam renum, ſcirrho hepatis, pancreatis, lienis, duodeni, vulnere diaphragmatis, tuſſi, epilepſia, colica graviori, hernia incarcerata, dentitione, vectione in rheta, navigatione. Vnde vomitus diſcrimen in ſympathicum atque idiopathicum exſiſtit.

Vltima cauſa eſt ſingularis ac individualis proprietas, qua quidam hoc vel illud cibi potusve genus, aliamve rem maximopere abhorrent, et ad eius oblationem, vel conſpectum ſaltem, tum nauſeae tum vomitioni ſubjiciuntur.

§. 541.

Vomitionum autem in tanto numero cauſarum non poteſt non varius eſſe exitus; de quo quidem non attinet multa hic praedicere, cum paſſim jam ejus mentio abunde facta eſt. Vnum illud animadverto, peſſimum eſſe vomitum ac exitialem, in quo liquida atramentum, choccolatam, aut tabaccum colore referentia copioſe rejiciuntur: chronicum autem, et inſuperabilem, quem ſcirrhi ventriculi, aliorumque viſcerum imi ventris producunt *).

Neque vero nauſea, neque vomitus peculiaria remedia deſiderant; praeterquam ille, qui ex corruptis humoribus in ventriculo detentis, ex bile eo per excandeſcentiam delato, et ex ingluvie oritur. Eſtque ipſe vomitus tum remedio, nec propterea ſupprimi, ſed potius facilitari ac ſuſtineri debet.

Vomitum in gravidis vix unquam remedia placare

valent. Optima vero ex his ſunt ſanguinis miſſio, eſſentia theriacalis et menthae, linimenta et ſpirituoſi liquores, quae virtute ſua tonica ac nervina imbecillo ac nimis ſenſibili ſtomacho ſuppetias ferunt.

Vomitum a vectione optime avertit ſpiritus roſmarini, in charta empiretica extus ventriculo applicatus.

Reliquorum generum curationes alibi propoſui.

*) cf. *Morgagnius* L. *de ſedib. et cauſ. morbor. Epiſt.* XXX. quae tota huc ſpectat.

HYPOCHONDRIACA ET HYSTERICA AFFECTIO.

§. 542.

Multi ſunt, inprimis ex eruditorum grege, qui hypochondriaco morbo tentatos ſe firmiter credunt, ſimul atque vel moleſtias quasdam ex imo ventre percipiunt, vel non ſatis tranquillum animum et ad meditationes aptum cum aliqua capitis gravitate ſubinde experiuntur. At nulla profecto res magis peſtifera occupare animos litteratorum poteſt, quam falſiſſima haecce de hypochondriaco morbo idea, quae ex ipſa animi perturbatione ac inquietudine quotidie nova incrementa capit, eaque tanto magis terriculoſa, quod non alius morbus atrocior et miſerabilior, quam is ipſe, quo ſe comprehenſos credunt, eorum ſententia exiſtit. Nec Medici deſunt, qui ejusmodi querelis de hypochondriaco morbo applaudunt, et ipſi hoc nomine nimiopere abutuntur, dum quamcumlibet imi ventris aegritudinem pertinacem, vel ſimplicem vel compoſitam, quam non bene norunt, inprimisque ſi cum mentis quadam perturbatione conjuncta eſt, per hypochondriaca

ſtatim,

ſtatim, quaſi bene cognita re, venditare ſolent. Verum hypochondriacos in veros atque fictos diſtinguere oportet: quorum hi tales ſunt, qui vel inteſtinorum aut ventriculi inflatione, vel digeſtione laeſa et inordinata alvi excretione, et nonnullis ſpaſticis aegritudinibus inteſtinorum, iisdemque nunc caput, nunc pectus, aut totum corpus occupantibus laborant. At hos in praeſenti dimittemus, de hypochondriacis veris nunc ſtrictius expoſituri.

§. 543.

Hypochondriacum malum, ut in ſe longum eſt, ſic in modum ejusmodi affectionum inſidias lente ſtruit. Initio a ſumto cibo leviuſculae tenſionis preſſionisque ſenſus cum laſſitudine, levique ſpiritus difficultate eſt, quicum leves et fugaces cordis palpitationes, nocturnae praeſertim, et anxietates quaedam, turbulentique ſomni, ac inquietior paullo animus, adfligunt. Inter haec paullatim adoleſcit morbus, cum interpoſitis plurium dierum, etiam menſium, intervallis, dum aut animi perturbatione, aut errore victus, aut anni tempore, maxime vernali et autumnali, in ſcenam redeat. Ex alvo plerisque molliora ſtercora, male mixta, fereque foetidiſſima, interdum aliquoties de die, neque ſine teneſmode quodam contentione deſcendunt. Quibusdam alvus paulo tardior eſt, ſiccioraque ſtercora, fere cum levi quodam teneſmo, et ſubinde mucoſa prodeunt. Vrina limpida et aquoſa eſt, crebroque et copioſe ferri ſolet: quumque parcior, magisque tincta mingitur, leviorem et remittentem teſtatur affectionem, exaſperatam, quum crebrior et aquoſior iterum fertur. Interea magis magisque cum adoleſcente malo laeduntur imi ventris officinae. Male digeruntur cibi, a plerisque avide et copioſe devorati. Senſus ponderis ac

diſtentionis, flatus, ructus, laſſitudo increſcunt. Interque iſta ſymptomata permulta alia, quae moliminum haemorrhoidalium nomine vulgo appellari ſolent, crebrius et incertis ſpatiis accedunt; additque ſe moroſitas quaedam, et ardoris cujusdam per imum ventrem ſenſus. Aliquando haemorhoidum veſtigia tum ſedis, tum veſicae urinariae aut urethrae vagis periodis ſe efferunt: nonnullis etiam per intervalla cruentus vomitus contingit. In malo inveterato icteri, tympanitae, quin aſcitae ſymptomata quaedam apparent. Accedere etiam moleſtiae ex vermibus inteſtinorum, neque raro taeniis, conſueverunt.

Sunt etiam hypochondriaci permultis aliis affectibus in pectore et collo ſubjecti, atque praeter cordis palpitationes et anxietatem praecordialem, quae noctu inprimis et a capto cibo gravius adfligunt, raucedine, et tuſſi, et dyſpnoeae quodam genere, aſtma hypochondriacum vocant, per intervalla afficiuntur. Fugitivi praeterea ſpaſmi ultra citraque muſculos pectoris prehendunt, non minus quam faucium; qui tuſſim aliquando comitantur, et crebriora ſputa exprimunt. Neque rheumaticus dolor in muſculis colli deeſt.

Nec uno morbo caput laborat. Aliis totum illud dolet, aliis dimidiatum, aut ſynciput ſaltem, vel occiput, aut exigua pars in illis, clavi hypochondriaci nomine. Isque dolor modo continuus eſt, modo intermittit, modo remittit ſaltem, et plerumque frigoris ſenſum vel gravantis ponderis exhibet. Interdum vibrativus aliquis dolor per integumenta capitis, et aponeuroticum tegmen, muſculosque faciei percipitur. Etiam ſubitaneo ardoris ſenſu caput nonnullis occupatur, cum vertigine, ſtupore, ſingulari gravitatis ſenſu, ſonituque aurium vario; ut ſic apoplexia quaedam af-

flictis imminere videatur. Quidam phlogoses saltem in auricula percipiunt. Atque haec omnia symptomata interdum typicis periodis affligunt. Oculis obversantur quasi muscarum volantium, nebularumve, vel aliarum rerum simulacra, cum frigido circa faciem et frontem sudore. Gravedini et faucium morbis, velut tonsillarum uvulaeque tumoribus, valde etiam hypochondriaci opportuni; et interdum quasi ptyalismus aliquis invadit. Aliis denique diuturna epiphora molesta est, aut muci narium coacti copia, qui saepe subcruentus conspicitur. Quibusdam sanguis paucis saltem guttis e naribus destillat; aliis, quod rarius evenit, copiosior fertur, et paroxysmus nonnihil mitigat.

Nec externae partes in hocce malo immunes sunt. Rheumatici arthriticique dolores, fugaces quidam spasmi, ultro citroque oberrant. Maculae rubellae, flavae, sublividae variis locis conspiciuntur, aliquot diebus disparriturae. Vlcuscula alicubi locorum cutis erumpunt. Imos pedes oedema quoddam leviusculum occupat; aliis totum corpus subtumidum et cachecticum apparet. Quibusdam in confirmatiore malo corpus et ipsa facies emphysemate subito occupatur, quod paucis diebus decedit, relictis arthriticis aut rheumaticis doloribus, non diuturnis. Alii superioribus corporis partibus membrisque contabescunt et sudores matutinos profusissimos habent; ex quo phthisicis ex pulmone similes apparent, utique si consensualis tussis accedit.

Ceterum et animus proh! dolor in societatem corporis laborantis venit; melancholiam hypochondriacam appellant. Cujus notae sunt multa fixaque diu cogitatio, verecundia rusticusve pudor, solitudo, timiditas, moestitia et ignavia, malarum rerum suspicio, perversa rerum existimatio ac saepe praeposterum judicium,

 turbu-

turbulentus anxiusque ſomnus, mentis atque ſenſuum caligo, animi dejectio aut deſperatio, ut neque poſſit illa orationis ſuavitate ad meliorum rerum expectationem, aut recuperandae valetudinis ſpem erigi.

§. 544.

Hoc genus morbi invaleſcit et remittit in ſua diuturnitate, rarius omnino intermittit. Nonnullis, imminentibus haemorrhoidum periodis, exacerbatio fit; itemque feminis, quo propius a menſtruorum abſunt fluxu. Declinante in ver hyeme, autumnoque ſtatae magis exacerbationes contingunt.

Aetatem potiſſimum conſtitutum prehendit, deinde juvenilem, poſtea ſenilem. Quibus autem in virilem demum incidit, his liberationem procedente aetate, aut levamen promittit.

Pertinacius et langaevitatem adeptum malum melancholiam, maniam, cachexiam, icterum, hydropem, tympanitem, ſcorbutum, ac tandem febrem acceſſit hecticae finitimam, et quae in maraſmum deducit. Qualescunque autem morbi ex his ſubſequantur, finis vitae aut cum paraphrenitide quadam, aut ſopore obſervabitur conjunctus. Quapropter etiam ex intermittentibus febribus ſoporoſae iſtae, ſive apoplecticae tertianae et quartanae, hypochondriacis maxime inſidiantur. Opportuni itidem ſunt aurium, oculorum, dentium, ac gingivarum vitiis, nec non rheumatiſmis, et frequentiſſimae omnium arthritidi. Maxime ceteroquin proni ſunt in colicam inflammatoriam, phrenitidem, et malignas febres; generatimque morbide valent, ac febriculis ſubinde implicantur. Nonnullis pro modulo ſuo valentibus, ubi aliae ſanguinis fluxiones et haemorrhoi-

rhoides non ſunt, ſanguinis ſputa contingunt, haemorrhoidum oris nomine appellari ſolita.

Denique interdum et aliis morbis haec valetudo ſuccedit, acutis febribus, intermittentibus ſuppreſſis, cohibito fluori uterino, dyſenteriae, repulſis cutis morbis, et defluxionibus antiquatis.

§. 545.

Cauſa proxima valetudinis hypochondriacae non inepte quidem in ſyſtemate venae portae collocatur, *) quum ipſa anatome infarcta vaſa deprehendit; **) attenta tamen conſideratio morbi docet, difficilem motum ſanguinis per haec vaſa in ſe ſolum valetudinem iſtam haud producere, ad ipſius vero incrementa permultum conferre. Neque recte ea in inteſtinorum motu perverſo ponitur ***), ſiquidem antiſpaſmodica alias omne punctum in curatione ferrent, isque perverſus motus potius pro effectu morbi habendus eſt: neque, ut plerisque hodie placet, in obſtructione hepatis aut ſplenis; quippe cui opinioni, licet magnam veri ſimilitudinem prae ſe ferenti, cadaverum diſſectiones haud quaquam favent, dum graviſſimi horum ſcirrhi ſine hypochondriaca olim experta valetudine perſaepe reperiuntur. Neque recte denique ſpirituum animalium ataxia, tanquam cauſa hujus morbi efficiens et primaria accuſatur ****); in qua quidem refellenda eo minus jam occupabor, quum jamdudum exploſa ac rejecta fuerit.

*) vid. G. G. *Stahlii* diſſ. *de hypochondriaco et hysterico malo*. Hal. 1708.

**) cf. *Io. Kaempff* diſſ. *de Infarctu vaſorum ventriculi*. Baſil. 1751. *G. F. Siegwart* diſſ. *de infarctibus venarum abdominalium internarum, eorumque reſolutione potiſſimum per clyſteres*. Tubing. 1754. *G. B. Faber* diſſ. *Expoſitio novae methodi Kempfianae*,

anae, curandi morbos chronicos inveteratos, inprimis malum hypochondriacum. Tub. 1755.

***) *Frid. Hoffmanni* diss. *de vera morbi hypochondriaci sede, indole, ac curatione.* Hal. 1719.

****) vid. *Thom. Sydenhami Dissert. epistolar. ad Guil. Cole.* p. 485. seq. et Cl. *Anton. Fracassini*, qui Sydenhami opinionem quasi recoquit, *Opusc. patholog.* p. 252. seq. Nec majoris momenti est Cl. *Petr. Hunauldi* opinio, quae spiritus morbosos, inordinate sanguinem moventes, accusat, *Dissert. sur les vapeurs.* Par. 1756. et Cl. *Ioseph Raulini* qui juxta viscerum obstructiones, et nimiam nervorum sensilitatem atque irritabilitatem, nimis viscidum eorundem succum insimulat, *Tr. des affections vaporeuses du Sexe*, Par. 1758. et Cl. *Pomme*, qui praeter spasmum, acrimoniam spirituum pro causa ponit, *Essai sur les affections vaporeuses de deux Sexes.* Par. 1761. Ad ejusmodi enim adyta scientia humana se non profert.

§. 546.

Nisi vero omnia me fallunt, insignis ventriculi ac intestinorum debilitas, una cum praeternaturali atque copiosa pituitae in corpore generatione et expressione per angustissimos horum viscerum tubulos, hypochondriacam affectionem veram proferunt; quemadmodum sola harum partium debilitas *) in absentia pituitae praeternaturaliter abundantis et hic secernendae spuriam inducit.

Isthanc vero pituitam natura ad determinatam nonnullorum hominum aetatem, et privatam corporis conformationem, quorsum et haereditaria quaedam opportunitas referenda, sub accessu plurimarum causarum remotiorum et procatarcticarum, cujusmodi studiorum intemperantia, vita sedentaria, voracitas, errores in potu rarefaciente, vinoque, menstruorum haemorrhoidum-

dumque vitia, interceptae haemorrhagiae narium, desidia, lascivia, animique emotio est, perinde ac materias alias morbosas, arthriticam, calculosam, catarrhalem, praeparat et ad haec viscera membranosa creberrime et copiose deponit.

Ita vero se rem habere, ex eo adparet, primo, quod ex alvo aeque ac stomacho hypochondriacorum persaepe copiosa pituita ejicitur; quam iterati clysteres etiam praemagna copia educunt: deinde, quod hypochondriacum malum in modum catarrhorum vere et autumno maxime recrudescit: tum in diversos morbos pituitosos, arthritidem, calculum, cachexiam, hydropem, icterum, quartanam febrem, permutatur: itidemque ex pituitosis morbis permultis, quos alibi jam indicavi (§. 544.) generatur; nec non ab superveniente ejusmodi valetudine, velut febre intermittente, diarrhoea, dysenteria, insigne levamen accipit: denique evacuantibus atque resolventibus medicamentis sub frequenti excercitatione optime auscultat, contra vero ab otio, cibisque farinosis atque glutinosis semper insigniter adaugetur.

De ventriculi ac intestinorum atonia tamquam altera causa proxima nemo dubitat. Etenim symptomata, quae eam produnt, ex historia morbi (§. 543.) luculenter cognosci possunt.

Quidquid autem spasticorum symptomatum, palpitationis puta cordis, tremoris, haemorrhoidalium moliminum, colicae, tenesmodis alvi dejectionis, urinae limpidae et aquosae, et sic porro cum atonia conjunctum observatur, istud omne pro effectu potius, quam causa morbi habendum existimamus.

*) Vnde *Nathan. Highmorus* hypochondriacam affectionem derivavit, vid. ej. *Exercit. duas, de passione*

sione hysterica et affect. hypochondr. Oxon. 1660. 12. sed refutatus postea fuit a *Thom. Willisio* L. *affectionum, quae dicuntur hystericae et hypochondriacae, pathologia spasmodica vindicata.* 1671. 12.

§. 547.

Morbi spurii curationem haud adgredior. Tota autem in eo versatur, ut qui se pro hypochondriaco habet, hanc opinionem omni studio ex ipsius mente evellere studeamus, neque umquam permittamus, ut hanc falsam opinionem retineat. Atque sic, mutata ejus imaginatione, quae in hoc hominum genere, aeque ac in hypochondriacis veris admodum agilis et satis stabilis est, ipse morbus protinus levior atque tolerabilior ipsi apparebit, isque ex toto fere curatum se jam sentiet. Cujusmodi tentamina mihi feliciter jam saepiuscule successisse attestor.

§. 548.

At verus morbus profecto rebellis est, et vix curationis capax. Habet tamen suos gradus, et quo duriora sunt stercora, et quo sequius ista descendunt, eo gravior et pertinacior existit. Ipsiusque autem curatio in eo maxime vertitur, ut pituita in sanguine potentioribus remediis commode resolvatur, et quae jam inprimis viis collecta, iterate saepeque ex alvo educatur, simulque roborantia selecta assidue exhibeantur. Primum fit per clementiora purgantia ex salium inprimis tribu, per aquas Pyrmontanas, Egranas aut thermas Carolinas, et per clysteres ex floribus chamomillae, baccis juniperi et sale communi, quaevis die injiciendos; inter quae succus foliorum taraxaci ad quatuor uncias quotidie, aut decoctum ejusdem vel juniperi radicum, aut arcanum duplicatum vel Cremor tar-

tartari ad drachmam, liquor item praecipitans Clauderi, et terra foliata tartari, resolvendi scopo adhibenda. Alternam praestant cortex Peruvianus cum floribus salis ammoniaci martialibus aut simplici sale ammoniaco remixtus, in pulvere vel decocto; itemque liquor visceralis dispensatorii Würtembergici, infusum radicum gentianae rubrae, angelicae, herbarum absinthii, centaurii minoris, corticumque aurantiorum ex vino dulci, balnea frigida vel tepida, et in prandio cyathus meraci vini. Et hac ratione si qualiscunque exercitatio frequens, inprimisque equitatio, accedit, simulque omnes cibi glutinosi, farinosi, inflantes, pingues et butyrosi vitantur; spes est, progressu temporis sanatum iri quam felicissime morbum. In desperato malo hydrargyrosis tentanda est.

Ad reliqua innumerabilia et in singulis aegris fere diversa symptomata, unde malum vere instar polymorphi se prodit, parum respiciendum est; quandoquidem correcto ejus fonte, ista per se tolluntur. Si quae, tamen nimis urgent, Spiritus Naphthae tanquam efficacissima medicina exhiberi poterit: ut tamen nec pulvis absorbens Wedelii sit contemnendus, quemadmodum contra ab antispasmodico et nitro prudenter abstinendum est.

§. 549.

Affectio hysterica eadem fere est in sequiori sexu, ac hypochondriaca in nobiliori. Eandemque pariter dispesci in veram atque spuriam oportet. Utraque cujuscumque conditionis feminas, puellas, viduas, nuptas exercet; multo frequentius tamen spuria haec est, colica affectio, quam vera; quae symptomata quaedam ex utero, alia quidem aliis, in sodalitium suum rapit, si-

qui-

quidem aut nimia, aut parciora, aut perturbata menstrua existunt, aut fluor albus cum his praesto est, aut solus infestat, aut proclivitas ad abortum est. Utraque gravioribus spasmis, quam hypochondriaca, stipata visitur, frequentioresque sunt atque vehementiores aphoniae, et faucium praesocationes cum sensu globuli ibidem haerentis, quem tussiendo reddere, sed frustra moliuntur, quemque aliae etiam in abdomine quasi convolvi et contorqueri sibi videntur, globum hystericum appellant; algores item periodici, dolores capitis, sub hysterici clavi nomine, animi deliquia et convulsiones. Sub insultu vel ante illum urina aquea interdum ad plures libras mingitur; aliis copiosi salivae fluxus et sudores nocturni contingunt. Addunt se nonnunquam quoque dolores aut tumores exteriorum partium; quorum hae in collo respirationem admodum difficilem reddunt, et suffocationis periculum inferunt. Ceterum, quo propius feminae a fine menstruorum absunt, tanto magis affligi solent, praesertim fluore albo laborantes. Tristitia autem, et anxietas, et palpitatio cordis, cum spontanea lassitudine tamquam prodromi hujus mali in universum considerandi sunt.

§. 550.

Curatio in universum eadem est, ac hypochondriacae valetudinis. Praeter illa vero, quae supra commendavimus remedia (§. 548.) maxime radix valerianae, et semen nigellae commendanda hic veniunt. Ceterum utilissimum est paroxysmo ingruente elixir uterinum Crollii. Algori hysterico autem nil praestantior succurrit, quam ejusdem specificum antifebrile: clavo hysterico, bezoarticum joviale: doloribus colicis, clysteres ex aqua frigida: convulsionibus, ignis electricus: tumori in collo, larga venaesectio, et cataplasma ex men-

mentha, majorana, abrotano, theriaca, oleo macis distillato, et spiritu vini camphorato compositum.

In universum vero scire licet, non omnes hystericas eadem bene ferre remedia: unde est, quod alii Medici quaedam laudent, quae ab aliis valde reprobantur: id quod adeo de balneis, de clysteribus, de purgantibus, et de ferro valet.

TREMOR.

§. 551.

Tremit totum corpus, aut pars ejus saltem, vel simul plures, singulae quidem motricibus fibris instructae, quum parvis alternisque, ad oppositas partes, vibrationibus celerrime concutiuntur, exclusa voluntatis actione.

Tremor ergo convulsio levis appellari potest. Ne vero cum rigore istum confundas, scire licet, rigorem esse concussionem totius corporis cum sensu frigoris, qui in tremore deest; nec necesse esse in hoc, sicut in illo, ut totum simul corpus quatiatur.

§. 552.

At duplicem merito agnoscimus tremorem, alium, dum quiescit membrum, alium, dum in actione versatur, et nunc gestare onus, nunc prehendere aliquid vel tenere tentat.

Iste vero tremor, qui quiescentem partem vexat, modo continuus esse consuevit, modo periodicus, modo recurrens.

Notabile praeterea discrimen est inter sympathicum et idiopathicum, haereditarium, congenitum, et adscititium.

Neque fas est praeterire, epidemicum tremorem etiam aliquando, licet rarissime, accidere consuevisse *).

*) cf. *Act. Nat. Cur. Vol. II. Obs.* 151. *B. de Sauvages Nosolog. T. II. P. II. cl. IV. p.* 56.

§. 553.

Aetas infantilis, et senilis, et sexus femineus facile in tremores incidunt. Speciatim vero eos gignunt intensum gelu, inprimis si huic aestus supervenit, terror item et ira, nimius vini et spirituum ardentium usus, non minus ac potuum aquosorum tepidorum, praesertimque calefacientium, venena, praesertim opium et hydrargyri halitus, vulnera, excretiones nimiae sanguinis, dejectiones alvi majores aliaeque, excessus in venere, plethora, menses et lochia suppressa, retentum lotium, scabies retropulsa, febris maligna, intermittens male curata, dolores arthritici, colici, melancholia, inedia, vigiliae, otium, abscessus calcanei, contactus torpedinis. Ubi nihil harum causarum aliquando deprehendimus, in accusando obscuro cerebri, medullae spinalis, aut nervorum vitio, per dissectionem forte demum detegendo, suspicio nostra subsistat, necesse est.

§. 554.

Tremor exiguus, recens, a plethora aut externa causa, et in aetatis flore non multum discriminis alit, nec medelam facile eludit.

Salu-

Salutares ſunt ubique moderatae, quae nervos et motrices fibras liberant, excretiones per alvum et cutem. Similique ſucceſſu haemorrhoides levant.

Ipſe tremor in paralyſi ſignum eſt redeuntis ad ſenſum atque motum facultatis, hactenus exſtinctae.

Tremor congenitus, et ſenilis leviter quidem fertur, at immedicabilis eſt, et ad mortem plerumque comitatur. Quodſi haereditarium malum fuerit, etiam juvenilia corpora in vigore aetatis corripit, nec ſine moleſtia per totam vitam ſuſtinetur. Pejoris nominis eſt, qui plura loca occupat, aut nobiliora, velut caput.

Omnis vero tremor ab internis cauſis facile in convulſiones, lethargum, paralyſin, imo apoplexiam degenerat. Vel ſola magna animi commotio in convulſiones per tremores praecipitat.

Gravior apoplexia, ſuperata cauſa, aliquando relinquit tremorem.

In vulneratis, lethargicis et phreniticis tremores ſummum periculum denunciant. Nec ſine periculo ſunt, qui acutorum morborum principia aut fines comitantur, etiamſi delirio ſoluti; quod ſane idem eſt, quam pejori malo locum relinquere.

Aliquando totius corporis ſtupor tremoribus ſupervenit.

§. 535.

In curatione tam communibus quibusdam praeſidiis, quam ſingularibus opus eſt pro cauſarum diſcrimine.

Communia vero ſunt tonica et nervina, quae fibrarum motricium et nervorum debilitati ſuccurrunt. Spe-

 ctant

ctant huc maxime spiritus urinosi, liquor cornu cervi succinatus, essentia rosmarini, succini, ambrae, castoreum, vinum et spiritus vini etiam a cephalicis herbis distillati pauxillum; extus vero frictiones cum pannis calidis, olibano atque succino antea persumigatis, fotus vini, in quo ruta, origanum, salvia, rosmarinus, majorana, sabina, flores lavendulae, baccae lauri et juniperi incocta, imo et spiritus vini aliquid admixtum; ex quibus etiam sacculi sicci et cucuphae parari possunt, capiti raso imponendae; porro lotiones membri tremuli cum decocto vinoso harum stirpium, inunctiones cum oleo rutae, liliorum convallium et castorei, atque balnea tam naturalia quam artificialia, ex nervinis illis plantis instructa.

Enim vero in horum omnium usu videndum, num retentum vel copia gravet vel stimulo irritet nervos, adeoque evacuationem antea desideret: quo in casu modo venae sectio, modo purgantia, emetica, diaphoretica, diuretica praemittenda, aut protinus illis inter roborantia utendum. In cacochymicis etiam fonticuli prosunt. Si caput tremit, utiliter quoque errhina, gargarismi et masticatoria adferuntur.

Speciatim vero, si a frigore tremor est, balnea et infusa diaphoretica ex scordio et ligno sassafras, una cum roborantibus quibusdam, veluti conserva melissae, anthos, vel acoro condito conveniunt. Si ab animi pathematibus, haec, nisi ratione sopiri queant, contrariis sunt vincenda. Si a vino aut spiritibus ardentibus, aut calefaciente potu, lac aquae mixtum sub assiduo usu confert; contra vero, si a nimio usu potuum aquosorum tepidorum, aqua frigida et stomachica quaedam; si a narcoticis, clysteres acres, venae sectio, oxycratum, acetum et vinum. Si tremor ab hydrar-

hydrargyro eſt, detur antimonium crudum, aut ſulphur, aut infuſum vel eſſentia radicis enulae, et in potu ſalvia: applicari etiam utiliter ignis electricus poteſt. Si ab evacuatione immodica, caute corpus repleatur per emulſa, gelatinoſa et ſimilia. Si a crebra venere, lumbis parcendum, et lacte atque Chocolada vires inſtaurentur.

§. 556.

Denique in regimine vitae haec probe adhuc obſervanda ſunt. Aer nec nimis calidus, nec nimis frigidus ſit; victus nunquam acris et ſtimulans; exercitia et profuſiones humorum ſemper moderatae. Familiaritas abſit cum Venere et Baccho. Abſint vigiliae, lucubrationes, animi aeſtus et ſollicitudines. Cibi omnes ſint molles et boni ſucci, ſaepeque ſalvia, roſmarino, hyſſopo, majorana condiantur. Inter haec alvus nec ſtricta ſit, nec nimis laxa, ſique opus, nonniſi leuiter ſollicitetur.



CLASSIS VI.

ADYNAMIAE.

APOPLEXIA.

§. 557.

Magnus profecto et valde acutus morbus Apoplexia est, quam subitanea functionum animalium abolitio, cui difficilis ac stertorosa respiratio juncta, prodit.

Ita vero deprehenditur. Acutus dolor in capite, ejusque vel antica vel postica parte, subito hominem cum vertigine prehendit, oculi caligant, sic ut aliqui ambobus, aliqui altero intueri nequeant, inque artubus formicationis sensus est, tumque cunctis membris languidis et flaccidis homo repente tamquam attonitus, subinde cum clamore, concidit, omni sensu motuque privatus; palpebrae clausae vel suspensae sunt, os apertum est, et siquis eum vocet aut agitet, solum ingemiscit, nihil intelligit, spiritus magna cum difficultate ac stertore trahitur, cor valide pulsat, arteriarum quoque pulsus in principio magnus, post languidus est; inque hoc statu aeger vel subite exspirat, apparente ante os spuma, vel paullatim ad se redit valde enervatus et febre plerumque detentus, resolutoque alterutro latere cum lingua, memoriae etiam facultate subinde imminuta, et mente diversimode alienata. Nonnullis, dum corruerunt, stercus et urina sponte exeunt, ex naribus, ore et auribus, etiam post mortem, sanguis fluit, nervi quoque distenduntur, aut brachia saltem agitantur et vomitus, aliquando cruentus, demum accedit. Quibusdam facies tumet, genae colore florido suffunduntur, oculi rigidi prominent et lacrymas uberius fundunt.

Aliquot dies vel hebdomades, quin menses et annos ante insultum nonnullis os distorquetur; alii cephalalgiis, vertiginosa capitis temulentia, caligine aut corrusca-

ruſcatione viſus, ſuſurru aurium, memoriae ac ingenii hebetudine, loquelae quadam difficultate, frequenti, levi ac temporario hujus vel illius partis torpore, tremore, frigore, profundo ſomno, aut inſomniis ac incubo frequenter ſtipato, inſolito item genarum rubore, aut deformatione vultus, et decremento virium, quandoque etiam nauſea ſine manifeſta cauſa afficiuntur.

In leviore mali acceſſione pulſus et reſpiratio ſalva manet, oculique aperti ſunt.

§. 558.

At permultae cauſae apoplexiam excitare valent; quas in claſſes ſuas, ob diverſam agendi rationem, diſpeſci non incommodum videtur.

Primam claſſem conſtituunt illae res, quae ſanguinem nimis rareſaciunt, aut copioſius ad encephalum urgent, vel ipſius recurſum impediunt; unde turgida vaſa ipſius ſubſtantiam nimis comprimunt, et ipſa adeo interdum rumpuntur. Huc ergo ictus fulminis, inſolatio, ebrietas, liberalior et continuatus uſus vini et ſpirituum ardentium, ingluvies, plethora, amputatio membri, deficiens aut ſuppreſſa haemorrhagia, neglecta ſanguinis miſſio, obeſitas, graviorirae ac terroris adfectus, profuſum gaudium, ſubita aeſtuantis corporis refrigeratio, coryzae in catarrhali affectione ſuppreſſio, immoderati in partu niſus, viſcerum imi ventris vitia et ſpaſtica inde illata pathemata, nimia Venus, epilepſia, commotio cerebri, alapa, ſtrangulatus et vehementior tuſſis ex particula cibi in trachaeam illapſa, referenda ſunt. Quae ſingulae cauſae plerumque eam ſpeciem apoplexiae inferunt, quae vulgo ſanguinea cognominari ſolet.

Alte-

Altera classis causarum ejusmodi res comprehendit, quae encephali vasa nimis exhauriunt, et apoplexiam ex inanitione inferunt. Quorsum inprimis non solum vulnera vasorum ipsius encephali, sed etiam immoderata profluvia sanguinis ex aliis partibus, profusissimi alvi fluxus, iterumque morbi convulsivi, et hysterica ac hypochondriaca passio, itemque diuturnus moeror, ac intentae meditationes spectant.

Tertia classis humorum morbosorum raptum ad caput, sive metastases complectitur, quae in arthritico et podagrico morbo, in scabie repressa, in ulceribus crurum praemature exsiccatis, in retento lotio, febribus intermittentibus malignis, in variolis et post illas, et in morbis atrabilariis occurrunt.

Sub quarta classe causarum permulta vitia calvariae et encephali comprehenduntur, quae hujus functiones diu primum turbant et diversa capitis mala pariunt, denique vero illas prorsus supprimendo, letalem inferunt apoplexiam. Cujusmodi sunt exostoses in interiore tabula ossium cranii, colluvies serosa, ichorosa, gelatinosa in encephalo ejusdemve involucris, hydrops cerebri, hydrocephalum, inflammatio cerebri aut menyngum, abscessus, exulceratio et erosio substantiae cerebri, tumores steatomatici vel alius generis, itemque lapides intra cerebrum, ipsum cerebrum nimis molle vel durum, ossescentia vasorum, aut ligamentosus vel cartilaginosus habitus, aut varicosus, aër denique extricatus in vasis aut intra menynges obhaerescens.

Quinta classis venena quaedam sistit, opium, hyosciamum, cicutam utramque, daturam, belladonnam, nonnullos fungos, et summe letiferos halitus ex parietibus

tibus conclavium calce recens obductis et carbonibus ardentibus, arctiore loco conclusos, aliosque ex odoriferis rebus, alias innocuis, nimiopere congestos, et confertim diutius inspiratos: quorum omnium actio quidem obscura, effectus vero manifestus est, dum caput derepente petunt, dolores, vertigines, temulentiam, ac stuporem, tandemque, at perniciter satis, letalem apoplexiam progenerant.

Sexta denique classis diversa vitia in thorace exhibet, quae vel cerebro necessariam sanguinis ad suas functiones rite obeundas copiam denegant, vel ipsius recursum plus minus impediunt, et lente demum apoplexiam accersunt. Quorsum varias thoracis distorsiones, asthmata, polypos in corde et majoribus vasis, valvulas cordis induratas, ligamentosas, osseas, calculosas, et tumores in pectoris cavo natos et venam cavam superiorem, in quam jugulares venae se evacuant, comprimentes referimus.

*) Vid. *Io. Iac. Wepferi* L. *Observationes anatomicae de apoplexia*, novissime editum Amstel. 1724. 8. *Morgagni Epist. V. in L. de sedib. et causis morborum, per anatomen detectis*, et *Sam. Sigism Adami* diss. *de causis quibusdam specialibus apoplexiae, observationibus anatomicis rarioribus confirmatis.* Hal. 1764.

§. 559.

Ex his vero causis modo una, modo plures conjunctim apoplexiam nunc leviorem, nunc graviorem incutiunt. Simul vero inde patescit, pervulgatum illud discrimen apoplexiae in sanguineam et serosam, tametsi in se verum, nequaquam sufficere, quum depletio vasorum encephali aeque ac nimia repletio eorundem id malum inferre soleat *); imo adeo interdum nullum

nullum plane vitium, ac ne minimum quidem illinc reperiatur. **) Esse praeterea signa utriusque apoplexiae ab autoribus tradita valde ambigua et fallacia, nec infrequenter utramque speciem simul adesse, neque adeo denique ex effuso intra cerebrum cruore ejusve cava aut membranas semper apoplexiam fieri, permultis observationibus nunc certo constat. Quemadmodum et per has docemur, a distentis encephali vasis pariter posse ac a ruptis, apoplexiam letalem excitari. ***)

*) cf. *Morgagni* L. cit. *epistola V. tota*; et *C. A. Mangold* diss. docens, *Apoplexiae plures praeter sanguineam et serosam dari species*. Erford. 1765. itemque *Hoffmanni Medic. rat. syst. Cap. de morb. oesophagi convulsivis*, *Obs. I.* et *Act. Nat. Cur. Vol. X.* p. 123. nec non (Cl. *Thiery*) *Medecine experimentale* p. 143.

**) vid. Cel. *Tissot. Epist.* p. 169. edit. Baldinger.

***) vid. *Thiery l. c.*

§. 560.

Aetas virilis ac senilis potissimum in hunc morbum incidit, ut tamen nec juvenilis nec infantilis ab eo immunis sit, adeo, ut plures ex infantibus eodem interdum epidemico more corripiantur. Idem urbanis multo magis, quam ruricolis, infensus est.

Interim tamen sine singulari encephali imbecillitate fere nunquam istam fieri, tot tantaque capitis et nervorum mala diu ante praecedentia manifeste docent. Haecque debilitas aliquando nativa esse videtur; indeque certis familiis fatalis morbus deprehenditur.

Ceterum opportunissimus morbo hiems et autumnus est, ubi coelum nubilum, humidum atque frigidum exsistit,

exſiſtit, aut intemperies calida et humida ſubito algidam excipit, et viciſſim. *)

*) Hinc ex barometro apoplexiam praeſagire didicit *I. G. H. Kramerus* in *Commerc. Nor.* 1732. p. 346. art. I.

§. 561.

Vehementior apoplexia plane non, debilior autem difficulter ſolvitur.

Quibus per ſanitatem morbus contingit, intra ſeptem dies pereunt, niſi febris prehenderit, per quam plerumque convaleſcunt, reſolutione corporis poſthac tentati, aut mente capti vel memoria privati; certe toto corpore languent, et plerumque flatibus vehementer moleſtantur.

Praeterea ſalus expectanda eſt, ſi intra nychthaemerum reſpiratio liberior fit, aliaque ſymptomata remittunt. Sin aliter res evenit, et pulſus ſenſim in magnitudine creſcit, aegrotantes brevi moriuntur. Nulla autem apoplexia tam celerem atque ſubitaneam mortem infert, quam quae ex diuturno morbo naſcitur.

Subito etiam is perit, qui citra gravem aliquem morbum derepente ac praeter rationem ad excernenda ſtercora impellitur.

Nec ei medendum eſt, cui ſpuma circa os apparet; urina et ſtercora clam elabuntur; frigidusque ſudor, praeſertim in ſuperioribus partibus, guttatim haeret; ipſaque frigida reſpiratio eſt; aut ſi denique convulſivi motus in uno latere, ipſiusque pectoris accedunt.

Quisquis vero ſervatus fuerit, ille valetudinem ſuam ſemper ſuſpectam habere debet; ſiquidem morbus

bus plerumque modo citius modo tardius recurrit, et, quem prima vice dimiſerat, nunc altera, vel tertia, demum occidit. Pauciſſimi ſunt, quos bona aliqua fortuna periculo mortis diutius ſubtrahit.

Ne vero apoplecticum pro mortuo habeas, qui dein reviviſcit, *) ſcire licet, eum vere exſtinctum eſſe, qui ferro candente ad plantam pedis applicato aut incenſa cera ſigillata et ad varias corporis partes delapſa ad ſe non redit. Alia experimenta, quibus indagatur, an aurae vitalis aliquid ſuperſit, aliquando ſubobſcura ſunt, et decipiunt. **)

*) vid. *Horſt. L. VII. Hiſt. med. cap.* 9. *Zacut. Luſit. Prax admir. I obs.* 19. 190. II. 42.

**) vid. *Caſp. a Rejes Camp. elys. quaeſt. medic. Qu.* 79. *p.* 1054.

§. 562.

In tam praecipiti et ancipiti malo non nimis diſtans eſſe curatio debet, ſed feſtinanter omnia agenda, ubi vitae ſigna adhuc adparent. Protinus ergo ſanguinem liberaliter ſemel, bis, terve intra horam mittere e vena jugulari, ex brachio, aut arteria temporali oportet, ſimulque cucurbitulas occipiti, inciſa cute, imponere, nec multo poſt ferrum candens nuchae vel plantae pedis applicare, inſuperque enema acrius ex ſale Anglicano aqua calida ſoluto, aut ſi nihil aliud haberi poteſt, ex decocto Caffé in alvum injicere. Ferrum candens plerumque ſolum ſufficit, et a recurrente morbo eximie quoque hominem praemunit, dum ulcus aliquamdiu alitur. Interim ipſius vicem veterum Periſcyphiſmus egregie ſuſtinebit; ſaltem ſubſtitui ſcarificationi occipitis poterit.

Diſcri

Discrimen apoplexiae in sanguineam et serosam in curatione non magnopere attendendum, propterea, quod certis notis non ubivis corporum deprehenditur.

Balsama sic dicta apoplectica et aquae apoplecticae, aliique liquores spirituosi, in os et nares ingesti, ceteraque excitantia vulgo adhiberi solita, fricationes, puta, agitationes et succussiones membrorum, vesicantia, emeticaque longe magis inimica, quam amica sunt, quod concitatum humorum motum multo adhuc concitatiorem reddunt, et ex parte quoque humores in encephalum, jam satis superque gravatum, majore vi impellunt. Plus confert quies corporis, erecto trunco, demissis cruribus, nudato capite et reliquis partibus parum tectis.

Simulatque attonitus paulisper ad se rediit, et deperditam deglutiendi facultatem recuperavit, lenientem potionem illi dari expedit juxta clysteres, et pro potu ptisanam temperantem aut oxymeli aqua dilutum.

Atque haec quidem in apoplexia febrili, undecunque orta, itemque in hac, quae ex metastasi humorum pravorum ad encephalum oboritur, facienda vel omittenda sunt. Si exanthematici illi sunt generis, sinapismos aut cantharides admoveri quoque oportet.

Si malum ex ingluvie est, aut in hysterica vel hypochondriaca affectione, tunc vomitorium non est negligendum. Idque etiam conduceret in ea apoplexia, ubi magis depleta, quam repleta, ac distenta sunt encephali vasa, dumne hujus causae indagatio, proh! dolor nos prorsus falleret, nisi ex praegressis profluviis se prodat. In hoc vero casu plane ab eodem abstinendum, et analepticis potius, ac replentibus, et frictionibus utendum est.

Quodsi

Quodſi in corpore cachectico, laxioris habitus, multisque humoribus ſeroſis oppleto, apoplexia ſe offert, venae ſectione aliisque ſanguinem evacuantibus remediis ſupra indicatis opus non eſt, niſi febris in corpore eſt; ſed ferramenrum in nucha candens una cum purgantibus paulo fortioribus, veluti ſenna, jalappa, pulvere Cornachino, ſalibusque amaris, requiritur: nec revellentia deinceps negligenda ſunt; nec diaphoretica fixa, quae inter copioſos ſudores attonitum nonnunquam reſtituunt.

Apoplexia ex obeſitate curationem omnem fere reſpuit, prophylaxin vero admittit; quam oxymel ſquilliticum cum ſale neutro, ſapo venetus, ſingula quidem ſub largo ac diuturno uſu, ſimulque diaeta tenuis, modicaeque exercitationes ſpondent.

Ab hauſto veneno ortus morbus emetica et antidotos deſiderat. Si ab effluviis prunarum, aliarumque rerum caput grauantium eſt, aer frigidus, pediluvia, clyſteres, et ſuccus citri aqua diſtemperatus opem ferunt.

Apoplexia ex longis curis et ex maraſmo ſenili evacuantia nulla fert, quum defectus virium ipſius cauſa eſt; contra vero roborantibus atque nutrientibus ei ſuccurrendum: quibus etiam parca manu, at ſaepe adſumtis, ſi fieri poteſt, optime avertitur.

§. 563.

Superato morbo, elixiria viſceralia et pilulae balſamicae vel aliud purgans per ſingulos menſes utiliter exhibentur: quibus neglectis reverſio metuenda eſt.

Ceterum his, quibus e longinquo morbus imminet, id quod praeſagientia ſymptomata (§. 562.)

clare docent, victus tenuis, et quidquid sanguinem tum minuit, tum ipsius turgescentiam aeque ac congestionem versus caput arcet, sedulo commendandum, alvusque perpetim aperta servanda, interdumque etiam per intervalla solvenda est *). Pituitosos sumtum emeticum singulis mensibus ab insidioso morbo praemunit.

*) De his omnibus vivendi regulis prolixius egit Cel. *Tissot. Epist. phys. med.* p. 149. seq.

PARALYSIS.

§. 564.

Tam chronica, quam acuta *), quin et quandoque intermittens affectio est Nervorum resolutio, quae modo totum corpus, excepto capite, infestat, Paraplegiam tum vocant, modo singulares partes, nunc unam, nunc simul plures, ac universim quasvis nervis atque fibris muscularibus instructas, maxime vero et frequentius linguam, brachium, crus, labium oris, oculum, palpebras et urinae vesicam, rarius cor, pulmones, oesophagum, stomachum, intestina, et colem.

In hoc malo facultas ad motum et sensum, aut ad alterutrum saltem vel prorsus abolita est in parte, vel aliquantisper superest; unde discrimen in paralysin perfectam et imperfectam nascitur; quam postremam hodie quoque Paresin appellant.

Neque vero ab omni paralysi dolor abest: **) inprimis cum paresi, ubi motus et sensus saltem depravatus, dolorificus sensus, qui et convulsiones particulares excitare potest, ***) conjunctus est.

Interdum etiam febris cum paralysi copulata est: interdum atroces et continui fere dolores in sana quadam parte vel pluribus.

Pulsus

Pulſus in membro paralytico plerumque inaequalis, ac paullo mollior atque tardior eſt: plerumque dico, nam interdum et perfecta aſphyxia adeſt, quam in brachio paralytico ex apoplexia, etiam poſt eius diſceſſum, aliquamdiu adhuc obſervavi.

*) vid. *Pet. Sal. Diverſi annotat. in Altomari artem medicam.* Cap. XIV. p. 444.

**) Iam dudum hoc fuit a *Caelio Aureliano* animadverſum *Morbor. chronicor.* *L. II. C. I* et recentiorum quoque obſervationibus paſſim confirmatum; vid. *Wepferi de affectib. capitis obſerv.* 155. *Foreſt L. X. obſ.* 121. 122. *Eph. Nat. Cur. dec. I. an. I. obſ.* 124.

***) vid. *River. Cent. I. obſ.* 74. In perfecta adeo paralyſi terribiles convulſiones ſaepe factas vidit Cel. *Camperus Demonſtr. anat. pathol. L. I. c. II.* p. 7.

§. 565.

Paralyſin autem producere valet primo, quidquid cerebrum aut nervos comprimit, erodit et diſtorquet: deinde quidquid nexum horum tollit cum parte: tum quidquid ſanguinis influxum in muſculos praepedit, aliterve ipſorum fibras enervat aut afficit, ſpeciatimque abſceſſus cerebri, tumores qualescunque ad viciniam nervorum aut vaſorum majorum, evacuationes retentae, dolores longi pertinaces, apoplexia, ſopores, convulſiones, vulnera, lapſus, ulcera praemature exſiccata, ſcabies et achores repreſſi, plica Polonica reſecta, lues venerea, ligaturae fortes, fracturae, luxationes, metaſtaſes ad nervos in chronicis et acutis morbis, abſceſſus ad vertebras, ſpina bifida, frigus, immanis terror, moeſtitia longa, ſingularia venena, ebrietas.

§. 566.

Diverſitas partium affectarum et ipſius vitii magnitudo efficit, ut alia paralyſis ſit ſanabilis, alia inſanabilis, alia letalis.

In universum autem insuperabilis haec est, quae ex vitio medullae cerebri et spinalis, et a nervo constanter compresso, aut discisso, vel destructo oritur: difficulter sanabilis, quae perfecta et cum atrophia partis, tumore oedematoso, frigore et convulsione conjuncta: haud ita tamen rebellis, in qua contrarium obtinet, aut quacum dolor in eadem parte alternat, aut in qua puncturae vel formicationis sensus percipitur, quamque tremor aut spastica quaedam contractio excipit: quemadmodum quoque in iis faustum eventum adhuc sperare licet, qui primis mensibus morbi copiosam salivam exspuunt, nec non urinam cum symptomatum levatione crassam, in qua crassa desident, aliquando emittunt, quibusque dolores in partibus sanis oborti usque ad evidens morbi decrementum persistunt, aridura partium laborantium denuo evanescit, istaeque manifesto succulentiores fiunt, ac pedes denique levi oedemate, declinante morbo, obsidentur, pulsusque magis aequalis, ordinatus et fortior evadit. Ceterum pedes paralytici plerumque citius, quam brachia sanantur. *) Paralysis ex dysenteria eo facilius sanatur, quo vetustior est; aliae contra, quo recentiores **).

*) vid. *Dan. Hoffmanni* diss. *de Paralysi cum quaestione, cur pes paralyticus citius restituatur, quam brachium.* Tubing. 1746.

**) vid. Ill. *Ph. Conr. Fabricii* diss. *de Paralysi brachii unius, et pedis alterius lateris dysentericis familiari.* Helmst. 1750.

§. 567.

Hemiplegia species est paralysis, quae dimidiam corporis partem occupat, interdumque etiam simul dimidium capitis latus. Ea aliquando apoplexiam sequitur, aliquando vero etiam per se ingruit, potissimumque senes, rarius pueros, infestat, sic ut praevio aliquam-

quamdiu torpore, ſtupore, cephalalgia, vertigine, alterutrum latus occupet, aut loquelam repente intercipiens, vel balbutiem ſaltem inferens, non multo poſt in latere erumpat. Initium in multis fit a convulſionibus cum diſtorſione oris, maxillae ſpaſmo, aphonia et ipſius membri poſthac paralyſin perpetientis convulſivo motu. Aliquando in uno latere paralyſis, in altero ſpaſmus eſt, ut tamen hic brevi rurſus finiatur, illa diutius perſeveret. Finito inſultu anxietas et tanta inquietudo nonnunquam relinquitur, ut vix aegri lecto contineri queant. Quidam intra paucos dies reſoluti lateris et linguae motum recuperant, quamvis raro perfectum: aliis longius morbus protrahitur, tandemque motus cum reſidua quadam impotentia, ſtupore, atque linguae gravitate recurrit: alii manent aphoni. Atque in hoc triſti ſtatu quidam multos annos perſiſtunt; ſemelque tentati in idem malum plerumque rurſus conjiciunrur, indeque nunc fere pereunt. Gravior hemiplegia, etiamſi ſanata, quandoque tabem paullatim poſt ſe trahit, icterumve nigrum, aut ſoporem apoplecticum, utrumque letalem. Multi praeterea mente non uno modo laborant, et puſillanimes, triſtes, ſtupidi, obliuioſi, fatui, maniacique fiunt. *).

*) vid. *Act. Nat. Cur. vol. V. obſ.* 41.

§. 568.

Utrumque morbum, paralyſin ac hemiplegiam, ab internis cauſis ortam, natura interdum ſolvit modo diarrhoea, modo febre ſive intermittente ſive acuta, modo tremore aut ſpaſtica partium contractione: qui duo poſtremi motus, una cum doloris aut formicationis ſenſu ſubinde in affecta parte oborto, ſaltem medentis operam ſecundant et initium ſolutionis factum eſſe oſtendunt. Nec mediocre levamen ſputa adferunt. Quapropter

propter vestigiis illis, quoad licet, ars merito insistit, dum evacuantia cum stimulantibus et attenuantibus crebro exhibentur. Igitur tertio quoque die potest sal polychrestum Seignette vel aliud quoddam purgans sumi, aut quotidie quoque alvus pilulis squilliticis ad quindecim grana datis solvi; pomeridianis et vespertinis horis autem confert sal cornu cervi aut viperarum a quatuor granis usque ad quindecim adscendendo, cumque pauxillo sacchari remixtum, aut mithridatio subactum, itemque tinctura antimonii acris cum aequali portione liquoris cornu cervi succinati ad quadraginta aut quinquaginta guttas, aut spiritus antiscorbuticus Drawitzii, vel tinctura vespae auratae *), eadem dosi. Matutinis horis, quando a purgatione vacat aeger, commodissime decocti aliquot patellas sumit, quod ex radicis sarsapariliae unciis duabus, imperatoriae uncia, baccarum juniperi drachmis duabus, herbae chamaepyreos, et florum cheiri, singulorum manipulo componitur.

Praeter haec vero cantharides adfectae parti utiliter adplicantur, eademve urticis caeditur, aut igne electrico saepius tentatur **). Si rebellius malum est, setaceum in nucha confert. Ceterum e re est, resoluto membro spiritum paralyticum Mynsichti per vices infricare, aut decoctum nicotianae imponere, nec non pannis calidis, fumo olibani, tacamahacae similiumque rerum imbutis, hoc ipsum perfricare.

Paralysis ex plethora aut retento sanguinis profluvio venae sectionem requirit, eamque etiam iteratam; sique ex plethora antea apoplexia excitata fuerit, etiam eccoprotica.

In paralysi cum tussi et febre exulare debent omnia calefacientia et spirituosa, utpote quae ista mala exasperant, viamque facile ad phthisin sternunt. Pectoralia

lia contra, et lenientia antiphlogistica proficiunt, quoad ista cessaverint; tumque priora demum antiparalytica una cum frictionibus in usum vocanda sunt.

In paralysi rheumatica juxta ignem electricum inprimis prodest longus lactis usus.

Paralysis intermittens cum febre intermittente conjuncta, per ipsius remedia, ac inprimis Kinkinam, curatur.

In paralysi a dolore colico commodissime ipsi ventri nervina illinuntur; in paralysi autem vesicae vel crurum a medullae spinalis vitio, huic ipsi tamquam sedi morbi.

In linguae paralysi specialiter prodest, os decocto radicis pyrethri et salis ammoniaci crebrius colluere, vel etiam linguae aliquot guttulas olei Cajeput cum saccharo subdere ***).

Resolutis palpebris oleum tartari foetidum, itemque oleum corticum aurantiorum aethereum pro illitione inservit.

Paralysis a frigore curationem ab antimonio crudo recipit.

Denique fortunato interdum accidit, quod vehementior ira, terror, laetitia, aegros a paralysi liberant.

*) Hanc tamquam novum et hucusque minus cognitum remedium non potui hoc loco prorsus reticere; cujus vires ab Ill. *God. Cph. Beireis* in diss. *de Paralysi gravissima femorum crurumque sanata, Helmst.* 1762. praedicantur; quas aliorum vero tentaminibus confirmari vehementer exopto.

**) Eum tamen non prodesse in paralysi scorbutica, Ill. *de Haen* animadvertit *Rat. med. III. c. 6. obs.* 17.

 ***)

***) Paralysis linguae a vesicatorio per errorem ipsi applicato sanata legitur *Act. Nat. Cur. vol. VI. obs.* 104.

CATALEPSIS.

§. 569.

Vix ullus morbus est, qui spectatores in tantam admirationem rapit, quam Catalepsis. Homo subito plerumque immotus, stupidus ac rigidus fit, inque eodem situ persistit, in quo comprehenditur, cum eo tamen, ut quocunque manus ejus, aut brachia, aut crura, imo totum corpus deducas, verbo, qualemcunque situm iisdem concilies, hunc ipsum protinus suscipiant et aliquamdiu quoque retineant. Rarissime dimidium saltem latus catalepsi pertentatur. Functiones animales simul suppressae sunt, adeo, ut nec compunctus homo sentiat. Vitales autem non cessant, plerumque saltem paullo debiliores sunt; et faciei color nihil vel parum a naturali recedit. Atque in hoc statu, qui vel semel tantum accidit, vel, quod frequentius, per intervalla, in alio aegro longiora, in alio breviora, redit, sique brevissimus ille est, per aliquot minuta, dimidiam vel integram horam, si longior, per plures, si longissimus, per unum, duo, tres, quatuorve dies persistit. Tumque inter alta suspiria velut e somno expergefactus ad se redit, muniaque sua obire pergit. A cibis plerumque plane abstinet, aut saltem paucis satiatur.

Atque haec est Catalepsis perfecta, in qua aeger simul immemor est eorum, quae in paroxysmo acciderunt, nec sibimet ipsi cognitus. In imperfecta aliquis sensus et quaedam recordatio factorum superest, vel saltem inflexum membrum situm, quem ipsi

ipſi aliquis dedit, non conſtanter retinet, ſed ſenſim et gradatim iterum in priorem reducitur.

Quidam cataleptici ſimul ecſtatici fiunt durante paroxyſmo, atque mira phantaſmata, viſiones divinas, conſortium angelorum enarrant; linguas, quas non didicerunt, loquuntur, ſi fabula vera; quin et futura praenunciare videntur.

§. 570.

Aeque rarus ac mirus hic morbus eſt, et vix alios quam melancholicos, et profundis meditationibus, etiam ſuper rebus ſacris, immerſos, aut violentiori mentis commotione percuſſos prehendit. Deinde vero a vermibus, a ſaburra ſtomachali tam pituitoſa, quam bilioſa, a colica ſpaſmodica, ab intenſo gelu, a retentis menſtruis et haemorrhoidali ſanguine, ab affectione hyſterica, a febribus tam acutis, quam intermittentibus, quarum ſingulis ſeſe immiſcet aut ſuccedit, producitur.

§. 571.

Aegre admodum tollitur catalepſis, niſi a vermibus profecta, aut a ſaburra ſtomachali: quae quam primum ejecta fuerint, id quod vel primo inſultu jam fieri poteſt, homo impoſterum immunis manet. Ubi vero iam moram traxit morbus atque diuturnitate invaluit, tum plerumque in tabem, melancholiam, epilepſiam, lethargum, aut letalem apoplexiam terminatur. Viſi etiam ſunt cataleptici comate, convulſionibus, epilepſia, delirio, mutatis vicibus teneri. Quam catalepſin recte complicatam nominabis. In febribus qualibuscunque plerumque letum adfert, niſi copioſe ſanguis e naribus exſtillet.

§. 572.

Caufa morbi non tam in encephalo, quam in imo ventre haerere videtur. Quorfum ergo in curatione quam maxime refpiciendum, fic ut vomitoria atque purgantia non folum aliquoties exhibeantur, fed et cortex Peruvianus, aliaque roborantia, et, fi vermium fufpicio, mercurialia. Sin ifta omnia nil juverint, ulcera in externa parte cantharidibus, igne, fetaceo excitanda funt. Sique a validiori mentis emotione aut profunda meditatione, nulla prefente caufa materiali, malum ortum, objectorum varietas fimul eft peregrinatione concilianda, nihilque non ftudiofe evitandum, quod mentem rurfus perturbare poffit. Quodfi denique morbus ab evacuationibus fuppreffis ortus, hifce curiofe profpiciendum.

In ipfo infultu non alienum quidem eft, excitantia acria in his, qui talia ferunt, experiri, naribus eadem fubmovendo, vel aliis locis adplicando; verum tamen omnia illa fruftra plerumque adhiberi, experientia demonftravit.

Cafus catalepticorum, qui dicta illuftrent et confirment, videfis in *M. Donati Hift. med. mirab.* C. I. p. 91. *Hollerii Comment. in Coac. praenot.* p. 66. *Pifonis de cognofcend. et curand. morb.* L. I. c 13. *Diverfi de affectib. particular.* p. 425. *Fernelii Patholog.* L. V. c. 2. *Ballonii Confil.* L. II. 1. *Hagendorn. Cent. I. hift.* 35. *H. ab Heer L. I. Obf.* 3. *Rondelet. method. curand.* L. I. c. 20. *Zacut. Lufit.* II. 42. *Forefti L.* X. *obf.* 42. *Mifcell. Nat, Cur. Dec. I. ann.* 4. p. 245. *Dec. II. ann.* 1. *obf.* 1. *Dec. III. ann.* 3. *obf.* 61. *Cent. V.* p. 195. *Act. Hafn. Vol. III.* 52. *Philofophic. Transact, N.* 437. *Act. Vratislav. Tent. XXV.* p. 240. *Act. Nat. C. Vol. I. obf.* 25. *Hift. de l'Ac. des Sc. de Par.* 1738. p. 56. *Act. Medic. Berol. Dec. I. vol. II.* p. 62. *van Swieten Comment. in Boerhaavii aphor.* T. III. p.

p. 313. 316. *Hoffmanni Med. rat. ſyſtem.* T. IV. P. I. Sect. I. cap. IV. obſ. 1. 2. *Boiſſier de Sauvages Noſolog. meth. T. II. cl. VI.* p. 415. 417. 418. 420. *Targioni Raccolta prima di oſſervaz. mediche* p. 97. *Recueil period. d'obſerv. de Medec.* par *Vandermonde* T. V. VI. p. 41. *Journ. de Medecine*, par *M. Roux*, T. XX. p. 407. ſequ. *I. F. de Pré* diſſ. *de raro affectu cataleptico*, Erf. 1721. *H. F. Delii* diatr. *de Catalepſi*, Erlang. 1754. 4. Neque vero ſilentio hic praetereundum, quod Cataleptici multi paſſim in libris Medicorum deſcribantur, qui tales non fuerunt, ſed potius tetano, comate, aut ſtupore laborarunt, quum ipſorum artus arbitrarias poſituras non ſuſceperint; quae tamen nota eſſentialis eſt catalepticae affectionis. Cujusmodi cataleptici falſo ſic dicti memorantur e. c. a *Platero L. I. obſerv.* p. 31. *Klaunigio noſocom. charit. obſ. VII.* p. 25. *Nov. act. nat. cur. T. I. obſ.* 99. *Sauvages l. c.* p. 418. n. 3. *Commerc. Nor.* 1731: p. 330.

AMBLYOPIA. HEMERALOPIA. NYCTALOPIA. AMAUROSIS.

§. 573.

Ad ejusmodi viſus vitia, quae ex imbecillitate partium oculi interiorum, viſui proxime inſervientium, oriuntur, quorumque indagatio et curatio non tam ad Chirurgos, quam ad Medicos pertinet, deſcribenda nunc progredior.

Leviſſimum omnium *Amblyopia* eſt, ſive Viſus hebes, in quo objecta, hucusque diſtincte viſa, nunc confuſa apparent, ſine ulla corneae vel interioris oculi opacitate; id quod vel conſtanter fit, vel interdum ſaltem, ſi oculus objectis minutis valde intentus fuit, aut ſplendore lucis nimis laceſſitus, aut ſi corpus exercitatione violenta nimis fuit defatigatum. Subinde etiam nebulae vel maculae quaſi ante alterutrum vel utrumque

que oculum obversantur, aestate tamen magis, quam hyeme *). Ex internis causis maxime plethora, congestiones sanguinis vel seri versus caput, nimium aeque ac retentum humorum profluvium, et digestio laesa id vitium producunt, praetereaque virilis ac senilis aetas, inprimis in presbytis, eidem obnoxia est.

Videtur istud ab imminuta retinae atque uveae sensibilitate proficisci: lucem enim a tenebris discernere homo potest. Hinc, quidquid fortius hasce tunicas afficit, non solum pro remedio esse potest; sed et quidquid easdem confirmat. Prius praestant perspicilla; alterum longior quies oculis concessa, aqua frigida iisdem frequentius cum fricatione admota **), et collyrium ex rosarum aqua stillatitia et vitriolo albo paratum, aut ex vino, quod super cariophyllis aromaticis, macere, aloe, croco metallorum et camphora stetit: quae cum linteaminibus complicatis oculo aliquoties de die superimponuntur aut palpebris saltem infricantur. Si causae materiales adsint in corpore, quae malum excitarunt; ad earum remotionem sedulo respiciendum est.

*) cf. Ill. *H. F. Delii* diss. *Phantasmata ante oculos volitantia.* Erlang. 1751.

**) vid. *G. Detharding* diss. *de specifico prophylactico oculorum.* Hafn. 1743.

§. 574.

Hemeralopia veterum *) (Nyctalopia recentiorum) est coecitas periodica, quae sub crepusculum matutinum ac vespertinum, repetitis vicibus, per plures dies, menses et annos incidit, quo visus homini ita obscuratur, ut quasi in tenebris versari videatur, cum alii tamen in eodem loco lucis vim sentiant. In nonnullis cessat malum, et stato tempore recurrit.

Haecce

Haecce amblyopia interdum epidemica eſt **), itemque hereditaria ***), et a temporaria relaxatione fibrarum retinae pendere videtur, quam ſeroſus humor ibidem producit. Pupilla ſimul magis dilatata eſt, quam in diſtincto viſu. Aer humidus et nebuloſus autumnali tempore ortum ejus facilitat.

Curationem praeſtant purgantia, diuretica, diaphoretica, veſicatoria, et cortex Peruvianus. Si ſanguis abundat, etiam ille minuendus eſt. Pituitoſa corpora et quae ſaburram in primis viis recondunt, emetica medicina juvat. Plerique interim ſine remediis convaleſcunt. Si nimis longum malum, coecitatis periculum adfert.

*) vid. *Anut. Foeſii Oecon. Hippocr.* p. 485.

**) vid. *Act. Vratislav. vol. VII.* p. 320. *Primit. phyſ. med. Medic. Polon. vol. I. obſ. XIX.* p. 233. *B. de Sauvages Noſol. meth. T. II. Cl. VI.* p. 264.

***) *Act. Nat. Cur. Vol. VII. obſ.* 28.

§. 575.

Nyctalopia veterum *) (Hemeralopia recentiorum) h. e. coecitas diurna oppoſitum priori (§. 574.) vitium eſt, in quo noctu, inde ab occaſu ſolis, tantum vident aegri, interdiu vero nihil cernunt. Atque hanc nyctalopiam perfectam dices, diverſam ab imperfecta, quae non toto die, ſed aliquot ſaltem horis infeſtat, et jam ante crepuſculum veſpertinum deſinit. Neque huic tamen nyctalopiae nomen recte datur, ſed potius amauroſis periodicae, niſi noctu homo acute videat **).

Quodſi gravius malum eſt, nyctalopes nec ſolis lucem in conclavi ſuo ferre poſſunt, ſed oculos ſemper clauſos tenent.

Haec-

Haecce imbecillitas oculorum, quam cujusvis aetatis homines, sicut priorem (§. 574.) experiuntur, a summa retinae sensibilitate derivanda est; quam quidem non aliae causae, quam quae Hemeralopiam supra producere dictae sunt, juxta diuturnum lacrymarum fluxum, producere consueverunt. Sponte etiam nyctalopes evadunt, non quidem semper intra fixos illos terminos, ab Hippocrate constitutos, quadragesimum diem, septimum mensem, ac integrum annum, sed nunc quoque citius, nunc serius.

Ipsa curatio non differt a praecedente (§. 574.): natura vero per abscessus ad superiores vel inferiores partes, aut per largam diuresin interdum morbum solvit.

*) *Hippocrat. Praedict. L. II.* p. m. 109. et de *morbis vulgar. L. V.* p. 1036.

**) Multoque minus ii nyctalopes dicendi sunt, quorum oculi propter inflammationem tam internam, quam externam, lucem aversantur: nam hi etiam noctu eandem effugiunt.

§. 576.

Quodsi oculi sine lippitudine, sine suffusione, visum perdiderunt, hoc singulare coecitatis genus est, quod *amaurosis* aut *gutta serena* dicitur. Pupilla non solum dilatata apparet, sed etiam immobilis est; sique ipsum oculum intueris, videtur ille tibi intus longe obscurior esse, quam sanus. Interdum vero uterque oculus simul occoecatur. Istaque coecitas quibusdam sensim ac pedetentim, aliis vero repente consuevit accidere, sic quidem, ut nunc vel constanter homo coecus fiat, vel eidem saltem per intervalla, aliquot horarum vel etiam dierum, videndi potestas eripiatur *). Unde amaurosin in continuam ac intermittentem merito diuidimus.

*) Hujus exempla vide in *Pechlini observat. L. I.* 42. *Heisteri medicin. Wahrnehm.* p. 720. *Stoerckii ann. med. I.* p. 75.

§. 577.

Oculi autem lumen suum sic amittunt, si nervus opticus, et tunica retina resolvuntur. Istiusmodi vero resolutionem diversae causae inducunt, velut commotio cerebri, vulnus capitis et superciliorum, tumores in cerebro et in ossibus tum calvariae, tum orbitae, nervum opticum prementes, dolores capitis longi, vulnus ictusve oculorum, aut nervi optici, emarcescentia, sanguis in caput et oculum regurgitans in plethora, graviditate, obstructione mensium et aliorum profluviorum, ac ebrietate; porro metastasis febrilis, apoplexia, paralysis, terror, morbi spasmodici, convulsivi, catarrhi, cacochymia, lues venerea, arthritis, aliusve morbus male et reprimentibus curatus, magna sanguinis profusio, perinde ac seminis, vigiliae nimiae, belladonnae baccae, radix, folia, stramoniumque extus oculis applicatum.

Praeterea resolutio oculorum nascitur a diuturno solis aliorumque corporum splendentium aspectu; aut si in oculos hominis, qui in tenebris diu fuit detentus, repente lux splendens et corusca, omnemque visum praestringens, admittitur: deinde etiam in his occurrit, qui in latrinis, quas expurgant, per plures horas commorantur.

Interdum denique infantes nascuntur coeci; id quod vero procedente aetate demum cognoscitur. Ipsorum quidem pupilla immobilis est, at praeter modum haud dilatata.

Ad haec vero notandum est, quod amaurosis constans sit symptoma apoplexiae, comatis, atque syncopes;

copes; et cum hisce affectibus incipiat, iterumque finiatur, praeterquam quod interdum post attonitum morbum relinquitur.

Quum in amaurosi oculus resolutus a sano haud differt; sequitur, ut diversa coecitatis genera, veluti haec, quae a lente cristallina tumida, ab humore vitreo tumido, corrupto et obscuro, itemque a myosi, et interna membranarum oculi inflammatione oritur, haud commode abs nonnullis autoribus ad amaurosin referantur; quum in his omnibus vitiis oculus a suo habitu naturali enormiter recedat, nec nervi optici, nec illius tunicae, a qua videndi facultas proficiscitur, resolutio coecitatem hic adferat. Tametsi vero facile concipitur, quod ab humore vitreo et cristallina lente, si intumescant, retina prematur, et quaedam ejus resolutio inde fieri possit; longe melius tamen haec vitia Glaucomatis nomine appellantur, praesertim, cum nec sola resolutio retinae, sed obscuritas potius horumdem humorum coecitatem hic efficiat.

§. 578.

Non omnis amaurosis arte elidi potest. Certe eam superat, quae a compressione atque laesione nervorum opticorum, a graviore oculorum ictu et vulnere, a colluvie seri in cerebro oritur; et quae diu jam adflixit, aut in senio accidit. Vix unquam quoque congenita amaurosis, et quae a cacochymia est, ac sensim pedetentimque se profert, itemque haec, quae in febribus acutis nascitur, et post comitialem morbum et post cephalaeam relinquitur, sanationem recipit. Coecitas a narcoticis, et in variis spasticis morbis, fugax est.

§. 579.

Quodſi amauroſis autem a reſtagnante in caput ſanguine eſt, et a retento ipſius profluvio; ſola ſaepe ſanguinis miſſio in pede priſtinam aciem viſus reſtituit: deinde alia congrua remedia, quae ſanguini viam ad exitum aperiant.

Eadem ſanguinis miſſio maxime in amauroſi neceſſaria eſt, quae febres acutas et apoplexiam ſanguineam ſequitur, ſiquidem ipſa quoque natura eam larga ſanguinis profuſione interdum ſolvit. Deinceps vero vires electricae experiendae.

Amauroſis ex venereo morbo potiſſimum concitato per mercurium ſalivae profluvio ſanatur.

At enim, ſi coecitas iſta ex humore excrementitio, extrinſecus admotis reprimentibus prohibito, orta; non ſolum proficere poſſunt curationes, quibus humida purgantur, et ſudor etiam evocatur; ſed experiri etiam ea licet, quibus malae materiae exitus datur: adeoque utiliter cantharides cervici et tergo admoventur, ſetaceumque etiam in nucha fieri poteſt. Verum haec ulcera diutius ſervanda ſunt.

Si amauroſis orta fuit poſt magnam ſanguinis profuſionem, vel immodicum concubitum, optima ejus praeſidia a victus ratione petuntur. Proſunt jura carnium, gelatinae, lac, et potiones, quae ex nucleis cacao parantur. Prodeſt etiam vinum meracius intus; extus vero ſacculi plantarum nervinarum ex vino calido expreſſi, et frequenter oculis admoti; itemque capitis fricationes, et aquarum ſtillicidia ad caput ex alto derivata. Poſt venerem a ludibriis venereis longe diuque praeterea eſt abſtinendum.

Qui, alias ſani, ex cacochymia lumen amiſerunt, aliquando iſtud poſt ulcera artificialia, purgantia, emetica, diuretica, mercurialia, martialia, ſtillicidium aquarum, et electricum ignem, tum ad foramen ſupra orbitale, tum ad inferiorem temporum partem, angulo recti propinquam, excitatum, recipiunt; cum eo, ut nec errhina, nec collyria ſpirituoſa ac vinoſa negligantur, ſed aſſidue ac frequenter admoveantur. Quae cuncta remedia, inter quae tamen hydrargyroſis omnibus palmam praefert, etiam aliquando in amauroſi ex longo capitis dolore proſiciunt.

Nonnulli ex his, qui ſine manifeſta cauſa ſubito occoecati ſunt, quum aliquamdiu nihil vidiſſent, vel ſponte natura, vel repentina profuſione alvi lumen receperunt.

Amauroſis intermittens cortice Peruviano inprimis opus habet.

Coecitas in latrinis acquiſita optime tollitur ſeceſſu et vacatione ab hoc labore per unum vel alterum diem, ac frequenti oculorum lotione et occluſione per viginti quatuor horas. Adverſus eandem praemunire ſe operarii poſſunt perſpicillis concavis, |qualia luſcis et ſtrabonibus adhibentur, accurate oculis applicatis.

In amauroſi congenita aliquando aquae ophthalmicae ſpirituoſae opitulantur.

Aduerſus amauroſin ex vulnere ſupercilii, ipſius fricatio ea parte, ubi ex orbita nervus, qui ramus nervi ophthalmici eſt, educitur, prodeſſe obſervata eſt.

ANOS-

ANOSMIA.

§. 580.

Amittitur olfactus partim ex evidentibus causis, partim ex obscuris. Generatim quidem iste perit, si sentiendi illa potestas, quae membranae narium pituitariae impressa est, tollitur, sique ipsius integritas atque tonus destruitur atque perit. Hinc ipsius nimia humiditas vel siccitas, compressio item, et erosio, et exulceratio, et ecchymosis causam proximam anosmiae efficiunt; adeoque illa a gravedine, coryza, polypo, ozaena, calculo membranae pituitariae, inflammatione ejusdem, fractura, carie, exostosi ossium nasi, contusione, abusu pulveris ptarmici, inprimis Hispanici, pulvere viarum multo in nares tracto, suppressis narium catharrhis, frigore intenso, ardente febre, affectibus soporosis, paralysi, foetidissimarumque rerum copioso ac frequenti odore inducitur. Enimvero et sine ejusmodi manifesta causa aliqua abolitum odoratum subinde obseruamus *); quem ad paralyticum nervorum olfactoriorum statum referri, necesse est. Ceterum, quod cum olfactu saepe gustus simul pereat, nemo fere ignorat.

*) vid. *Misc. Nat. Cur. Dec. III. ann.* 5. et 6. *obs.*161. et *I. I. Iantke Specim. XI. de odoratu abolito*, §. 11. Altorf. Nor. 1751.

§. 581.

Tametsi is affectus in se non est periculosus, nec a multis difficulter toleratur; pro ratione tamen causarum atque circumstantiarum nunc gravior, nunc levior existit, hincque curationem modo faciliorem, modo graviorem, modo vero nullam recipit.

Interdum olfactus, etiam post longam annorum seriem, sponte redit *). Difficillime contra restituitur,

ſi apoplexiam praegreſſam, aut paralyſin praeſentem, autorem habet, aut ab ozaena et majori polypo produducitur: at nunquam vero, ſi ipſum organon olfactus notabilem deſtructionem paſſum eſt.

*) vid. exemplum in *Iantkii diſſ. cit.* §. 20.

§. 582.

Quodſi anoſmia a decubitu ſeri acrioris vel viſcidi orta eſt, reſolventia et evacuantia, quae noxiam materiam tam in inferiora pellant, quam ad cutis atque renum colatorium derivent, neceſſaria ſunt: deinde vero ſimul fibris nerveis laxioribus naturalis tonus reſtituendus eſt. Utendum etiam eſt balneo et exercitationibus. In nares vero utiliter dantur ſtimulantia, velut ſuccus radicis betae rubrae expreſſus, vel liquor, qui ex aquae diſtillatae majoranae unciis duabus, lavendulae una, et ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſi drachma componitur, aut pulvis ex foliis majoranae, mari veri, reſina ligni guajaci, radice mechoacannae albae, ſaccharo, ambra, oleoque diſtillato thymi ac origani paratur.

Ad haec vero videndum, an nares nimis ſiccae ſint, an bene humidatae. Si prius eſt, vapor decocti emollientis aut aquae ſimplicis prodeſt; ſi poſterius, ab eo abſtinendum eſt.

In anoſmia ex apoplexia et paralyſi iisdem remediis ſuccurrendum.

Nec alienum eſt, fonticulos excitare, qui inprimis corporibus phlegmaticis proficiunt.

Quodſi vero olfactus a graviori laeſione partium naſi interiorum deſtructus fuerit; reſolventia et diſcutientia, epithematis aut fotus forma, ſive humidi, ſive ſicci, extus admovenda ſunt.

Alii

Alii narium morbi, qui olfactum deleverunt, chirurgicis auxiliis, si fieri potest, curantur.

Denique ab usu pulverum sternutatoriorum abstinere hi sensim pedetentimque debent, qui anosmiam sibi inde contraxerunt.

AVDITVS DIFFICILIS. SVRDITAS.

§. 583.

In auditu gravi debiles soni prorsus non, magni vero obscure percipiuntur: et quisquis hoc vitio laborat, ille surdaster dicitur. Ab eodem surdus gradu tantum differt.

Agnoscit utrumque malum pro principali causa humorum vel rubrorum vel serosorum decubitum ad aures; hinc plethora, vehemens acris ad aures impulsio, refrigeratio subita capitis sudore madidi, et sub salivatione mercuriali, insolatio, catarrhus narium cohibitus, commotio cerebri, paralysis, terror, spasmi abdominis, copiosi flatus, adstricta alvus, profluvia naturalia retenta, ulcera antiqua consolidata, achores et aliae efflorescentiae repressae, aer frigidus impetuose ad aurem admissus, inflammatio auris internae et partium vicinarum, febres continuae, et affectus apoplectici ac soporosi id malum efficiunt.

Praeterea hoc ipsum ab obesitate, a nimia auris siccitate, quae in senio potissimum contingit, itemque a cerumine multo indurato, a crusta, qualis supra ulcera innascitur, meatum auditorium obstruente, a glandulis hujus meatus tumefactis, a parotidibus eundem comprimentibus, a corpore in aures illapso, ab Eusta-

chii tuba obſtructa, nec non a vitio nervi acuſtici, a membrana tympani rupta, a mala auris internae conformatione et exulceratione, carie, exoſtoſi partium ejusdem, itemque ab auriculae defectu, producitur.

Tinnitus ſaepe cum his vitiis conjunctus eſt: haecque modo in alterutra aure, modo in utraque exiſtunt, atque nunc repente, nunc pedetentim oriuntur.

Quidam ſurdi et ſurdaſtri etiam naſcuntur. Et illos quidem poſthaec quoque mutos fieri, haud difficulter intelligitur.

§. 584.

Notabile eſt, difficultatem auditus pro diuerſitate cauſarum diverſa ratione ac tempore exacerbari. Qui a congeſtione ſanguinis ad caput huic malo obnoxii ſunt, ipſius augmentum tempore aequinoctiali experiuntur. Qui ex decubitu humoris ſeroſi et nervorum laxitate difficulter audiunt, mali ſui exacerbationem coelo exiſtente nebuloſo atque pluvioſo percipiunt: quae tempeſtas viciſſim iis malum levat, qui ex nimia aurium ſiccitate in δυσηκόιαν inciderunt. Qui denique ex vitio primarum viarum ſurdaſtri ſunt, mali ſui inſigne augmentum capiunt a ſumto cibo coctu difficiliori ac flatulento.

§. 585.

Difficilem admodum prognoſin non minus, quam curationem omnes auditus laeſiones habent; nativa vero et ſenilis δυσηκόια, et congenita ſurditas, et quae ab interna partium deſtructione orta, omnem plane medelam excludunt. Rarum eſt, ſurdum a nativitate ſpontaneo ſeri ex aure effluxu auditum recuperare.

Faci-

Faciliorem curationem exſpectare licet, ſi gravitas auditus a cerumine tantum indurato, a ſiccitate auris febrili, ab Euſtachii tuba obdurata, a ventriculi et hypochondriorum vitio, et humorum decubitu ad aures proficiſcitur.

Non levem contra difficultatem ea habet ſurditas, quae ab improvido regimine ſub mercuriali cura ortum ducit.

In plethoricis et infirmis corporibus, ſi gravitas auditus dolorem capitis et vertiginem excipit, non levis metus apoplexiae oritur.

Auditus gravis cephalalgiae ſuperveniens ſaepe guttis aqueis ſolvitur, capite inclinato per os et nares deſtillantibus.

Obauditio catarrhalis ſaepe aſthmate, oedemate, otalgia, abſceſſu auris, exanthemate chronico, et vario ulcere tollitur.

Periodica ex menſtruorum vitio ſemper fere ceſſat ſuccedente fluxu regulari.

A cerebri vitio nata facilius, quam quae ab auris vitio, ſanatur.

Quae per intervalla creſcit et decreſcit ſurditas; nunquam ita immorigera eſt, quam quae aliter ſe habet.

Quae in acutis contingit et alvum retinet, tum haemorrhagia narium, tum alvi fluxu ſoluitur: alias delirium et convulſiones portendit. Surditas autem poſt delirium admodum ſalutaris eſt, et ſub urina cocta plerumque ceſſat. Quae vero dejectiones nigras et haemorrhagiam excipit, ea ſignum fere letale exhibet.

Abſceſſus ad aures ex ſurditate plerumque ſalutares ſunt, utique in ſoporoſis.

Obauditio ex decubitu humorum ſaepe fragore quodam inſtar bombardae exploſae in aure percepto diſcutitur: quem eminus quoque interdum percipere licet. Antequam vero id fiat, vehementes dolores ſpaſtici caput et aurem plerumque vexare ſolent.

§. 586.

In curatione maxime ad ſpeciales cauſas reſpiciendum eſt. In illa ergo auditus gravitate, quae a nimia cruoris copia, ejusque redundantia in caput et aures naſcitur, ſanguinis miſſio prae ceteris prodeſt; utique, ſi ſuppreſſum ſanguinis profluvium praeceſſerit, aut per aetatis rationem ceſſaverit. Adhaec non alienum eſt, intus laxantibus per intervalla uti, extus vero ſacculis diſcutientibus ſiccis, et pediluviis.

Quae catarrhalibus defluxionibus debetur, ea purgantia, diaphoretica, diuretica, veſicatoria pone aures, et cucurbitulas ad dorſum requirit. In aurem vero ſpiritus ſalis ammoniaci ſuccinatus aut cum calce viva paratus, itemque oleum diſtillatum origani vel majoranae, ad aliquot guttas bombaci inſtillata, utiliter conjiciuntur. Si per haec malum non ceſſat, fonticulus debet in proceſſu maſtoideo lapide infernali excitari.

Si achores, aliaeque efflore ſcentiae repreſſae auditum gravem pepererunt, oportet humores ad cutem revocare. Sin hoc fieri nequeat, per nova emunctoria educendi ſunt purgantibus, diureticis, fonticulis, veſicatoriis.

Ubi vitium in primis viis haeret, praeter purgantia ex uſu ſunt elixiria viſceralia, ſtomachica, carminativa,

va, aquae minerales, et exercitationes. Si alvus non respondet, clementioribus ducenda est.

Contra obauditionem ex pinguedine aucta pugnare inedia oportet.

In nimia membranarum siccitate juvat potus tenuis copiosus, vapor item decocti absinthii ex lacte, aut salviae rutaeque ex vino, nec non oleum amygdalarum dulcium saepe auri instillatum, vel panis recens ex clibano extractus et in majoribus frustis eidem applicatus, adsperso etiam balsamo vitae Hoffmanniano, vel alio.

A mercuriali cura si auditus periit, purgantibus, sternutatoriis, vesicatoriis, et apozematibus diaphoreticis ex temperantibus lignis et radice enulae, malum sublevandum, simulque balsamum vitae quoddam in gossypio auri instillandum, sique nihil haec omnia proficiunt, salivatio de integro instituenda est.

Ex cerumine indurato si malum ortum, satis est, oleum amygdalarum amararum aut cremorem lactis in aures infundere, easdemque dein specillo repurgare. Si crusta est, infundendum est aut oleum calidum, aut unguentum aegyptiacum, vel porri succus, aut cum mulso nitri paulum: atque, ubi crusta ex auricula procidit, eluenda est aqua tepida; quo facilius ea per se diducta specillo protrahat.

Si tuba Eustachii obstructa est, gargarizationes ex aceto squillitico, aut oxymelite, in quo pauxillum salis ammoniaci solutum, una cnm masticatoriis ac sternutatoriis conveniunt. Injectiones per nares exercitatissimum artificem requirunt.

Ubi ex magno fragore gravius audire aliquis cepit, jubendus est, ut obturatis ore et naribus, aerem exspiratum

 ratum

ratum vi, plus ſimplici vice, in Euſtachii tubam impellat: quo ſubito ſaepe auditus reſtituitur.

Ceterum tubi acuſtici e diverſa materia fabrefacti auditus difficultatem levant. Surdi vero, quum audire volunt, commode bacillis ligneis uti poſſunt, inter ſuos et loquentis dentes maxillae ſuperioris interpoſitis. Facilius etiam quidam audiunt, ſi ſuper eorum caput loquutus fueris. Optimam vero artem docendi ſurdos, *Ammannus* tradidit. Sed ipſe legendus eſt.

§. 587.

Singulare prorſus atque rarum ſurditatis genus eſt, in quo homo non niſi ad ſtrepitum quendam externum ſonos, etiamſi magnos, percipit *). Quod quomodo fiat, ego non bene comprehendo; quomodo removendum ſit, ignoro.

*) vid. *Thom. Williſii de Anim. brutor. P. I. c. XIV.* p. m. 108. et *Phil. Tranſ. N.* 35.

RAUCITAS.

§. 588.

Vulgare admodum vitium vocis eſt, quod Latinis Raucitas, Graecis *βράγχος* appellari ſolet: quo vox naturalem ſuam claritatem amittit, nec amplius ſonora eſt, ſed obſcura, aſpera ac imminuta redditur, ut perſaepe non niſi a prope adſtantibus audiri ac intelligi poſſit.

§. 589.

In larynge et trachaea quaerendam habemus raucitatis ſedem, ejusque varias et gradatas affectiones; ſi nempe hocce organon ita conſtitutum eſt, ut elaſticae ipſius partes ab expulſo aere difficulter in motum

tre-

tremulum agantur: quod fit quidem, si orbantur suo humore, qui ipsis aequalitatem ac laevorem praestare debet; sive ille ex inquilinis causis debite non secernatur, sive copiose influens in laryngem, pororum exitu constricto, aut ob nimiam tenacitatem, intus cohibeatur, sive extrinsecus ipsius secretio impediatur, poris, unde scaturit, obstipatis. Id autem potissimum a catarrho, sudore multo, protracta vocis contentione, frigore magno atque pulvere in laryngem illapso fieri solet. Quapropter hae sunt frequentiores raucitatis causae.

Verum, quum et aliarum partium vicinarum, veli, puta, palatini atque narium ministerio opus est, ut commode aer in pulmones trahi possit, iterumque expelli, huncque in finem hae ipsae partes, perinde ac trachaea, oblitae muco sunt atque levigatae: sequitur, ut et ab harum vitio simili vox rauca producatur, et a pluribus aliis, inflammatione, exulceratione ve earumdem, et copiosiore pituitae in faucibus congestione. Ab his enim vitiis pariter, ac a superioribus illis, aspritudines quaedam ac inaequalitates in viis, quas vox trajicere debet, relinquuntur.

Praeterea senes, et qui ex loco calido frigidis se ventis exponunt, aut in locum frigidum, velut in cellam, concedunt probe incalescente corpore, quique potum frigidum copiose hauriunt, itemque phthisici, haemorrhoidarii, podagrici, strumosi, hypochondriaci, qui doloribus colicis diu infestantur, et qui venenatos halitus inspirarunt, raucitati patent. Morbillis ea quoque non raro accidit, ut et febribus acutis malignis. Inter res esculentas maxime nuces juglandes sicciores raucitatem adferunt,

Deni-

Denique ea etiam oritur, si cartilagines laryngis hinc inde in osseam substantiam degenerarunt; aut cartilago thyreoidea fissuram accepit*); aut denique nervus recurrens in collo fuit resectus **).

*) Exemplum utriusque vitii in uno homine rauco reperti habetur in *Act. Nat. Cur. vol. X. obs.* 13.

**) vid. *Isbr. Diemerbroeck Opp. pract. Obs. IX.* p. m. 576.

§. 590.

Verno potissimum tempore frequens est raucitas; deinde omni alio, si aquiloniae constitutiones diu durant, aut mox ab austrinis excipiuntur.

Quamquam raucitas catarrhalis plerumque transitoria est, potest tamen etiam longa fieri et periculosa, si nec evitatis causis, nec regimine observato, praepostere fovetur. Longus catarrhus etiam longam raucitatem, eamque interdum gravem, inducit. Sudore, alvi fluxu, vel papulis prurientibus sub mento erumpentibus, natura saepe eam solvit.

Podagrica atque haemorrhoidalis raucitas aegre sanatur, nisi densa pituita demum excussa fuerit.

Raucitas senum resolutionem vix admittit. Sed et in junioribus quandoque vix superatur.

Raucitas a protracta vocis contentione temporaria est. Interdum haec ipsa contentio raucitatem catarrhalem aliquantisper dispellit; quae vero sub quiete deinceps revertitur.

Phthisicorum raucitas insuperabilis est, et praesagium morbi letiferi praebet.

Nullam etiam curationem admittit, quae a mala conformatione laryngis atque faucium, ab effluviis venena-

nenatis, a strumis, et a resecto nervo recurrente proficiscitur.

Raucitas morbillis et febribus malignis accedens mala est.

Quidam, alioqui prosperrima valetudine gaudentes, per omnem vitam raucitate detinentur, et articulate quidem vocem proferunt, sed nisum quendam aut pressum in gutture adhibere coguntur, si commode exaudiri ac intelligi velint. Dum clamant, vox habet aliquid striduli et clangosi, qualis est gruum, aut a graui tono inchoato in acutum desinit *). In talibus autem quid vitii subsit, non temere dixerim. Fuisse tamen a prima natiuitate videtur; id quod tanto magis credibile, quum alia persona, in qua id obseruatum fuit, etiam in prolem aliquam illud transtulerit **).

*) Exemplum est in diss. *de Raucitate*, quae sub b. *Roedereri* praesidio a *Iac. Samuel* habita fuit, Gotting. 1759. §. XIX.

**) Enarrante *I. H. Schulzio* diss. *de Raucitate*. Hal. 1740. §. XVI.

§. 591.

Ad raucitatem catarrhalem et a ventosa tempestate, frigido potu, ac refrigeratione corporis contractam optima remedia sunt infusa vel essentiae diaphoreticae, aethiops mineralis, pulveres ex florum sulphuris drachma una, radicis ireos Florentinae, ari, antimonii diaphoretici, singulorum scrupulis duobus, olei distillati foeniculi guttis duabus compositi, et in sex vel nouem partes diuisi, quarum una mane et vesperi sumitur; aut linctus ex syrupi liquiritiae unciis duabus, oxymellis squillitici uncia una mixtus; cujus aliquot cochlearia parva ter in die lambantur; aut denique morsuli, ex

succo

ſucco liquiritiae, myrrha, gummi tragacanthae et ſaccharo penidio cum roſarum aqua ſtillatitia parati, et pondere dimidiae unciae aliquoties de die lente in ore liquati ac deglutiti. Interdum etiam his laxantia interponi debent.

Raucitati cum ariditate faucium accommodatiſſimus eſt vitellus ovi cum ſaccharo jejuno ſumtus, aut ſyrupus violarum cum oleo amygdalarum dulcium, vel oleum hyperici coctum ad dimidium cochlear cum juſculo calido aut infuſo Theae hauſtum.

Quae ab aliis morbis pendet, proprias curationes non habet, ſed emendatis et curatis illis ſoluitur.

LOQVELAE VITIA.

§. 592.

Varia ſunt loquelae vitia, quae non poſſum ſicco prorſus pede praeterire, blaeſitas, balbuties, iſchnophonia, battariſmus, ſibiliſmus, rottaciſmus, mutitas: quae quidem ſi non univerſim emendare licet, accurate tamen cognoſcere ac inter ſe diſtinguere fas eſt.

Blaeſitas, τραυλώτης, vitioſa eſt litterae pronunciatio, v. c. *f* loco *ſ*, *d* loco *k*, *l* loco *r*, *ſ* loco *g*.

Balbuties, ψελλισμός, eſt, cum inter pronuntiandum littera aut ſyllaba eliditur.

Iſchnophonia vitium eſt pronuntiationis, quo ſyllaba ſyllabae cito non copulatur.

Battariſmus ſermonem praecipitat, atque ſyllabam aliquoties cum celeritate repetit.

Sibiliſmus, vitium loquelae, ubi verba cum ſibilo per dentes molares proferuntur.

Rotta-

Rottacismus, ubi littera *r* in postica parte palati cum stridore et asperitate formatur.

Mutitas denique est loquelae privatio, ἀφονια etiam vulgo dicitur; quae vero proprie defectum vocis denotat.

§. 593.

Natio, patria, aetas, affectatio, morbus, mala conformatio partium ad loquelam inservientium, cuncta haec vitia generant: quae corrigere universim si velis, aliter disponere linguam doceto. Quodsi vero insigne vitium in ipsa lingua est, velut si nimis brevis, longa, aut magna, aut immobilis est; vitium profecto insanabile existit.

DYSPNOEA. ASTHMA.

§. 594.

Quamquam respiratio in permultis morbis laeditur, sic, ut cum difficultate vel leviori vel graviori aliquamdiu peragatur; de ejusmodi tamen symptomatica difficultate respirandi, cujus species dispnoea et asthma sunt, mihi in praesenti non est sermo; sed de illis, tamquam morbis primariis atque idiopathicis, qui per se existunt et sedem causae in organo respirationis habent, hic tantum expono.

Enimvero modo potius, quam respectu causarum, dispnoea et asthma inter se differunt. Illa nempe levior, at continua est respirandi difficultas; hoc vero periodica et gravior, aliquando cum constrictionis sensu in faucibus conjuncta. Utraque affectio chronica est; et, si ad ejusmodi gradum adscendit, ut acuto et suffocatorio modo, nec nisi erecta

recta cervice, peragi possit, Orthopnoeae nomen ipsi imponitur.

Ut tamen symptomaticam respirandi difficultatem non prorsus omittam, sciendum est, eam a praemagno tumore praeternaturali in abdomine, a nimis magno viscere ibidem, a graviditate, ascite, tympanite, hypochondriaca et hysterica affectione, cardialgia, hernia ventriculi, hydrope thoracis et pericardii, aneurysmate ac polypo cordis et majorum vasorum, corde praemagno, et scorbuto proficisci, iisdemque morbis vel constanter vel per intervalla comitem se adjungere.

§. 595.

Iam ad ipsius asthmatis descriptionem venio, quod sic innotescit. Spiratio aegra et difficilis est, maxime in cursu ac itinere acclivi: gravitas corporis et tarditas ad gerendum qualecunque opus: raucitas et tussis saepe praesto est. Atque haec omnia quidem asthma communia habet cum dyspnoea. Praeter haec vero in eodem somnus exiguus vel nullus est; appetentia quoque ciborum parva vel prorsus abolita, flatus atque ructus praeter rationem excitantur; alvus plerumque adstricta est, urina vero per accessiones, quae noctu inprimis et subinde statis horis ingravescunt, tenuis et aquosa. Ubi malum adolevit, dolor capitis insuetus furit, homo aliquantisper fit soporosus, subinde prae aeris cupiditate ac suffocationis metu os aperit, erecto trunco sedet, e lecto exsilit: facies pallida et collapsa est, vox obscura, oculi prominentes, respiratio sonora, tussis aspera, qua sanguis vel purus vel sputo mixtus aliquando rejicitur, pulsus parvus, creber, saepe intermittens, interdum nullus, sudores quasi syncoptici.

ci. Denique facies colore lurido atque plumbeo notatur, pedes, interdumque etiam facies et manus intumescunt, icterus superuenit, atque paralytica etiam lateris, vel saltem brachii adfectio, aut amaurosis, aut febricula cum mentis alienatione atque etiam vomitu accedit, et sub hoc statu lente demum aeger strangulatur. At quidam asthmatici etiam subito exstinguuntur.

Ubi morbus in melius vergit, sputa qualiacunque copiosius tussi ejiciuntur, interdum gypseae consistentiae, vel calculi adeo, magnitudine hordei vel pisi. Ad haec vox sonatior et clarior fit, atque somni longiores. Quibusdam multa aquea per ventrem descendunt; aliis urina, aliis saliva copiosissime profluit, idque vel critice vel symptomatice. Denique quidam dolorem in dorso, aut praecordiis, vel in pectore, modo continuum, modo intermittentem experiuntur.

Vid. *J. Floyer Traité de l' Asthme*, trad. de l' Angl. Par. 1761. *Humfr. Ridley Observ. de asthmate* &c. L.B. 1738.

§. 596.

Cum dysuria, arthritide, et convulsionibus artuum asthma interdum alternat.

Siccum et convulsivum insanabile est, et in phthisin terminatur.

Multi asthmatici liberius spirant, dum pedes tument, in feminis etiam partes naturales: tumore vero rursus disparente, in pristinam difficultatem relabuntur.

Multi possunt munia sua adhuc obire, donec graviores accessiones contigerint.

In multis tam asthmaticis, quam dyspnoicis per ae-

 statem

ſtatem reſpiratio bona et facilis eſt; inclinante vero autumno malum recrudeſcit et quotidie intenditur. Quidam nubila atque humida tempeſtate, alii ſicca gravius afficiuntur.

In pueris aſthmaticis ſubinde glandulae ſub axillis, in collo, et alibi intumeſcunt.

Nonnullos haemorrhagia et febris quartana ab aſthmate liberat; itemque abſceſſus ad crura.

Ingruentes paroxyſmos interdum alvi fluxus praenuntiat.

Ubi tuſſis hucusque humida ſubito in aſthmatico ceſſat, vel ſputa minuuntur remanente ſpirandi difficultate, mortis periculum imminet.

§. 597.

Gibboſi, et obeſi, itemque ſenes, pueri cachectici, metallicolae, molitores, lapicidae et qui tuſſi frequenter tentantur, dyſpnoeae et aſthmati quam maxime patent. Ad haec vero utrumque malum a pulmonibus ſcirrhoſis, ſteatomatoſis, aridis, hydrope ac emphyſemate eorundem, itemque a vomica, vino lithargyrio mangonizato, repreſſa ſcabie aliave cutis efflorescentia, ulcere temere exſiccato, diarrhoea ſuppreſſa, regreſſu variolarum et morbillorum, plethora, acrioribus effluviis variarum rerum, materia arthritica et podagrica, oſſeſcentia cartilaginum coſtarum, ſterni, bronchiorum, pleurae, atque vulnere thoracis proficiſcitur.

Pulmonum concretio cum pleura frequentiſſime quidem in aſthmaticorum cadaveribus conſpicitur; neque tamen pro cauſa morbi, ſed effectu tantum haben-

da

da eſt; utique cum conſtat, quod ea per ſe nullam ſpirandi difficultatem efficiat.

Pro diſcrimine ſedis et cauſarum aſthmatis variis cognominibus illud diſtingui ſolet, idiopathici, ſympathici, humidi, catarrhalis, ſicci, convulſivi, ſpaſmodico-flatulenti ſive hypochondriaci, ſanguinei, ſcorbutici, paralytici, metallici ſive montani, ſcirrhoſi, nocturni, ſenilis, periodici. Ignorare vero non oportet, haecce diſcrimina partim praeter rem eſſe multiplicata et varietates quasdam pro ſpeciebus proponi; partim vero non completa eſſe, ſic, vt variis ſpeciebus adaugeri adhuc debeant; quae ex ſupra memoratis cauſis facile definiuntur.

§. 598.

Non poteſt ſanari aſthma, nec dyſpnoea, niſi viae aeriferae ab illa materia, quae ſpaſmum ibi facit, vel easdem infarcit, liberentur. Si prius eſt, auxilium eſt in demulcentibus et evacuantibus diverſi generis: ſi poſterius, fortiora reſolventia cum his requiruntur.

Speciatim vero proſunt in aſthmate humido ex evacuantium claſſe purgantia, vomitoria, ac diuretica, inprimis balſamum ſulphuris aniſatum ac therebinthinatum, oxymel de colchico, et eſſentia cantharidum; deinde quoque veſicatoria: ex reſolventium vero ordine gummi galbanum et ammoniacum, et quae ex hoc parata jam proſtant medicamenta, nec non oxymel ſquilliticum, pulvis ſquillae compoſitus, pilulae balſamicae Mortoni, ſquilliticae, looch ad aſthma, et decoctum ex herbae ſerpilli manipulis duobus, radicis ononidis uncia, et aquae fontanae libris tribus; cui deinde, quum adhuc fervet, vini albi libra admiſcetur; ad cyathum vini mane ac veſperi ſumendum. Atque haec re-

 ſol-

ſoluentia etiam in aſthmate ſcirrhoſo levamen adfe-runt.

Adverſus aſthma ſiccum, juxta atque ſpaſmodicum, auxilium eſt, niſi aliquid prohibet, in ſanguinis detra-ctione, atque demulcentibus, inprimis decocto ſemi-nis pſyllii aut radicis altheae, aliquoties de die ad ali-quot uncias hauſto, addito etiam liquore cornu cervi ſuccinato. Neque id ſatis eſt, ſed thorax cataplaſma-tis calidis ac humidis adjuvandus eſt, et poſtea unguen-tum pectorale ſuperimponendum: liquanda interdum etiam alvus eſt, et caput in lecto ſublime habendum. Experiri etiam corticem Peruvianum et opiata, extus vero cantharides, licet.

Aſthmati ex plethora, aut ſanguinis ſaltem turge-ſcentia, ſanguinis miſſio optime ſuccurrit.

In aſthmate montano lac calidum jejuno dandum, praetereaque cibo pingui ac oleoſo frequenter utendum. Quae remedia etiam illis proſunt, qui ab effluviis ſatur-ninis, aut etiam aliis metallicis aſthmatici facti ſunt; item-que his, qui a vino lithargyriſato malum ſibi contraxe-runt.

Ad aſthma convulſivum prodeſt opium, venae ſe-ctio, et ſulphur antimonii auratum cum arcano dupli-cato, ſic, ut hujus drachma dimidia, illius granum unum vel duo inuicem ſumantur. Nec veſicatoria uti-litate carent.

Quodſi aſthma a variolis aut morbillis eſt, ſpiritus ſalis ammoniaci juvat. Si a ſcabie repulſa, cum ſca-bioſo dormiendum eſt, ut ſcabies revocetur, vel alia ra-tione hoc exſequendum, prout alibi praecipietur.

Paroxyſmum qualemcunque optime mitigat liquor mineralis anodynus Hoffmanni cum laudano liquido Sy-

den-

denhami ad pares portiones mixtus, et a duodecim guttis usque ad ſedecim aliquoties datus. Ad haec vero ſanguinis miſſio, emeticum, aut purgans medicamentum, aut clyſteres interdum utilitatem habent; itemque ſperma ceti a ſcrupulo usque ad drachmam cum infuſo hyſſopi vel theae calidiſſime hauſtum. Multi levamen ſentiunt, quando inclinato capite pectus concutitur, aut brachia ſupra januam ſuſpenduntur, aut extenſa menſae imponuntur.

In aſthmate paralytico evacuantia omnis generis nocent; ſaluberrimum contra eſt vinum caleſactum in prandio et coena.

Optima pro ſuſpirioſis potio eſt aqua cum tertia vel quarta parte lactis remixta. Inter cibos nonniſi lenes et ſorbitiones proſunt; ſed nihil magis, quam ambulatio lenta pene usque ad laſſitudinem, fricatioque multa, et, ſi ferri poteſt, nihilque prohibet, equitatio.

SUFFOCATI.

§. 599.

Non jam de Suffocatione uniuerſim hic exponere animus eſt; ſed de ea ſaltem, quam res quaedam externae, aqua, vapores carbonum ardentium, ſodinarum metallicarum, cryptarum, latrinarum, et muſti cereviſiaeque fermentantis, vel ſaniſſimo cuilibet inferre ſolent. Reliqua ſuffocationis genera, quae tam a vitiis viarum aëriferarum, oris, naſi, palati, gulae, laryngis, aſperae arteriae, pulmonum, quam a corporibus peregrinis in trachaeam aut oeſophagum delapſis, induci conſueuerunt, praetereo, quum eorum mentio paſſim jam alibi facta eſt.

§. 600.

Quod igitur primum ad Submersos pertinet, qui inprimis respiratione, propter haustam pulmonibus aquam, intercepta, *) intra breve tempus, accedente immenso terrore et ipsius aquae frigore, pereunt; unde et apoplexia et syncope grauior excitatur; hos optime in vitam, quoad licet, intra unam vel alteram horam revocabis, si, demtis vestimentis, protinus jugularem venam secaveris, fauces intrusa plumula, oleo madida, irritaueris, miserum intra lectum deportatum pannis calidis diu multumque fricaveris, et, quam primum fieri potest, calidioribus stragulis, quin et arena cinereue calefacto probe obtegeris, simulque tabaci fumum per fistulam in alvum immiseris. Nec alienum est, aerem admoto alterius ore vel per follem in pulmones, pulveremque sternutatorium in nares insufflare, enema salibus acuatum, aut ex vino et nervinis plantis paratum in alvum injicere, aut emeticum liquidum per os infundere. Enimvero scire oportet, cuncta ista auxilia cum celeritate rapienda esse. In Bronchotomia, utpote ratiocinio ficto superstructa, parum spei collocandum; nisi forte dolor ille, quem Chirurgi culter in collo facit, quidpiam ad submersum excitandum valeat.

*) vid. *E. J. A. Evers Experimenta circa submersos in animalibus instituta.* Gotting. 1753. et Ill. *Halleri Opusc. pathol. Obs. LXII.* p. 156.

§. 601.

Equidem omnis fumus suffocare valet, si condensatus fuerit; at ille vero, quem carbones vivi ardentes in occluso loco invisibili ratione dimittunt, hominibus summe pestiferus est, iisdemque necem intra paucas infert horas, certe in grave vitae atque sanitatis periculum eosdem conjicit *).

Sympto-

Symptomata autem, quibus affliguntur, qui effluvia ista incautius ore ac naribus hauserunt, sunt cephalalgia, summus virium languor, artuum impotentia, alienatio mentis, aphonia, animi deliquia: quibus demum omnium sensuum suppressio, difficillima respiratio, et profundus ac letiferus sopor supervenit.

Narcoticae indolis esse haec venefica effluvia, tam plurima symptomata, tam vasa menyngum cerebri nimis distenta in cadaveribus demonstrant.

Aliter paulo, respirationis nempe interceptione, eaque subitanea, sive ob aerem elasticitate sua priuatum, sive nimis elasticum, illi pereunt, certe periculum mortis incurrunt, qui cryptas charoneas **) et fodinas metallicas, qualicunque vapore, qui et faces exstinguit, repletas intrant, aut cellas majores, musti vel cevisiae fermentantis effluviis plenas, nec aeris perflatum habentes ***), itemque illi, qui arsenici vapores attrahunt, qui sepulcra in templis, aut puteos aperiunt, aut majores latrinas expurgant.

Hos cunctos vero semimortuos illico oportet in liberum atque purum aerem transportare, eorumque membra fortiter fricare pannis; sanguinem item e vena mittere, ac enema acre in alvum aliquoties injicere. Nec alienum censeo, motum et sensum per plumulam in fauces intrusam, ut antecedente paragrapho dictum est, excitare.

Resuscitati aliquamdiu languent, ac difficulter respirant, et quiete atque analepticis opus habent. Nonnullis eorum sanguis ex naribus et ore profluit, ac vomitus contingit. Alii in varios pectoris morbos aut febres incidunt, alii delirant, aut soporosi aliquamdiu redduntur.

 *) vid.

*) vid. *Frid. Hoffmanni Bedenken vom schaedlichen Dampf der Holzkohlen.* Hal. 1716. 8.

**) vid. *Bernh. Connor Dissertat. med. phys. I. de antris letiferis.* Oxon. 1695. 8.

***) vid. H. *Fr. Teichmeyeri* et *J. Cph. Tanneberg* diss. *de Suffocatione ex musto fermentante.* Jen. 1729.

SYNCOPE.

§. 602.

Syncope praeceps virium lapsus est. In ea cor quiescit, respiratio intercipitur, corporis summa frigent, tempora, cervix, thorax, manus sudore frigido madent, facies pallet, mens sensusque omnis deficit, totumque corpus quasi enervatum jacet. Levior ejus gradus, ubi cordis motus non prorsus sublatus est, *Lipothymia* dicitur.

Aliqua adfectionis praesensio est, dum vertigines fiunt, visus acies hebescit, phantasmata ante oculos obversantur, in fronte sudor frigidus erumpit, in auribus sibilus aut susurrus percipitur, oscitatio aliquoties ingruit, fastidium urget, circa cor ebullitio quaedam calida sentitur, cum pulsu inaequali et horrore levi: quibus interdum borborygmi et flatuum motus cum abdominis distentione junguntur.

Finita accessione, sensus inter alta suspiria ac oscitationes paullatim redeunt, cordis motus ac pulsus restituitur, facies pallida rubicundior redditur, omnesque suppressae functiones sensim eriguntur. Quibusdam etiam multi flatus supra infraque erumpunt.

§. 603.

Omnis cordis affectus, saeva animi pathemata, idio-

idiosyncrasia, dolor vehemens, nimia ciborum, praesertim post morbum, devoratio, inedia, abundantia sanguinis, immodica illius et aliorum humorum exinanitio, immoderata Venus, ictus fulminis, conclave balneumque nimis calidum, flatus stomachum nimium distendentes, pervigilium, febres malignae, sphacelosa membri et visceris corruptio, ulcus cancrosum, apostema visceris ruptum, scorbutus, hectica consummata, omnis gravior cachexia, hypochondriaci ac hysterici affectus, syncopen inferunt. Quod ipsum quoque praestant situs corporis erectus in malignis morbis, venena, purgantia, emetica, opiata improvide data, nec non varia suaveolentia.

§. 604.

Quo leviores sunt causae, quae Syncopen excitant, eo minus ea periculosa; et vicissim.

Quae saepius repetit, sine causa externa, et, quae diu durat per plures horas non solum, sed etiam dies, valde pernitiosa est, et posterior saepe letalis. Periculum augent ubique accedentes conuulsiones.

Neque ea periculo caret, quae uteri strangulatui, itemque haemorrhagiis immoderatis superuenit, aut ex chronica cordis palpitatione saepius nascitur, vel ex fulminis fit ictu.

Nihil magis autem ad letalem syncopen disponit, quam polypus cordis et contiguorum vasorum.

Denique ea letalis evadit, quae a sphacelo, et ab opio excitatur.

Syncope dolori colico vehementi superveniens, ipsi interdum remedio est.

§. 605.

In insultu oportet subito relaxare quaevis vincula, quae partes tum superiores, tum medias, tum infimas stringunt, simulque naribus acre quid et grave olens, velut spiritum salis ammoniaci, sal volatile Anglicanum, acetum rutae, asam foetidam, castoreum admovere. Convenit quoque aegrum in situ neque nimis elato, neque nimis declivi continere, totam faciem ejus aqua frigida superfundere, palpebris ac temporibus aliquot guttas aquae apoplecticae aut balsami vitae illinere, naribus etiam sternutatoria insufflare, pectus denique et extremas partes pannis calidis perfricare.

Minus tutum est, ori liquores spirituosos infundere; quispe qui facile in trachaeam incidere possunt, et suffocationem inducere.

Ubi ad se redire syncoptici ceperunt, vinum illis meracum dare oportet ad refocillandas vires, vel aquam saltem aromaticam, qualis est cinnamomi, liliorum convallium, melissae, singulae cum vino paratae, admixta etiam confectione alkermes.

§. 606.

Extra paroxysmum ejusmodi remedia decernenda sunt, quae amoliendis causis accommodata. Quapropter, si iracundia vel saevus dolor syncopen pepererunt, blanda anodyna ex usu sunt, velut liquor mineralis anodynus Hoffmanni, cum duabus partibus tincturae rhabarbari ac una castorei remixtus; vel pulvis Marchionis cum aliquot granis theriacae caelestis: si immodica inanitio, alimenta nutrientia et vinum fervens aromatibus conditum, adjecto simul vitello ovi: si plethora, detractio sanguinis, et ptisana, et temperantia medica-

men-

menta: ſi emetica aut purgans medicina valentior, eſſentia theriacalis, ac emulſiones ex amygdalis dulcibus, vitellis ovorum et croco: ſi venenum, lac multum cum olivarum aut amygdalarum oleo: ſi febris maligna aut putredo, ſuccus citri, acetum, cortexque Peruvianus: ſi hyſtericus et hypochondriacus affectus, pulvis abſorbens Wedelii, elixir proprietatis cum dimidia parte eſſentiae theriacalis et quarta ſpiritus nitri dulcis aut carminativi de tribus, ſimulque Clyſteres ex chamomillae floribus, millefolio et ſale gemmae: ſi fulminis ictus, omnia ea auxilia, quae ſupra (§. 605.) ad excitandos ſyncopticos praecepi, quantocyus, una cum enemate ſtimulante, et venaeſectione adferenda. Lipothymiam ſub venaeſectione decubitus ſupinus aut collutio oris aqua frigida praevertit, ſub paracenteſi autem vinctura abdominis.

APEPSIA. DYSPEPSIA. DIAPHTHORA.

§. 657.

Ventriculus ut primae coctionis officina eſt, diverſis pathematibus prehenditur, Apepſia h. e. cruditate, quae priuatio eſt concoctionis; Dyſpepſia, quae difficilis et tarda concoctio; Diaphthora, quae vitioſa ciborum corruptio.

§. 608.

Cauſae harum adfectionum nonniſi vi et magnitudine diſtant. Tales autem ſunt ventriculi atonia, pylori laxitas aut praeternaturalis tumor, omneque morbi genus, quod ventriculi concoctionem praevertit; porro ciborum inſufficiens maſticatio, ſalivalis laticis inertia

tia ac defectus, ingestorum exsuperantia, prava eorundem qualitas ac intempestivus usus, immoderatae vigiliae, graviores animi curae, meditationes profundae, profluvia sanguinis magna, frequens emeticorum ac purgantium usus, rei venereae excessus, somnus meridianus, quem non omnes bene ferunt, itemque omnis ventriculi cruditas acida, pituitosa, nidorosa, atque sanguinis ad ventriculum congestiones, quae in his maxime fiunt, quibus menstrua ac haemorrhoides non rite succedunt. Denique et jecinoris, lienis, uteri mesenteriique vitia vel integre sani ventriculi concoctionem praepediunt sympathia quadam et adfectus communicatione; siquidem melancholicis et hypochondriacis, et quibus imus venter abscessu aut humorum gravi vitio laborat, ventriculus vitiosa illa qualitate lacessitus male coquit.

§. 609.

Quodsi haec ventriculi vitia diu perdurant, alia nova inde resultant, et primo quidem ipsae illae §. 608. memoratae cruditates, deinde languor, cardialgia, ructus, nausea, soda, intestinorum dolor, varii ventris fluxus, ipsius inflatio, febris, dyspnoea, cacochymia, macies, hydrops, scabies, rachitis, obstructiones viscerum, malum hypochondriacum, ac in feminis mensium obstructio.

§. 610.

Atoniam ventriculi, quam inprimis nimia a parco cibo ac potu repletio significat, optime haec emendant, quae calefaciunt, stimulant atque roborant; cujusmodi sunt pulveres ex radice ari, pimpinellae, zedoariae, sale absinthii ac oleo distillato menthae compositi; itemque infusum semivinosum ex foliis carduibenedi-

nedicti, floribus centaurii minoris, radice gentianae rubrae, et cortice gascarillae; nec non liquor ex extracto centaurii minoris, gentianae rubrae, cardui benedicti, terra foliata tartari in aqua distillata menthae aut vino solutis, adjecto sale volatili oleoso Sylvii; juxta topica quaedam stomachica, qualis est liquor ex aqua anhaltina, spiritu salis ammoniaci vinoso, oleisque distillatis menthae ac caryophyllorum paratus; aut linimentum, quod ex emplastro de crusta panis, unguento stomachali, oleo nucis moschatae expresso, et balsamo Peruviano, inter se invicem mixtis, componitur.

Ubi vitium a congestione sanguinis ortum, quaevis calefacientia evitanda sunt; contra vero sanguinis missiones, temperantia ac enemata adhibenda.

Cruditates brevissima via educendae sunt, et quidquid superest, corrigendum, posteaque, si necesse, adhuc euerrendum. Pituitosae autem cruditati maxime dicata sunt radix ari, pimpinellae, ireos utriusque, sal ammoniacum, salia fixa media, praesertim terra foliata tartari, tartarusque tartarisatus, alcalina, et pulvis stomachicus Birckmanni. Acidae vero potus theae, salia alcalina, terrea, et species diacretae Mynsichti; biliosae denique et rancidae rheum, tamarindi, tartari cremor, spiritus minerales dulces, et elixir vitrioli Mynsichti opponuntur.

Quoties iracundia in causa est, ac bilis portio in ventriculum est delata, rhabarbarina cum cremore tartari proficiunt, hisque non sufficientibus, emeticum lene altero vel tertio die datum.

Ubi terror aut moestitia turbarum autor fuit, pulvis cordialis Zellensis aut elaeosaccharum cinnamomii inprimis conducit. Nihil magis contra alienum est, quam pulvis Halensium antispasmodicus.

Ubi

Ubi materia arthritica, ſcabioſa, exanthematica ventriculo inhaeret, diaphoretica blandiora admodum ſunt proficua, inprimisque mixtura ſimplex camphorata, cum aequali portione ſyrupi florum papaveris erratici remixta et ad guttas triginta ultraque data.

Si cibi coctu difficiles aſſumti, ac in ventriculo adhuc haerent, emetica medicina prodeſt.

ANOREXIA.

§. 611.

Imminuitur aut prorſus proſternitur ciborum cupiditas vel cum faſtidio, vel ſine illo, quando ſtomachus materia cruda repletus eſt, aut multus humor aliorſum eo confluxit vel intra ejus vaſa ſubſiſtit, aut evacuatio nimia humoris boni vel mali accidit, aut humorum digerentium defectus eſt, vel qualitas vitiata.

In primo et altero caſu emetica et laxantia, deinceps incidentia atque roborantia requiruntur: in tertio moderantia ac emulſiones analepticae ex amygdalis dulcibus, itemque juſcula carnium gelatinoſa et lacticinia: in quarto ſaponacea et ſtomachica, in quinto denique evacuantia.

§. 612.

Porro vero anorexia ex quouis fere ventriculi ac omni alio morbo oritur; itemque ex ſpirituum ardentium abuſu. Illa nullam propriam medelam poſtulat: haec non niſi ipſorum abſtinentia ſanatur.

Tandem et metaſtaſis materiae eryſipelatoſae, podagricae, febrilis, ichoroſae, purulentae, anorexiam infert: quae nonniſi reductione ejus ad conſueta loca deſinit.

Ano-

Anorexiam ex plethora ſola ſaepe venae ſectio tollit.

VIRILITAS EXSTINCTA.

§. 613.

Datur erigendi colis aut ſaltem non ſatis diu, ac decet, erigendi ad celebrandum concubitum, in aetate florida ac ſecunda valetudine, impotentia: quam virilitatis exſtinctae nomine appellamus.

§. 614.

Ejus autem praecipuae cauſae ſunt penuria ſeminis, et quidquid eam efficit, velut indecens manu ſtupratio, ac nimis frequens concubitus: deinde nervorum virgae reſolutio, quae et nativa, licet rariſſime, eſſe conſuevit *), et ex frigore, aliisque cauſis inducitur.

Diabolicas ac veneficas operationes ut ridiculas ac ſuperſtitioſas cauſas merito rejicimus.

*) Notabile exemplum occurrit in *Juſt. Veſti* diſſ. *de Impotent. viril.* Erford. 1704. §. 11.

§. 615.

Ad curationem conferunt praeter longam a quavis ſeminis emiſſione abſtinentiam victus optime nutriens, ac medicamenta, quae cum robur nervorum reſtaurant, tum ipſam augent ſeminis materiam. Ex quibus praecipua ſunt balnea frigida, cortex Peruvianus electuarium, diaſatyrium, confectio alkermes completa, zinziber conditum, et quae ex his fiunt compoſitiones, item pulvis aphrodiſiacus Plateri ac infuſum theeforme ex radice caryophyllatae, et extus

tus ſpiritus formicarum, roſmarini, ac zibethum inter ſe mixta, colique aliquoties in die illita.

Impotentia a paralyſi colis, undecunque orta, fere inſanabilis eſt.

§. 616.

Nonnullos juſto vehementior aeſtus impotentes reddit, dum ſemen, antequam in vulvam immittitur, jam effluit, mentulaque nunc praemature flacceſcit. At hocce incommodum ſola familiaritas ac frequens conſuetudo cum conjuge paullatim tollit.

§. 617.

Ab exſtincta virilitate, cujus index eſt denegata facultas erigendi virgam, ſaltem quoad ſemen emiſſum fuerit, aliud vitium in viris aliquantum differt, ad ipſorum impotentiam referri ſolitum, quando quidem nec ſtimuli venerei defectus adeſt, nec rigiditas virgae deſicit, ſed emiſſio tamen ſeminis ob alteratam ſtructuram partium naturalium decenter fieri non poteſt, hinc nec femina fecundari. Hujus autem vitii varia genera variaeque cauſae exiſtunt, cujusmodi ſunt hernia ſcroti praemagna, virga nimis brevis, urethra antice clauſa, tubercula morboſa qualiacunque eam intus obſidentia *), durities ſcirrhoſa in corporibus cavernoſis, orificium praeputii nimis anguſtatum, ulcus veſicularum ſeminalium in inteſtinum rectum hians, ac nimia urethrae ſub ipſo coitu conſtrictio **). Denique etiam epilepſia ſub ipſo concubitu maritum pertentans emiſſionem ſeminis impedit.

Pleraque horum vitiorum praeſidia ex Chirurgia petunt, niſi inſuperabilia fuerint.

*) Se-

*) Semen ex vesiculis expressum tum aliquando refluit in vesicam, et deinceps cum vrina mittitur. vid. *Mem. de l' Acad. Roj. de Chirurg. T. I. p.* 434. et *Consultations par M. Deidier*. T. III. 1.

**) vid. *Medic. Essays of Edimb. I.* 35.

STERILITAS MVLIERVM.

§. 618.

Sterilitas, id vero est, impedita facultas sub aetate congrua et amplexu mariti, nullo vitio vel morbo partium genitalium suarum laborantis, concipiendi prolem, non vna de causa in mulieribus nascitur.

Primum enim potest ea a malo corporis habitu, inordinato aut suppresso menstruorum fluxu, obesitate nimia vel gracilitate, malaue corporis conformatione proficisci.

Deinde concreta genitalia vel morbo vel natura, tumores vaginam uteri infarcientes, uterus orificio suo transuersali destitutus, defectus uteri vel ovariorum, uterus scirrhosus, cartilagineus, steatomaticus, polyposus, exulceratus, sero vel aere repletus, tubae Fallopianae qualicunque ratione occoecatae, ovaria morbosa, orificium uteri internum a tumore, aut membrana compressum vel occlusum, itemque a naturali situ deflectens, conceptionem ex parte semper, ex parte plerumque impediunt.

Denique sterilitas ex habitu ad virilitatem accedente, in feminis barbatis et voce grauescentibus, obseruatur.

An vero etiam mulieres infecundae sint, si in venereo congressu omni sensu voluptatis careant, de eo


merito dubitamus: quemadmodum etiam ſterilitatem ex veneficio tamquam fictam rejicimus. Quod autem nimis frequens concubitus ad ſterilitatem multum conferat, illud ſceleſtae meretrices exemplo ſuo luculenter confirmant.

§. 619.

Curationis ſpes non ubique concipienda eſt; ſiquidem non omnes cauſae nec deprehendi, nec remoueri poſſunt. At quaedam Chirurgi manum duntaxat deſiderant.

Quodſi vero a malo corporis habitu pendet conceptionis impedimentum, alterantia atque tonica diu uſurpata, juxta purgantia per epicraſin et thermas conducunt, haud neglectis exercitationibus.

Pro ſingulari ſecreto aduerſus ſterilitatem mulierum vegetarum abs nonnullis habetur aqua rorellae in balneo Mariae diſtillata atque aliquoties cohobata, ſi cochlearia ejus tria plena uxori a purgatione menſtrua exhibeantur ſub introitum in lectum, idque ter vel quater repetatur; ſimulque maritus eadem ſic utatur, ut ſecundo, tertio vel quarto die a finitis menſtruis concumbat: quippe qui terminus conceptionis habetur aptiſſimus. Alii radicem Satyrii, et ſalem ejus fixum, et elixir uterinum Crollii extollunt. Quibus remediis et ſimilibus aliis ego quidem neque multum fido, neque multum diffido, quoniam natura in multis rebus incomprehenſibilis eſt. Enimuero et ſub iſtiusmodi experimentis, et citra illa natura ſola aliquando mulieres fecundas reddit, in quibus ouula juſto ſerius perueniunt ad maturitatem.



CLAS-

CLASSIS VII.

HYPERAESTHISES.

VERTIGO.

§. 620.

Vertigine comprehenditur, cui omnia objecta videntur rotari una cum proprio corpore, quod ipsum quoque, inprimisque pedes subito vacillant, sic, ut se vix possit homo libere sustinere, sed ad obvium corpus firmare se cogatur, nisi velit concidere. Colores varii simul oculis obversantur, aut visus prorsus obscuratur, aut duplicatus est vel dimidiatus. Plerumque etiam susurrus aurium, tinnitus ac difficilis auditus praesto est: aliquando ructus, nausea, vomendi conatus cum leui animi deliquio ac ipso vomitu: aliquando capitis dolor. Facies in aliis rubet, arteriis capitis vehementer pulsantibus, venisque tumidis; in aliis pallescit, et artus refrigescunt. Quidam adeo frigus pedum tamquam mali praenuncium sentiunt. Rarius id cum sternutatione invadit ac finitur.

Prout igitur plura vel pauciora symptomata vertigini juncta sunt, pro eo gravior vel mitior ea existit, et cognomina quoque inde accipit, sic, vt *simplex* appelletur, si sensum tantum circumgyrationis adfert; *Scotomia*, si visus simul obscuratur; *caduca* denique, si praeter haec homo in terram cadit, pereunte omni sensu.

Praeterea vertigo modo continua affectio est, modo periodica ac recurrens; occupatque praesertim subjecta sanguinea, senilia, viribus defraudata, hypochondriaca, hysterica, et quae alvi sunt durioris, imique ventris spasmis cruciantur. Deinde vernali et autumnali tempore, quo repentinae tempestatum mutationes contingunt, frequenter obseruatur.

§. 621.

Singularis affectio nervi optici ac retinae oculi videtur sive per se, sive sub nimia repletione vasorum cerebri sanguineorum serosorumve, vertiginem inducere. Prius ex eo manifestum fit, quod complures homines ex alto loco despicientes, aut facem aliamve rem celerius rotatam intuentes, aut navi vecti, protinus eadem corripiuntur. Alterum aliae causae evidentes et corporeae demonstrant: cujusmodi sunt plethora, ebrietas, inclinatio capitis ad terram, immoderatum studium, violentia capiti illata, graviditas, cachexia, frigus, ventriculi inflatio, spasmi imi ventris, adstricta alvus, nicotianae fumus in non adsuetis, variarum stirpium venenatarum esus, balneum nimis calidum, terror ac ira.

Ceterum vertigo saepe morbus ventriculi est, et a cruditatibus potissimum proficiscitur, sympathica speciatimque hypochondriaca, si ab hypochondriaco malo natales mutuatur, nunc cognominata. Quorsum et illa referenda, quae a jejunio, vigiliis longis, et languore corporis universali ex quocunque morbo suboritur.

§. 622.

Quo gravior vertigo et quo longior est, eo pertinaciorem causam agnoscit.

Idiopathica, longe rebellior quam sympathica, tantum non semper graviorem capitis adfectum, apoplexiam, paralysin, soporem, convulsiones, amaurosin minatur. E quibus haec cum apoplexia et paralysi magis est in senibus timenda; convulsiones vero in junioribus.

Vertigo caduca omnium pessima est, et apoplexiae simulacrum.

Sym-

Symptomatica a flatibus, colica, adſtricta alvo, cruditatibusque primarum viarum orta, minus periculi alit, vomituque ſpontaneo ſaepe finitur.

Natura vero ſolvere vertiginem conſuevit praeter vomitum, variis profluviis, haemorrhagia narium, fluxu haemorrhoidali, vulnere capitis, diarrhoea, ptyaliſmo, auribus manantibus.

Affectus arthritici ac nephritici non raro cum eadem alternant, aut in eandem commutantur.

§. 623.

Accommodari vertigini diverſa omnino remedia debent pro ipſius cauſae diverſitate. Aliqua tamen communia ſunt. Nimirum in ipſo inſultu ſubmovenda naribus volatilia ac ſpirituoſa; ſimulque collare aliaque cingula repente relaxanda. Extra inſultum vero curioſior victus ratio neceſſaria eſt, ſic, ut omnis cibus crudus, flatulentus, aeque ac ſpirituoſus qualiscunque potus vitetur, ac in hujus locum ptiſana ex radice ſcorzonerae, chinae, raſura cornu cervi, atque caſſiae ligneae pauxillo, aut decoctum bromium, aut aqua Selterana ſubſtituatur; praetereaque omnis gravior mentis atque corporis commotio, hujusque refrigeratio caveatur.

§. 624.

Singularia vero remedia haec ſunt. Ad vertiginem ex cruditatibus ac hypochondriaca affectione emetica, purgantia, ac deinceps incidentia cum roborantibus, velut pulvis ſtomachicus Birckmanni, cachecticus Quercetani, ac elixir viſcerale Hoffmanni cum arcano tartari proficiunt. Ubi acidum ventriculo inſidet, exhiben-

benda ſunt abſorbentia vel martialia. Utramque paginam abſolvit pulvis cachecticus.

Si flatus moleſtias creant, etiam e re eſt, carminativa dare et ex iisdem clyſteres injicere.

Si plethora, aut fluxus ſanguineus ſuppreſſus vel irregularis vertiginis cauſa eſt, in venaeſectione ac remediis eccoproticis, diluentibus atque temperantibus auxilium eſt. Haemorrhoidariis ſpeciatim hirudines proſunt; inque narium haemorrhagia ſuppreſſa ſcarificationes cervicis ac dorſi, vel ipſarum narium, Aegybtiorum more.

Ubi cachexia ſubeſt, electuarium ex conſervae florum roſmarini vel calendulae unciis tribus, olei diſtillati nucis moſchatae, menthae, ſingulorum drachma dimidia, ſalis cornu cervi ſcrupulo, ac ſufficienti quantitate ſyrupi corticum aurantiorum, ad drachmae dimidiae pondus mane ſumtum, itemque pulvis cachecticus Quercetani prodeſt.

Ex qualicunque morbo ac languore vertigo orta remedia analeptica atque roborantia requirit.

Ubi metus apoplexiae eſt in vertigine, omnia illa remedia adferenda ſunt, quae alibi jam comprehendi.

Quodſi denique cum vertigine affectus nephritici complicantur, efficaciſſimi ſunt ſuccus ex dauco hortenſi recens expreſſus, mane ad quatuor uncias ſumtus, deſuper hauſto infuſo ex veronica, meliſſa, betonica, glycirrhiza et foeniculi ſemine; ac pulveres ex lapidum cancrorum praeparatorum, radicis pimpinellae nigrae ac ireos Florentinae, ſingulorum partibus aequalibus compoſiti, et alternis diebus bis ſumti ad dimidiam drachmam.

SO-

SONITUS AURIUM.

§. 625.

Haud difficulter quisque in ſe hoc vitium deprehendit, quum ſonitus tinnientes, ſuſurrantes, murmurantes, aut campanarum motum tremulum aemulantes, aliosque plures, ſine externo ſono, in utraque vel alterutra duntaxat aure percipit.

Videtur illud ab impedito libero commeatu aeris per internam aurem, ejusque aequilibrio cum externo aëre ſublato proficiſci *). Idque univerſim ex decubitu humorum rubrorum vel ſeroſorum ad aures, et producta inde laxitate partium auris internarum, ſpeciatim vero ex congeſtione humorum ad caput in plenitudine, profluuiis naturalibus retentis, febribus continuis, inflammatione partium auri vicinarum, vertigine, apoplexia, paralyſi, ſopore, epilepſia, gravedine, cephalalgia, externa capitis aurisve percuſſione, ſpaſmis abdominis, adſtricta alvo, copioſis flatibus, ſyncope, refrigeratione totius corporis, aereque frigido ad aurem impetuoſe admiſſo incidere conſuevit. Praeterea, ſi in aurem aliquid incidit, ut calculus, aliquodue animal, itemque ſi auris digito, aliave re obturatur, et ſub oſcitatione, etiam ſuſurrus oritur.

*) Permultus alias fictas cauſas hujus vitii attulit *Boiſſier de S. Noſol. method. T. III. Claſſ. VIII. p.* 286.

§. 626.

Eſſe autem id vitium ſolet vel tranſitorium, quod cunctis fere hominibus accidit; vel perpetuum, idque rurſus vel idiopathicum vel ſympathicum: quorum prius continuo vexat, quamuis non una ſemper vehementia, poſterius autem per intervalla. Illud vix ſanatio-

 nem

nem admittit, interdumque adeo in surditatem terminatur. Facilius tamen cedit, quod a sanguine bileve ortum ducit, quam a pituita. Solet tamen hoc non raro superveniente asthmate ac oedemate pedum levari.

Si capitis dolorem ac vertiginem sequitur, infaustum saepe exhibet apoplexiae praesagium.

In vertiginosis, syncopticis ac epilepticis insultum novum significat.

In febribus acutis sanguinis fluxu e naribus solvi solet. Sin autem iste non contingit, delirium portendit; utique, si suppressum lotium aut si crudum mejitur.

§. 627.

Curatio tribus momentis absoluitur. Primum est, ut humorum ad caput ruentium impetus averruncetur; quod fit sanguinis per venam detractione, cucurbitularum vel cantharidum, pro re nata, pone aures applicatione, purgantibus cum anticatarrhalibus mixtis, atque pediluviis. Exemplum ejusmodi purgantium hoc esto: Extracti ellebori nigri, aloes, singulorum drachma una, myrrhae electae, salis succini, mercurii dulcis, singulorum scrupulus unus, balsami Peruviani drachma dimidia; ex quibus inter se mixtis pilulae pondere duorum granorum formantur, quarum sex bis in hebdomade sumendae. Praeterea, si sonus ex congestione sanguinis est, donec is finiatur, a vino omnique potu spirituoso abstinendum.

Alterum momentum est, ut stagnantes in aure vel Eustachiana saltem tuba humores expediantur: id quod praeter laxantia memorata praestant diaphoretica, diuretica, gargarismi, masticatoria, sternutatoria, atque topica tum auri imposita, tum in eandem data. Scopo

po itaque diaphoretico inseruiunt infusa diaphoretica cum regimine calido ex herbae cordii, melissae, salviae, singulorum manipulo, florum calendulae pugillis duobus, ligni sancti, sassafras, singulorum uncia, glycirrhizae uncia dimidia; vel mixtura ex spiritus bezoartici Bussii, ac essentiae succini pari portione, ad quinquaginta guttas ter de die sumta; vel denique pulveres ex tartari vitriolati drachmis duabus, antimonii diaphoretici, lactis sulphuris, singulorum drachma, in sex partes aequales divisi, ac mane et vesperi sumti. Expedit etiam cum diaphoreticis diuretica combinare; quale medicamentum hoc est, quod habet liquoris cornu cervi succinati unciam dimidiam, tincturae tartari vel antimonii tartarisatae, essentiae pimpinellae, singularum drachmas duas; cujus dosis est a triginta guttis usque ad sexaginta. Gargarismi autem fieri possunt ex radicis angelicae, imperatoriae, singularum uncia dimidia, pyrethri drachmis tribus, foliorum rutae, thymi, singulorum manipulo, florum lavendulae pugillis duobus, salis gemmae drachma una, ex mensura aquae fontanae coctis. Sacculi vero discutientes componuntur ex abrotano, majorana, pulegio, floribus chamomillae Romanae et camphora. In aurem denique oxymel elleboratum aut liquor ex essentiae succini alcalisatae partibus tribus, ac spiritus therebinthinae parte una constans utiliter demittitur.

Tertium curationis momentum in roborandis partibus versatur; idque tum per externa remedia, tum per interna exsequendum est. Ad priora pertinent sacculi jam memorati, et liquor, qui ex his constat: aquae Anhaltinae uncia dimidia, spiritus salis ammoniaci cum calce viva drachma dimidia, Moschi granis quatuor; cujus sex vel octo guttae cum bombace in aurem conjiciuntur. Ex usu etiam sunt hoc nomine balsamum vitae Hoffmanni, Teichmeyeri, Peruvianum, vel olea distil-

ſtillata abſinthii, majoranae, foeniculi, carvi, origani, eodem modo ad tres vel quatuor guttas applicata; nec non vapor abſinthii et ſeminis carvi ex vino, aceto, aut lacte coctorum, ad aurem admiſſus, aut ipſum decoctum per ſyringam in aurem calide injectum; aut panis denique recens coctus et adhuc bene calens, inſtillato ſpiritu vini ad aurem applicatus. Convenit ceterum, caput cucupha perpetuo tectum eſſe, qualis ex foliorum pulegii, lavendulae, roſmarini, florum lavendulae, ſingulorum pugillo uno, radicis Ireos Florentinae drachmis duabus, amomi ſeſquidrachma, cubebarum, cardamomi, nucis moſchatae, caryophyllorum aromaticorum, ſingulorum drachma dimidia conficitur. Ad internorum autem claſſem maxime ſpectat liquor, quem ex extracti chinae chinae, corticum aurantiorum, ſingulorum drachma dimidia, tartari tartariſati drachma, eſſentiae myrrhae drachmis duabus, ambrae ſeſquidrachma, vinique Rhenani uncia parabis; cujus doſis ſunt octoginta guttae ter de die.

In hypochondriacis e vitio primarum viarum incidens tinnitus ſaepe unica abſorbentis medicamenti aut ſpecierum diacretae doſi diſſipatur. Recte quoque his ſal catharticum bis in hebdomade, aut pilulae balſamicae diebus alternis decernuntur.

BULIMOS. FAMES CANINA. PICA. MALACIA.

§. 628.

Anorexiae oppoſitum vitium eſt Bulimos, vehemens atque ſubitanea ciborum cupiditas, quae cum magno virium lapſu incidit, et, niſi exſatiari poſſit, in lypothymiam mox terminatur. Oblatus cibus avide ſimul ac copioſe ſumitur.

Con-

Consequitur hoc vitium primo magnam inanitionem ac penuriam alimenti ex inediis; deinde ab humore vitioso in ventriculo haerente producitur, cui ingenerando inprimis fauent morbi longi, melancholia, cachexia, chlorosis, febris quartana, scabies aliaque exanthemata retropulsa, mensium ac haemorrhoidum suppressio, vermes in ventriculo, digerentium humorum vitiata indoles, relicta a morbo imbecillitas, et graviditas.

Rarioribus caussis adnumeranda est mala ventriculi ac intestinorum conformatio, veluti insertio ductus choledochi in ventriculum, ventriculus nimis amplus ac monstrosus, pylorus nimis relaxatus. *)

*) Exempla singulorum istorum vitiorum vide in *Vesalii Anat.* L. V. c. 3. et 8. *Cabrolii Observat. anat.* X. et *Ruyschii Observ. anat. chir.* 47.

§. 629.

Ab iisdem caussis etiam fiunt *Cynorexia* sive *Fames canina*, ubi cibus avide assumtus protinus vomitu rejicitur; *Pica* i. e. appetitus vehemens ad comedendam rem inusitatam, nec tamen absurdam, et *Malacia*, ad ejusmodi res, a quibus alias natura abhorret *). Quae duo vitia rariora plerumque gravidas occupant, nonnunquam vero etiam alias mulieres et virgines, et pueros, et viros. Videnturque interdum ab aberratione mentis duntaxat proficisci; siquidem nonnulli variis melancholiae hypochondriacae symptomatibus afficiuntur.

*) A malacia probe distinguenda est Allotriophagia, quae ab arbitrio hominis dependet, et lucri atque joci caussa a sano homine peragitur: cujus casum maxime memorabilem sistit Cel. *Ge. Rud. Boehmeri* diss. *de Polyphago et Allotriophago Vitembergensi.* Viteb. 1757.

§. 630.

§. 630.

Vitiatos ſuccos convenit vomitorio aut purgante iterato eliminare; deinde, quod reliquum eſt, ſtomachicis emendare; quo ſcopo inprimis infuſum florum chamomillae, et ſemen ammeos in pulvere confert. Reſpiciendum ceterum ad morbos primarios. Nec res inuſitatae ad devorandum anxie quaeſitae aegris, praeprimis gravidis, denegandae ſunt; quippe quibus admodum recreari ſolent, ſine ulla viſcerum aut ventriculi offenſione. Neque vero abſurdum eſt, pica aut malacia laborantibus clanculum medicamenta emetica, purgantia, vel nauſeoſa amara, cum his, quae vehementer appetunt, miſcere, ut ea averſari iterum diſcant.



CLAS-

CLASSIS VIII.

CACHEXIAE.

ICTERVS.

§. 631.

Haud infrequens morbus est Icterus, quem antiqui etiam interdum arquatum, interdum regium adpellarunt. Color eum detegit, inprimisque oculorum, in quibus, quod album esse debet, luteum adparet; deinde urinae, quae subrusa, croceoque colore immissa lintea tingit; denique totius cutis, quae plus minus flavescit, magis tamen in corpore, quam in extremis. Accedereque adhuc solet gravitas corporis et lassitudo non mediocris, cum pevigilio, inappetentia, dolore stomachi et capitis, pruritu in toto corpore aut singularibus partibus, febrili motu, et conatu ad vomendum. Praeterea feces griseae et albicantes adparent, fereque sine foetore excernuntur. Aluus ipsa fere semper magis, quam ex consuetudine adstricta est. In graviore casu praecordiorum dextra parte durities, interdumque etiam singultus observatur, membrorumque resolutio subnascitur. Ubi morbus diutius persistit, totum corpus vel cum pallore quodam inalbescit, vel prorsus nigrum redditur, sic, ut aethiopem te videre credas: unde niger icterus nunc cognominatur. Prouti urina, quae modo sedimentum subfuscum et crassum aut lateritium demittit, modo sine sedimento est, clarior adparet, postquam in ea multa crassa desederunt, et ad colorem sani hominis recedit, morbus sensim sensimque decrescere solet; et nunc quoque somno rursus reficiuntur aegri, cibosque avide adpetunt.

§. 632.

Urina jam aliquamdiu saturate rubra plus minus adparet, antequam ipse morbus erumpit; unde eum prae-

 sagire

ſagire poſſis. Etiam ſerum ſanguinis emiſſi linteola tingit.

Mira interdum eſt colorum in uno corpore varietas, ita, ut alio colore caput, alio dextrum latus, alio ſiniſtrum inficiatur. *) Plurimae etiam colorum varietates inter leviſſime flaveſcentem icterum et nigrum fere intercurrunt.

Subinde etiam oſſa et muſculi tinguntur, et aliae quoque partes, vaſa, viſcera, palatum, lingua. **) Sanguis adeo interdum totus luteus adparet, et ſudor pariter atque ſputa. ***)

Griſeae feces jam viſuntur aliquot dies ante icterum. Interdum tamen colorem ſuum flavum retinent; tumque icterus ſymptomaticus eſt, nec ordinariam curationem admittit.

Aluus etiam aliquando naturali paullo mollior ac frequentior eſt. Quin et interdum diarrhoea ſecum vitellinarum, aut, quod pejus, nigreſcentium, foetidarum, ſpumoſarum, cum putidiſſimis ructibus et vomitu foetido bilioſo animadvertitur.

Interdum ictero febris intermittens ſe adſociat; aut iſte ſub frigore ſaltem eiusdem incidit.

Ceterum icterus flavus non ſemper morbus univerſalis eſt, ſed interdum etiam, licet raro, particularis, ſic, ut dimidium latus, aut facies duntaxat, aut mamma, aut digiti vel ungues eodem infeſtentur. ****)

*) vid. *Eph. Nat. Cur. Cent. V.* 41.

**) *l. c. Dec. I. ann.* 4. *obs.* 194. *Stoerk ann. medic. I. p.* 150.

***) *Petr. Borelli Obſerv. Cent. I.* 68.

**** Ex.

****) Exempla occurrunt *in Eph. Nat. Cur. Cent III. IV. obs* 65. *Paulini Obſerv. Dec. I.* 9. *Act. Nat. Cur Vol. IV. obs.* 112. *Iournal de Medec. M. Febr.* 1768. p. 163.

§. 633.

Enimvero cauſa icteri eſt multiplex. Ex jecinoris quidem obſtructione ſcirrhoſa, calculisve felleis ille vulgo derivatur; at contrarium ex permultis obſervationibus pateſcit, quae demonſtrant, icterum fuiſſe ſine ulla hepatis, cyſtidis, ductuumque cyſticorum offenſa, bilem deſcendiſſe in duodenum, feces naturaliter tinctas fuiſſe, inque veſicula repertos fuiſſe calculos citra ullum icteri veſtigium; *) quin et in diarrhoeis longis ſtercora cineritii coloris deſcendiſſe ſine ulla icteri nota. **) Nec icteri breviſſimo ſaepe tempore generari ſoliti a moerore, terrore, ira, morſu animalium rabidorum, venenis, ac in febris intermittentis paroxyſmis, ejusmodi vitia tanquam cauſas ejus facile admittunt. Praetereaque in quibusdam ictericis bilis cyſtica tota ſeroſa et vix flaveſcens reperitur. Et tametſi quidem obſtructum hepar aut calculi cyſtici comitanturicterum, non tamen ideo ipſius cauſas efficiunt.

*) vid. *Pechlini Obſerv. L. I.* 58. *Loſſii obs. L. III.* 39. *Riverii Obſerv. Cent. II.* 9. *Stoerkii. Ann. med. I.* p. 129. *Gmelini* diſſ. *de Cholelithis humanis.* Tubing. 1763.

**) *Stoerck Ann. med. II.* p. 251.

§. 634.

Ab inflammatione contra hepatis et obſtructione ductuum felleorum aut choledochi, quam vel calculi fellei, vel etiam coagula mucoſa ad ipſum porum cho-

ledochi ductus saltem haerentia, vel ipsius ductus concretio praeternaturalis producere consuevit, icterus omnino oritur; siquidem praesentibus illis vitiis semper adesse consuevit, et excretis calculis felleis mox desinit, perinde ac discussa inflammatione.

Quodsi vero ab his causis discesseris, icterus non alio vitio, quam depravatae sanguinis texturae, contingit, et ab una omnia causa dependent sicque vera cachexiae species censendus est; quae nonnunquam adeo per populum grassatur. *)

Non raro infantes recens nati laborant ictero, qui a meconio vel coagulo caseoso, orificium ductus choledochi obstruente, derivatur, **) aut, si mavis, ex peculiari cuticulae vitio fere nascitur, quae deinceps etiam per squamas separatur. Quemadmodum vero is per se intra paucos dies cessat; ita contra in adultis pertinacior ac longior est, non ita tamen rebellis, si a coagulo bilioso aut mucoso, sanguinisve vitio oritur, quam a lapillis felleis biliferos ductus obstruentibus.

Ab his vero excitatus icterus semper fere periodicus est, juncto dolore spastico fixo in ventriculo ac dextro hypochondrio, junctis item nausea et vomitionibus. Neque prius finitur is icterus, quam calculi fellei expulsi fuerint, sive naturae adminiculo, sive arte.

*) vid. *I. F. Herliz* diss. *de Ictero, speciatim epidemico*. Goetting. 1761.

**) cf. *Io. Iac. Vaetterli* diss. *de Ictero, eoque speciatim, quo infantes recens nati laborant*. Goetting. 1753.

§. 635.

Ictero autem generando, perinde ac calculis felleis favent maxime ira *), terror, moestitia, victus durus, otiosa

otiosa vita, spirituum ardentium abusus, vehementior colica, obstructiones menstruorum, et violentiores hypochondrii dextri concussiones. Praeterea subita corporis refrigeratio per natationem saepe icterum producit, eumque pertinacem. Quemadmodum et ex graviditate mulieres quaedam ejusmodi cachexiam experiuntur.

Mucosa atque biliosa coagula saepenumero in intermittente febre et cachecticis morbis generantur, quos non raro deinceps icterus, in illa subinde periodicus, comitatur, tam flavus, quam niger; qui plerumque letalis, utique, si singultus atque sopor, aut vomitus niger bilis, et ipsius sanguinis supervenit; aut si in labiis pustulae nigrae, erysipelaceae, fugaces efflorescunt. Ipse icterus flavus subito interdum exitialem apoplexiam accersit.

*) Adeo in infante lactante a matre ira commota notatus fuit icterus, *Misc. Nat. Cur. Cent. I. 90.*

§. 636.

Icterus porro symptomaticus in quibusdam morbis, maxime acutis, oritur, et modo tolerabilis est, modo pestiferus. Prioris generis est, qui a morsu ictuve animalis fit, utpote qui, expulso veneno, per se finitur. Mixti generis, id vero est, modo benignus atque criticus, modo exitialis est, qui ex febre acuta nascitur: inprimis vero tutus est, qui post septimum diem accedit, praecordiis non tumidis; malignus vero plerumque, qui citius adparet; utique si cum rigore ac singultu conjunctus est; cum diarrhoea contra haud funestus.

Alii icteri chronicorum morborum sunt in dysenteriis, febribus quartanis et cachexiis, plerumque funesti.

Icterus colicae biliosae superveniens brevis est, ac intra paucos dies evanescit.

Ex graviditate vix prius finitur, quam aliquot diebus a puerperio, de reliquo non valde malus.

§. 637.

Icterum tam primarium, quam symptomaticum natura aliquando solvit per urinam crassam, foetidam, stranguriosam, per sudores crassos, foetidos, flavos, per sanguinis profluvium, frequentissime per turbatum ventrem, aut per haec omnia.

Hisce igitur vestigiis, quoad licet, medenti etiam insistendum, et subinde sal quoddam purgans amarum aut cremor tartari saltem exhibendus, interpositis vero diebus incidentia atque roborantia: cujusmodi fere haec sunt, infusum vinosum ex absinthio, marrubio albo et nigro, aut centureo minori, cortex item Peruvianus et Winteranus, chalybs et ejus praeparata, arcanum tartari, elixir proprietatis sine et cum acido, vitrioli Mynsichti. Simplicissimum vero ac euporiston est semen cannabis ex lacte coctum et potui datum. Ceterum vinum prodest generosum, et lactis serum: ex ciborum autem genere praesertim, quidquid acre et salsum est.

Contumacior morbus et crebris reversionibus adfligens aquis mineralibus indiget.

In hepatite et post suppressa menstrua ac haemorhoides sanguinis missio opportuna est; itemque in graviditate.

Atque inter ejusmodi digniora praesidia nihil causae est, cur ad sordida et superstitiosa confugiamus.

Icterum

Icterum felleum optime sanat infusum salviae, aut fumariae succus ad duas uncias quotidie epotus, vel, si is haberi non potest, infusum exsiccatae plantae, aut radicis Pareirae bravae decoctum, aut pilulae saponaceae, quae sic decernuntur: Saponis Veneti drachmae tres, florum sulphuris myrrhatorum drachma una, ex quibus cum elixir proprietatis in unum mixtis pilulae parantur, ad duodecim grana mane et vesperi devorandae.

Spasmodicos ventriculi ac intestinorum dolores in qualicunque ictero, praesertimque felleo, optime lenit clyster ex emollientibus paratus, adjecto sale amaro et pauxillo theriacae, vel essentia theriacalis, aut oleum vini vel cajeput.

Non simili successus spe nituntur consilia in ictericis, qui confirmato visceris cujusdam vitio laborant.

TABES.

§. 638.

Tabem vocamus eum morbum, qui longus est et sub quo corpus lente ac plerumque inter febrem quandam consumitur: quae, si levior est ac febricula duntaxat, lenta, si gravior, hectica cognominatur.

§. 639.

Tabis autem plures sunt species. Una est *Atrophia* dicta, qua corpus non alitur, et summa macies, cutem vix ossibus haerentem relinquens et carnem colliquans, oritur.

Haecce tabes maxime infantes occupat, hincque *Paedatrophia* quoque dicta. In ea voracitas est, maximaque appetentia, praesertim casei, panis, pulmentorum, similium, aversatio contra jusculorum. Sitis maxime nocturno ac matutino tempore vexat. Alvus modo dura et tarda, modo fluidior ac chylosa est: urina turbida: sudor multus, praesertim noctu. It iracundiam magna prolivitas est. Venter multis tume ac plus minus durus est: aspectus initio cachecticus, deinde emarcidus. Morbus ad annum et ultra protrahitur, saepissimeque in rachitidem degenerat.

Atque haec tabes duabus fere de causis incidit: aut enim glandulae mesentericae, quae viam chylo parant, obstructae sunt, interdumque adeo, ut extus promineant, et subinde etiam in meditullio pus contineant: aut vermes adsunt vel soli, vel cum priori vitio, qui succos alibiles et consumunt et corrumpunt.

Primas autem origines huic tabi praebent cibi crassiores, pultes tenaciores non bene coctae aut ex crudiori farina paratae, inordinata nutritio, potiones nocturnae, nimia quies, conclave humidum, sordities; itemque repulsa scabies, tinea et achores. Carnium usus perperam hic accusatur; quum longe frequentius in atrophiam conjici videas infantes, quibus istae denegatae sunt, quam quibus exhibentur.

Nunquam vero infantes atrophia laborant, quin simul glandulae cutis sebaceae infarctae sint humore viscido, ex cacochymia orto et ad has partes deposito: unde vulgus fascino, medicique olim Crinonibus eam adscripserunt.

Haud ita quidem haec tabes immedicabilis est, sicut aliae; oportet tamen opportune medicamentis

tis, iisdemque purgantibus, resolventibus atque tonicis, juxta balnea, succurrere. *)

Purgandi scopo optime inseruit rheum cerevisiae infusum.

Resolventia atque tonica commode inter se mixta exhibentur, velut elixir viscerale Hoffmanni vel tinctura martis tartarisata Ludovici cum arcano tartari, arcanum duplicatum cum croco martis aperitivo. Per se prosunt flores salis ammoniaci martiales, aut ex his parata tinctura spirituosa, et essentia fuliginis.

Balnea fiunt ex aqua simplici calida, in quam aliquot manipuli origani, menthae et furfurum triticeorum demittuntur: quibus totum corpus, maxime vero dorsum et abdomen quotidie fricandum. In quorum vicem sumi etiam potest lixivium cinerum, cui radix bryoniae incocta.

Ceterum aptae victus et regiminis leges praescribendae sunt.

*) vid. *Chr. Fr. Chüden methodus nova praeservandi et curandi atrophiam s. maciem infantum.* Soltquel. 1726. 4. et *I. V. Chüden* diss. *de modo praeservandi et curandi atrophiam infantum.* Gotting. 1746.

§. 640.

Altera species tabis est, quam *Phthisin nervosam* vulgo hodie appellant, olim vero, una cum Hectica, dixerunt *Cachexiam*. *) Hujus discrimen in eo maxime a phthisi vulgari, deinceps describenda, conspicuum est, quod cum haec febrem lentam, tus-

sim, dyspnoeam in contubernio suo alat, nervosa phthisis fere nunquam isthoc comitatu stipata incedat, sed prostratis confestim ventriculi et coctionum viribus, corpus imbelle ac indivulsum fere a lectulo, crebrisque animi deliquiis obnoxium, a tumente externo habitu oedematoso ad extremum marcorem deducat.

Haecce tabes fere fit, quum longo morbo vitiata corpora, etiamsi illo vacant, refectionem tamen non accipiunt, aut, quum malis medicamentis vel abusu potuum spirituosorum corpus adfectum est, aut gravi animi pathemate, praesertim moestitia et perpetuis curis, intentove studio infirmatum, aut quum multus sanguis profluxit, aut necessaria diu defuerunt. Aer praeterea crassus ac nebulosus, in debiliori inprimis nervorum systemate, ad ipsius generationem permultum confert.

Solidorum igitur atoniam, non minus quam summam humorum cruditatem et eversa coctionum praesidia phthisis nervosa sequitur ac vulgari simul nocentior est indole sua: cujus primis insidiis, quas lente omnino, clanculumque struit, nisi mature per stomachica, nervina, amara et chalybeata cum justis in aere aprico et sereno exercitiis obviam eatur, fallax lenitatis species in subitam virium stragem desinit, et medicina corpori jam tumescere incipienti serius, quam ut salutem ejus restaurare possit, paratur. **)

*) vid. *Celsus de Medic. L. III. c. XXII.*

**) Fusius hanc phthisin describunt *R. Morton Phthisiol. cap. I.* et *Ill.* noster *Richterus* Progr. *de Phthisi nervosa*, Gotting. 1744.

§. 641.

§. 641.

Proxime a phthisi nervosa abest, quin ipsa talis est *Tabes*, quam antiqui *dorsalem*, et *Hippocrates* etiam *coecam* appellarunt *). Nimis frequens concubitus inprimis eam producit, adeoque recentes sponsos et libidinosos praecipue corripit, et sic fere observatur. Sub initium dolor acutus in capite, cervice, lumbis, crurumve articulis vexat, ventriculus inflatur, genua prae debilitate tibubant et membra contremiscunt: exercitatione qualicunque anhelosi fiunt et imbecilli aegri; videnturque sibi ex superioribus partibus a capite velut formicae in spinam demitti: febris sunt expertes, bene comedunt et nihilominus tamen colliquantur: stercus et urina aegre redditur, et cum his liquor prostatarum, aut semen ipsum genitale copiosum et liquidum plerumque prodit, neque generandi facultate gaudet; et inter dormiendum veneris ludibria patiuntur. Temporis progressu appetentia ciborum perit, dolores rheumatici increscunt, naturae vires languent, animus frequenter deficit, coles prope evanescit, et hypochondriaca atque melancholica symptomata subnascuntur. Nonnullis humor albicans continuo ex urethra effluit; aliis sanguis ex pulmonibus affatin extunditur; aliis cum urina mejitur; pituita ex pallido virescens exscreatur, sique haec remanet, spiritus difficulter ducitur; in cute variae pustulae, maculae, quin et ulcera erumpunt, crura intumescunt, capilli defluunt; sub finem diarrhoeae et lienteriae incidunt et vehementes febres cum sudoribus colliquativis; urina etiam foetet: unde summe extenuati, quin et aliquando simul coeci, aegri demum pereunt.

Neque

Neque feminae ab hac tabe immunes sunt; quibus inter hysterica pathemata copiosus humor albicuus ex partibus naturalibus assidue fere exstillat.

Quodsi dolor acutus maxime coxas, lumbos aut ilia corripit, et ex hoc morbus incipit, cumque eodem demum post plures menses sub lenta febre, summaque corporis emarcescentia perniciose finitur, morbus a nonnullis *Tabes coxaria* aut *ischiatica* appellatur.

Est autem morbus gravis, curatio laboriosa, diuturna et anceps.

Optimum medicamentum est lac et lacticinia, in quorum usu diu imbecillis persistendum. Deinde mollibus cibis, at nonnisi parva quantitate sumtis, reficiendi sunt. Mel etiam, et vinum album, molle ipsis confert, juxta obsonia alvum subducentia. Praeter haec diu crapula, venere et immoderatis exercitationibus abstinere eos oportet, praeterquam deambulationibus in aere sereno ac montano, in quibus tamen frigora et solem vitent: in balneum tepidum autem descendant; et finito lactis usu vinum chalybeatum amarum corticeque Peruviano praecipue conditum, a cochlearis mensura ad dimidium et integrum cyathum bibant.

Quamprimum vero alvus liquida redditur, atque stomachus nec mollissima juscula retinet, et febres vexant, et crura tument, malum ita convaluisse scias, ut nulla arte evinci queat.

*) *L. de locis in homine* p. m. 405. Concinnam hujus morbi historiam idem tradit *L. II. Sect. V. de morbis* p. 474. et *L. de intern. affection.* p. 559.

§. 642.

§. 642.

Tertia ſpecies tabis *Hectica* appellanda eſt: quae, praeter malum corporis habitum, ſummam maciem inducit ac ſimul habituali febre ſtipata eſt: at citra tuſſim atque puris exſcreationem.

Naſcitur ea non ſolum ex iisdem cauſis, quae nervoſam phthiſin excitare conſueverunt; (§. 640.) ſed fit quoque, quum in qualicunque viſcere aut parte, exceptis ſolum pulmonibus, obſtructiones graviores, aut ſcirrhi, aut exulcerationes tam in interna, quam externa aliqua parte adſunt, aut vomicae diverſis colliquamentis, mucoſis, ſebaceis repletae, nec non coagula calculoſa, atque cyſticorum tumorum imagines.

In ea nonnunquam etiam aliquae corporis partes intumeſcunt, aut ſumma cutis per aſſiduas puſtulas aut ulcera exaſperatur.

Hectica autem tam per ſe hominem invadit, quam aliis morbis ſupervenit, aut iisdem ſuccedit.

§. 643.

Quarta ſpecies tabis, eaque graviſſima a Graecis φθίσισ nominatur. Oritur ea fere ex catarrho pulmonum diuturniore frequentioreque, ex haemoptyſi, ex pleuritide, peripneumonia, omnique alia febre acuta vel intermittente male judicata, ex ſubſiſtente haemorrhagia naturali, ex repreſſa ſcabie et multis aliis effloreſcentiis cutis, ulceribusque, e coſta fracta, et ex hectica: unde exulceratio in pulmonibus accidit et febricula corpus depaſcens excitatur.

In ea itaque plerumque frequens tussis est, et pus exscreatur, interdumque aliquid cruentum. In quibusdam nulla fere tussis, saltem levissima, observatur, ut ne phthisi quidem laborare eos credas, si tussim aestimes. At nullis vero non dyspnoea evenit, inprimisque tum, quando corpus ambulando, scandendo aut sermocinando movetur. Neque semper in pulmone observantur ulcera, sed obstructiones saltem atque scirrhi, aut coagula calculosa, sebacea, aut vomicae. Frequentius tamen omnino ulcera conspiciuntur, et plerumque quidem inter scirrhorum aliorumque crudorum apostematum connubia. Ceterum modo dextra pars saltem pulmonum adfecta est, aut sinistra duntaxat; modo totum viscus putredine consumtum est et in pus conversum, cum eoque paullatim exscreatur, ut cor denudatum, vasis ejus, quae pulmonibus inseruntur, simul deperditis et circa radicem veluti callo occlusis sine pulmone spectetur: modo alter lobus saltem sic consumtus est; modo totum viscus in pus conversum sola membrana pulmonem succingente continetur; modo intus non pure et sanie, sed aqua foetida copiosa pulmones repleti sunt; modo denique putrida quadam laxitate tantum adfecti. Aliquando etiam aer per pulmones diffusus conspicitur, membrana cellulosa hinc inde in vesicas majores et minores elevata: emphysema pulmonum hoc vitium dixeris; quod cum difficillima respiratione, per periodos ingravescente et suffocationem minitante, conjunctum est, quae demum etiam miseros cachecticos interimit. Thoracis hydrops saepe etiam pulmonum corruptelae jungitur: et saepe quoque hi pleurae et transverso septo sunt adnati: nec raro denique pulmonibus corruptis, arefactis, erosisve et a sorice quasi demorsis pus in thoracis cavum effunditur.

Fe-

Febricula hiſce vitiis ſe addens plerumque lenis eſt, rarius tam vehemens, ut deliria inde oriantur; eadem ſimul longa, aequabilius modo ſpatia ſua conficit, modo interdum quieſcit, ſed rurſus poſtea repetit: quotidianas interim atque ſtatas exacerbationes plerumque habet, horisque aliquot a prandio aut veſpertinis accedit, et alternis diebus aliquando gravior obſervatur. Atque ſub hac febre, et per hanc ipſam corpus ſenſim conſumitur, vox rauca fit et acutior, in volis manuum calor urens percipitur, fauces, ſub tuſſi inprimis, dolent, humidae ſunt, et ſubinde ſaliva abundantes, in naribus coryzae ſimulacra, in lingua nonnunquam aphthae, per muſculos colli, thoracis, artuumque ſpaſmi et dolores fugaces, in pedibus tumores obſervantur. Multis brachium aut crus intumeſcit, vel macula aliqua in eo exoritur; quod inſtantis fati praeſagium. Alvus initio plerumque ſiccior eſt, deinde liquidior, ſubcruda atque temesmodes: Urina modo aquoſa, modo ſubrubra, modo etiam criticae fere ſimilis: rarius pituita copioſa ad fundum ſecedit; multoque adhuc rarius urina tota viſcoſa eſt inſtar ſpermatis ranarum, ut in fila quaſi duci ſe patiatur. Interdum haemorrhoidum fluxus accidit. Mens ad iram valde proclivis et moroſa eſt, ad miſericordiam vero et ad lacrymas admodum facilis. Ultimis diebus nonnulli prorſus vacant tuſſi. Aliis ſpaſmus in lingua oritur, quo ea magna vi revellitur: aliis denique, ſputis non rite prodeuntibus, aut vomica nondum rupta, paralyſis in lingua vel artubus accidit et decedit rurſus, quum pus ſufficienter exſcreatur.

Ceterum de febre iſthac hectica notandum eſt, quod ſola illa ſine ullo aliquo pulmonum vel alius viſce-

visceris vitio perfectam ac letalem phthisin quoque inferat, propterea, quod solummodo in humoribus sit.

§. 643.

Enimvero triplex phthisis constituenda est, spontanea sive primaria, quorsum et heraeditaria et contagiosa, si quidem vere haec existit *), referenda; tum symptomatica sive secundaria, quae in morbo aliquo fit; et consecutiva, quae morbum subsequitur.

Singulam insidias struere vel apparatum moliri, ex eo suspiceris, si sine manifesta causa dolores capitis periodici, itemque pectoris sive interni, sive externi, et horrores cum dyspnoea periodica incidunt; nec non deliquia animi, affectus hysterici, aphoniae, catarrhi frequentiores, dejectiones alvi subcrudae atque spasticae cum difficili subinde respiratione atque pectoris doloribus insurgunt; aut menstrua spastica et profusa, vel etiam suppressa aut saltem imminuta, aut denique sputa dulcia vel salsa aliquamdiu existunt. Quibus demum si molimina naturae suppuratoria ex diversis metastasibus ulcerosis ad externas partes, et praegressos morbos, corporisque addas configurationem, apparatum fieri ad phthisin pulmonalem vel quamcunque aliam memento.

Neque tamen fixa signa sunt, quae ab aetate atque corporum fabrica desumuntur. Tametsi enim frequentissime ab aetatis anno decimo octavo ad trigesimum quintum phthisis hominem adoritur; nec virilis tamen aetas, nec senilis ab ea immunis est, quamvis rarius juvenili adficiantur: neque ab infantia profecto morbus excluditur. **) Neque illis saltem phthisis imminet, quibus pectus planum ac compressum formaque gracilis est; sed obesi quoque humi-

humilioris ſtaturae, ac atrabilarii et cachectici habitus contabeſcunt.

*) Negat eam *Anton. Cochi* in *Diſcorſi Toſcani T. II. n.* 9.

**) vid. Ill. *v. Haller Opuſc. pathol.* p. 33. et *I. G. Roedereri* Progr. de *phthiſi infantum pulmonaria.* Gott. 1758.

§. 644.

Interim vero ne arbitreris, quibus pus ex pulmonibus non exſcreatur, eos phthiſicos haud eſſe; neque viciſſim, quorum pulmo haud exulceratus ſit. Utrumque enim fieri poteſt, et tamen letali phthiſi laborare aeger. Aliquando enim pulmones aridi et ſcirrhis aut tuberculis pleni reperiuntur; unde phthiſis Londinenſibus *), atque Polonis lurconibus **), itemque metallicolis quibusdam familiaris eſt; quam *ſiccam* et *asthmaticam* appellant; cujus ſigna infra tradam.

Viciſſim vero tenendum, dari morbos longos, qui plurima phthiſis indicia, tuſſim, reſpirationem difficilem, dolorem lateris, calorem hecticum, ſudores nocturnos exhibent, indeque non ſolum ab ipſis aegris, ſed et a Medicis pro phthiſi declarantur. Nihilominus tamen pulmones ab omni labe immunes ſunt, et graviſſimae obſtructiones aut ſcirrhi viſcerum abdominalium morbum faciunt. ***) Id autem praecipue his accidit, qui ex febribus intermittentibus neglectis aut temere ſuppreſſis, et ex ictero ac hypochondriaco morbo in tabem inciderunt.

*) vid. *Theoph. de Garenciers Angliae flagellum ſ. Tabes Anglica.* Londin. 1647. 12. *Gideon Har-*

 vey

vey morbus Anglicus, or the anatomy of Consumtions. ib. 1674. 8.

**) vid. *Erndtl Warsav. illustrat.* p. 190.

***) cf. *Abr. Vater* diss. *de Scirrhis viscerum, occasione sectionis viri tympanite defuncti.* Viteb. 1723.

§. 645.

Phthisis pulmonaria qualiscumque vix non omnes necat, nisi forte callus in pulmonibus contractus fuerit *), vel exulcerata pars cum pleura conglutinata, vel denique sacco inclusum ulcus, quod *Vomicam* vulgo appellitant.

Vomicarum autem in pulmonibus haec ratio est: Modo plura, modo pauciora tubercula, pisi, parvae pilae, ovi columbini, gallinacei, pugnique molem aequantia pulmonem obsident, nunc in utroque latere, nunc in alterutro; interdumque adeo totus pulmo vel praemagna ejus pars in saccum pure plenum est conversa: quod aliquando etiam pleuram atque diaphragma, sicubi pulmo ipsis est adglutinatus, consumit, et ipsas costas arrodit, quin et viam sibi in imum ventrem parat. Scatent et glandulae nigrae illae, quae majoribus vasis circa cor adhaerescunt, et thymus nunc majore, nunc minore puris copia. Idque vitium qualecunque diu latere potest sine febre, sine phlegmone et sine tussi, sicque velut improviso in pulmone efformatur, neque prius saepe sese prodit, quam ipsum hominem internecioni det. Quidam vero anxia et asthmatica respiratione aliquamdiu adfliguntur. Alii juxta spirandi difficultatem in atrophiam incidunt. Nonnullis multo tempore ante ruptam vomicam exscreatio cruenta cum tussi e pulmonibus procedit, adestque

que spiritus gravis et foetidus, oppressio pectoris, corporisque gravitas; quibus tabes se non raro adjungit. Permultis contra vomica repente rumpitur, neque pauci sic inopinato intra horae quadrantem e vivis rapiuntur: alii intra biduum ad summum **). Eruptionem aliquando dolor praecedit, et pus subsequitur. Praecedit etiam brevi ante anxietas praefocans, quae subito ingruit, nec, ruptura, facta ex toto protinus cessat. Alii ante rupturam jam languent ac enervantur, et hac facta extenuati ad mortem se componunt cum sputis nunc cruentis, nunc sine cruore purulentis ac foetidis, vel ichorosis, intermixtis subinde quoque membranulis e folliculo disrupto, diversae magnitudinis, molaeve similibus corpusculis. Pauciores lente demum posthac a febricula consumuntur. Multo pauciores evadunt quidem, rejecto integro folliculo pure pleno, quod quidem rarius fit, aut excretis per plures hebdomades, quin menses, sputis, ulcereque deinceps siccato. Enimvero recrudescere facile malum potest; hinc infidae induciae, infidaque sanatio, omnesque praeterea notae tam salutis quam mortis pariter fallaces sunt. Quin et nullum verum ac indubium signum ipsius vomicae existere ante materiam excretam, sciendum est. Ceterum et dari vomicarum, earumque exitialium simulacra in morbis acutis suppuratoriis, alibi a me jam fuit demonstratum. ***)

*) Accidit interdum, ut una fovea, aut forte binae in pulmone efformentur, parietibus callosis circumcirca obductae, ita, ut collecta ibi materies minime parenchyma penetrare aut inficere possit, sed quotidie tota exscreetur, idque ingenti copia. Ejusmodi ergo homines fontanellam quasi in pulmone habent; alias bene comedunt, respirant atque dormiunt, neque quidem contabescunt. Tussis autem constans

humida et longa facit, ut, phthisi laborare eos, nemo fere dubitet.

**) Perpaucis ita felicibus esse contingit, sicut virgini, cui laeto cum successu per cachinnum rupta fuit voca, testante *Io. Adrian. Slevogtio* diss *Vomicae pulmonum et vicinarum glandularum laeta et tristia exempla*. Ien. 1708. §. 57.

***) Diss. *de Vomica pulmonum sine cystide*; resp, *S. H. A. Keiser*, Gotting. 1762.

§. 646.

In curatione tabis, sive sit hectica, sive phthisis, ad febrem maxime respiciendum est, et ad ipsius fomitem in massa sanguinea. Nisi enim hanc subigere possis, aeger certo moritur. Enim vero frustra certe plerumque cortice Peruviano contra istam pugnabis; sed alia longe remedia desiderantur, antihecticum Poterii, puta, et tinctura antiphthisica Grammanni: quae duo quidem pessime vulgo audiunt, ut in perniciem generis humani infelicissime reperta esse dicantur; at citra omnem experientiam, quae contrarium mihi haud semel demonstravit. Nec aliena sunt arcanum tartari, et nasturtii aquatici, itemque cucumerum majorum expressus succus, aut hi crude comesi, vel ex singulis, ut et ex portulaca, plantagine, intubo, lactuca, origano, parata acetaria, et conserua acetosellae, atque lac ebutyratum, nec non lenes sorbitiones ex alica, amylo, oryza, vel, si nihil aliud est, ex farre, adjecto lacte. Praestat etiam, fonticulos in utroque brachio excitare, aut setaceum ad cervicem ducere: cui vero in phthisi vulgari non multum fidendum, siquidem febrem alere, corpusque magis extenuare videtur. Praeterea vero in hoc valde conducit expressus

pressus succus bellidis sylvestris minoris, vel, si recens is haberi non potest, decoctum ejus saturatum; nec non infusum theeforne ex veronica, hedera terrestri ac scolopendrio, atque pulveres ex floribus sulphuris vel ejus lacte et radice ari compositi. Ceterum, ubi inflammationis vestigia apparent, modo luculenta, modo obscuriora, quae fere nunquam non praesto sunt, huic simul minuta sanguinis missione ad quatuor vel sex uncias, altero vel tertio quoque die, aut paullo serius, una cum antiphlogisticis succurrendum.

In tabe ex scirrho ac tuberculo pulmonum crudo, quod utrumque vitium ex communibus his signis cognoscas, si tussis rara aut frequens, semper tamen sicca est; si id, quod exspuitur, paucum, lentum atque crassum est, et ex profundo quasi magnoque nisu educitur; sique difficultas respirandi levis, quae semper praesto est citra stertorem, sub paullo fortiore motu et sermocinatione increscit; multum equitatio proficit, atque aeris mutatio, inter resolventia quidem medicamenta, qualia sunt radix pimpinellae, gummi ammoniacum et galbanum, mercurius dulcis, sulphur antimonii auratum, sapo Venetus, et tinctura antimonii nigra. Adhaec commendabiles sunt in ista phthisi vapores in pulmones ducti ex emollientibus stirpibus, sicut in ulcerosa ex siccantibus; quorum administrandi rationem *Bennetus* optime edocuit. *)

Quodsi in humoribus causa hecticae tantum residet, aut phthisis vulgaris ex catarrho orta est, antihecticum Poterii iterum omnibus aliis remediis praecellit; deinde pulvis Haly contra phthisin, pulvisque huic simillimus, anonymus dictus, et lac vel seor-

ſim, vel cum aqua Selterana potum, itemque juſcula meraciora ex contuſis cancris fluviatilibus aut ranarum carne, aut Sagou.

Ubi denique phthiſis ex vomica eſt, frequens exercitatio, inprimisque equitatio aut vectio ſaltem in rheda, juxta vapores molles ſaepe in pulmones trahendos, neceſſaria eſt, interdumque etiam medicina emetica, quo rumpatur abſceſſus. Iſto vero rupto, ſucci expreſſi ex virgaurea, tuſſilagine, agrimonia, marrubio, veronica, hyperico, aut millefolio, ſeorſim vel conjunctim, ſyrupo diacodii edulcati proſunt, vel ipſarum decocta melle aut ſyrupo diaſulphuris edulcata, aut electuaria ex ipſarum pulveribus parata; ſimulque ſuffitus ex tacamahaca, maſtiche, ſuccino, therebinthina, olibano, ligno aloes, et ſummitatibus pini ac juniperi, ad pulmones frequenter delati.

Tandem, ſi res patitur, in omni hectica et phthiſi coelum utiliter mutatur, ſic quidem, ut modo denſius, quam id eſt, ex quo diſcedat aeger, modo rarius petatur, prout nempe quisque melius vel in hoc, vel in illo habet.

*) *Theatr. tabidor.* Londin. 1656. 12.

RACHITIS.

§. 647.

Atrophiae, quam priori capite deſcripſi, Rachitis admodum affinis eſt, quin ipſa atrophia eſt, cum eo, ut epiphyſes articulorum in tumorem eleventur, ipſaque membra ſimul emarceſcant. *)

Ado-

Adoritur ea infantes lactantes, quum quintum vel sextum mensem egressi sunt, solidiorque cibus ipsis exhibetur: circa nonum vero maxime adolescere consuevit. Aliquando tamen post alterum demum annum erumpit. Rarissime adulti fiunt rachitici: rarissime quoque tales nascuntur.

*) Primus descripsit morbum *Arnold. Boetius* L. *de affect. omiss.* cap. XII. sub nomine Tabis pectoreae; deinde plenius et magis enucleate *Franc. Glissonius* Tr. *de Rachitide*, Londin. 1650. 12.

§. 648.

Abdomen, saltem hypochondrium dextrum, in hoc morbo tumet, varieque durum est: caput majorem justo amplitudinem consequitur, reliquum vero corpus maciem: respiratio nonnihil difficilis est: pectus antice angustatur et carinatur, costae inferiores introrsum retrahuntur, et quandam velut scrobem utrinque faciunt ac inaequales fiunt et nodosae: multis dorsi spina extrorsum incurvatur: articulorum tumor nunc ultimo, nunc primo loco supervenit: artus inferiores non sunt apti ferendo corpori; hinc nonnisi sedent, aut recumbunt, aut gestari laborantes debent: loquela sero venit: dentes serius quoque erumpunt; aliique sponte excidunt, atque etiam franguntur: ossa artuum, sicut trunci, varie incurvantur, aliquandoque, licet rarius, simul emolliuntur: ex ore, ob putredinem gingivarum, halitus foetidus emanat: in variis partibus, praesertim pulmonibus, steatomatosi tumores generantur, et cervicis glandulae scrofulosae, mesenteriique vitiatae plerumque reperiuntur: per totum fere morbi decursum febricula lenta adest; ac plerique pro modo annorum non satis crescunt; omnes vero ac singuli voraces sunt,

 morosi

morosi et ad iram proclives: ingenium ceterum ipsis acutum et memoria felicissima contingit.

Ad tertium minimum, deinde ad septimum, imo duodecimum usque annum morbus fere durat, et tunc demum tabe vel simul ascite aut hydrope pectoris interimit. Si qui vero eluctantur, deformitatem quandam per omnem vitam retinent, superveniente per intervalla quandoque paedarthrocace. Nonnullis circa annum octavum vel serius sine causa aliqua externa membrum quoddam, inprimisque crus longius evadit, ut pro luxatione imponat: quibusdam etiam excidit. Quod vitium ex laxatis ligamentis, tumidoque nimium femoris capite oritur, nec arte emendari potest.

§. 649.

Infestat praecipue morbus infantes, qui vel molliter educantur, vel nutricibus imbecillis, lactis defectu vel vitio uteri laborantibus, traduntur, vel vitam agunt otiosam. Sique alteruter parentum imbecillus ex quacunque causa vel cacochymicus est, subinde unus infans rachiticus ab iisdem procreatur. Easdem vero causas, quam Atrophia, is agnoscit; variaque simul vitia in corpore adsunt, hepar varie corruptum, aut saltem justo majus, uti etiam lien, glandulae mesenterii inprimis scirrhosae ac purulentum quid interdum continentes, interdumque tantopere tumentes, ut magnitudinem ovi gallinacei referant, extusque tangi queant. In vesicula fellea saepe calculi reperiuntur, in intestinis, aere nimis distentis, ut duplo fere crassiora reddantur, ex parte vero etiam alicubi constrictis, vermes, in medulla spinali passim loca quaedam arida et exsucca, in pulmonibus tubercula cruda, aut abscessus adeo, cum adhaerentia visceris ad pleuram, aut empyema, inque pectoris cavitate effusum serum. Cerebrum

brum vel mole tantum peccat, vel colluvie ſeroſa eſt impletum. Internae carotides arteriae et jugulares venae juſto majores, externae contra exiliores conſpiciuntur.

§. 650.

Quo citius a partu rachitis contingit, quo magis compoſita eſt, eo periculoſior eſt, et viciſſim; itemque, ſi aſthma ſupervenit, aut hydrocephalum, quod letalem eam facit, aut ſpinae pectorisve incurvatio, aut ſi rachitis ab aliis morbis oritur, vel congenita eſt. Febris ſimplex intermittens eam quandoque ſolvit; a cachectico vero habitu excitata pertinaciorem reddit. Scabies ſuperveniens, bona. Qui vero rachitici ante annum quintum haud ſanantur, poſtea valetudinarii ac imbecilles manent per omnem vitam, aut phthiſi pereunt, aut deformitatem ſaltem in membris ſuis retinent cum humiliore ſtatura. Et mulieres a rachitide olim deformatae difficulter pariunt.

§. 651.

Curatio omnino quidem difficilis, at ſine deſperatione; utique, ſi non nimium morbus adolevit.

Non alia vero remedia hic indicantur, quam quae pituitam nimis viſcidam ac ſuperabundantem ſolvant et lente atque moderate educant, fibrasque juſto laxiores firment, diu quidem ac per annum aliquando uſurpanda, donec nutritio atque incrementum corporis probe emendata fuerint.

In hunc ergo finem laudamus maxime rheum, parca admodum doſi granorum quatuor aut ſex pro aniculo, non quidem ut purget, ſed duntaxat detergat; vel ipſius tincturam aut radicem jalappae vel ejusdem eſſentiam, pariter in tantilla doſi, aut infuſum laxati-

vum Sydenhami: quae ſingula, praeter hocce infuſum, mane per unum vel alterum menſem, poſteaque per plures ſingulis hebdomadibus bis vel ter exhibentur. Pomeridianis vero, et veſpertinis horis utiliter datur arcanum tartari, vel eſſentia fuliginis Clauderi, aut ſal volatile oleoſum Sylvii, aut tinctura martis tartariſata Ludovici vel aperitiva Paracelſi, ſingula ad decem vel ſedecim guttas, vel in hujus vicem flores ſalis ammoniaci martiales aut ens veneris Boylei a duobus granis ad ſex; quorum alterutrum etiam rhabarbaro quam utiliſſime admiſcetur. Eſt etiam infuſum radicis rubiae tinctorum, et ptiſana ex radice Sarſaparillae proficuum admodum remedium. Ubi colluvies verminoſa apparet, mercurialibus interdum utendum eſt.

Ad haec vero balnea ex roborantibus plantis bis terve in hebdomade adhibita curationem non parum accelerant, juxta atque fricatio totius corporis pannis laneis, ſuccino, maſtiche ac olibano perſumigatis.

Neque denique victus tenuis, munditiies, atque crebriores vectiones in rheda negligendae ſunt. Subinde etiam pauxillum vini propinetur.

HYDROPS.

§. 652.

Hydropis tres ſpecies ſunt. Una dicitur Anaſarca, altera Aſcites, tertia Hydrops ſaccatus.

Anaſarca ſive *aqua intercus* totum corpus praeter naturam tumidum atque molle reddit. Initio pedes ſaltem tument, maxime veſperi, aut cum declives diu fuerint; inque his digiti impreſſum manet veſtigium: mane et poſt quietem diſſipatus tumor ſaepe evaneſcit.

cit. Facies, artus, aliaeque partes posthaec pariter intumescunt, indeque corpus aequabiliter molle, laxum, tumidum, pallidumque redditur, simulque dissolutum et quasi enervatum est, ac a minimo labore frangitur cum difficili spiritu, omnesque praeterea functiones ejus hebescunt. Urinae minguntur albae, tenues ac subvirides, praesertim si anasarca morbum primarium constituit. Denique febricula fere assidua, sed lenta conficit, cum pulsu parvo, crebro ac inaequali. In graviore casu et paralyticae affectiones, v. c. aphoniae, et catarrhi suffocativi per intervalla accedunt.

§. 653.

Sola magnitudo morbum hunc sejungit a *Leucophlegmatia* sive *cachexia phlegmatica*, quod tumidiorem corporis molem adfert. Sed una eademque utriusque causa est, vel viscerum concoctioni servientium vitium, vel quorumvis humorum praemagna inanitio. Ex evidentibus autem causis, quae istiusmodi viscera depravant, maxime sunt quisque vehemens et acutus morbus, longae animi curae, immanis terror, spirituum ardentium, aquarumque frigidarum, calidarum, ut et corruptarum potus immoderatus, naturalia sanguinis profluvia impedita, et humores excrementitii repulsi.

§. 654.

Pedes ex omni morbo febrili fere intumescunt: neque vero id periculosum, quum sub exercitatione et recuperatis viribus sponte rursus extenuantur.

Ex lenta autem febre intumescentes mortem plerumque significant.

In nonnullis morbis longis manus vel alterutra vel utraque tantum intumescit; idque fere in scabie, in hydrope

drope pectoris, inque paralysi accidit. Si in scabie, erysipelas interdum accedit et ipsa cutis rumpitur, neque tumor dissipari se sinit, priusquam omnis sanguis depuratus fuerit. In hydrope pectoris certum signum letalitatis est, et ipse hydrops ille, difficulter alias cognoscendus, inde probabiliter deprehenditur. In paralysi denique incrementum ac pertinaciam morbi testatur.

Et palpebrae quibusdam, inprimis infantibus, quandoque ex oedemate intumescunt, oculosque tam arcte occludunt, ut intra plures hebdomades interdum aperiri nequeant. Ancyloblephari hoc genus est, quod a dyscrasia pituitosa proficiscitur, et magis pertinax, quam periculosum est.

§. 655.

Ascites est abdominis ex subdito seroso humore distensio. Pedes primum intumescunt, deinde venter paullatim repletur, reliquum corpus vero contabescit. Quodsi abdomen impellitur aut corpus in alterum latus convertitur, humoris fluctuantis sonus obaudiri potest. In viris serum etiam in scrotum atque colem sibi viam parit, indeque praeputium in modum vesicae intumescit, ac ipse coles incuruatur et quasi retrahitur. Urina admodum pauca mingitur, rubra aut flava, in eaque multa crassa subinde desident. Respiratio pro modo tumoris plus minus difficilis est.

Morbus tam per se incipit, quam alteri vetusto morbo supervenit.

Viros plerumque ingravescente aetate, feminas autem, ubi parere desierunt, adoritur. Idemque saepe

pe etiam cum alio hydropis genere, imo pluribus ſimul conjunctus eſt.

§. 656.

Febres acutae, liberalior vini et ſpirituum ardentium uſus, ſcorbutus, quartana febris, humores excrementitii repulſi, et ſubitaneus terror aſciten producunt; itemque vomitiones cruentae aut dejectiones ſimiles, ac icterus. Praetereaque his fere ille accedit, quibus ſtomachus, inteſtina, lien, jecur, meſenterium, ovarium aut uterus ſcirrho obduruerunt: quamquam ii turpiter hallucinantur, qui omnem aſciten a ſcirrhoſo viſcere oriri contendunt; ſiquidem non raro vel pertinaciſſimi ſcirrhi reperiuntur ſine ullo hydropis veſtigio. Et embryones jam variis hydropis generibus occupantur.

Proxima hydropis qualiscunque cauſa plerisque hodie quidem eſſe creditur atonia ſive laxitas totius corporis omniumque viſcerum: idque omnino quidem recte colligitur ex remediorum tonicorum energia, quae in omni hydrope prae ceteris proficiunt. At neſcio tamen, annon in languorem ſpecialem vaſorum arterioſorum, venoſorum, aut lymphaticorum cauſa melius conjicienda ſit. Multos enim cachecticos ab hydrope prorſus immunes eſſe video; viciſſimque hydrope ſaccato laborantes ſatis alacres omnisque cachexiae, certe per longum admodum tempus, expertes. Haec omnia vero vulgarem ſententiam refellunt. Quid ergo? Si languor ſaltem illis vaſis incumberet, quae ad dimittendos humores ſeroſos deſtinata ſunt? Certe non difficile eſt intellectu, quomodo hoc in caſu oriri hydrops poſſit. Quodſi enim illis denegare vim vitalem haud liceat, numne ea aliquando deficiet? Et quemadmodum ſingulares corporis partes, ventriculus, pulmones, inteſti-

testina, in optimo ceterarum robore, imbecillitatem aliquam obtinent; quidni et haec in lymphatica vasa seorsim incidat? Utque particularis languor sese facile in omnes partes diffundere potest; ita res se quoque in vasis illis languidis habebit. Progressu temporis imbecillitas ista in alias partes ac in totum corpus progreditur, sicque omnes hydropici demum cachectici fiunt et tabe pereunt. Neque vero necesse est, ut omnia vasa in toto corpore imbecillitate ista laborent. Potest illa in singularia cadere; indeque nunc tot hydropes particulares, in optima etiam viscerum ac humorum constitutione, generantur. Observavi olim in matrona, cui brachium ex apoplexia paralyticum factum, specialem ejusmodi arteriae brachialis languorem, dum per plures dies nullus pulsus in carpo percipiebatur, licet jam paralysis finita fuerat. Occasionales causae ac injuriae externae hydropes particulares ingenerare possunt: haeque omnes pene sic agere videntur, ut vasis inde notabilis inducatur imbecillitas. Hydrocelen et hydrocephalum a contusione fieri, certe non infrequens est. Ceterum et repulsi humores excrementitii hydropem producunt, quum alicubi congesti vasa nimium dilatando debilitarunt.

§. 657.

Quamquam ascites universim curatu difficilior est, quam anasarca; non omnem tamen adspernatur curationem; quae in longum vero trahitur, multumque negotii medentibus facessit. Neque prius de recuperanda salute desperandum, quam multa sitis, pertinaxque tussis cum febre lenta aegrum vexent; aut hinc inde in cute maculae latae purpureae aut lividae efflorescant; aut virium lapsus una cum tabe quotidie increscat; ac urina multa crassa dimittat; alvusque tenesmodes ac fluxilis

xilis ſit, neque, veluti nec vomitiones aliquando ſupervenientes, ullum allevamentum praeſtet; neque purgantia, nec diuretica quidquam evacuent; aut denique lethargus accedat. Rariſſime aſcitae et anaſarcae melancholia ſupervenit, et ancipitem eventum habet.

Quodſi hydropi inter cutem paralyſis linguae, aut catarrhus ſuffocativus, aut convulſiones ſe intermiſcent, lethalitatis hoc ſignum eſt; niſi has copioſus urinae fluxus excipiat.

Solvit interdum natura aſciten diarrhoea, vel urinae aqueae liberaliore mictu; quem, quemadmodum etiam anaſarcam, in junioribus ſubinde convulſiones haud exitiales praecedunt. Interdum, licet rarius, morbus etiam ſolvitur profluvio ſanguinis, exanthematibus, vomitu et ſpontanea ruptura umbilici, pedis, ſcroti: verumtamen ejusmodi rupturae letalem quoque exitum habere poſſunt. In tumida aliqua parte nonnunquam etiam veſiculae oriuntur, quae diu noctuque aquam fundunt; unde tumor ventris ſenſim ſubſidet. Quodſi vero iſtae in ulcuſcula abeunt, et cutis cum rubore vehementer ardet, letiferum eſt.

§. 658.

Iisdem auxiliis, quaecunque ſpecies eſt hydropis, ſi nondum nimis occupavit, opus eſt. Curatio autem, ad ipſum naturae ductum, purgantibus inprimis, ac diureticis, ſeorſim et conjunctim, interpoſitis tonicis, exſequenda. Quidam aegri melius tamen purgantia ferunt et ab his probe evacuantur; alii a diureticis praeſidium majus conſequuntur. Purgantia vero eligi hic debent paullo valentiora, eademque brevibus intervallis, altero, puta, vel tertio quoque die, dari. In hunc finem ergo exhibendae pilulae hydropicae Bontii ad duo-

duodecim grana et ultra, aut puluis ex gummi gutte granis quatuor, ſenſim augendo pondus, et tartari tartariſati ſcrupulo: quibus per intervalla mercurii dulcis grana ſex circiter admiſceri poſſunt. Recte etiam dantur catapotia, facta ex extracti panchymagogi Crollii ſcrupulo, elaterii granis quindecim, olei diſtillati cinnamomi guttis duobus; aut mixtura ex eſſentiae jalappae, cinnamomi, ſingularum uncia dimidia, elaterii drachma, ſalis abſynthii ſcrupulis duobus, ad guttas quadraginta et ultra, mane ac veſperi; aut ſolus tartari cremor, per plures dies, donec corpus extenuatum fuerit.

Ex diureticis prodeſt lixivium cinerum geniſtae, vino Rhenano factum, tinctura ſalis tartari et aqua diuretica e nucleis, pilulae ſaponaceae, quibus pro re nata mercurius dulcis admiſcendus, pulvis bufonis combuſti, ſuccus ireos noſtratis, roob ebuli, cujus uncia in ſex partibus aquae petroſelini ſoluta, adjectis ſalis abſynthii et cremoris tartari aliquot drachmis; quae mixtura ad duo cochlearia plena ter in die ſumitur. Porro hic conferunt ex ſimplicioribus decoctum baccarum juniperi ex lacte, foliorum pini ex aqua, radicis ononidis ex aqua et vino. Enimvero diureticis illis non temere inſiſtendum, niſi lotium copioſe excernatur.

Ceterum compoſitum quoddam apozema ex tonicis atque purgantibus, veluti centaureo minori, carduo benedicto, abſinthio, artemiſia, matricaria, ſerpillo, cortice Peruviano, rheo, foliis ſennae, agarico, et ſale tartari valde proficit. Interdumque multo ſimpliciora, velut infuſum vinoſum matricariae, aut abſinthii, aut artemiſiae, itemque infuſum theeforme ſerpilli, veronicae, aut chelidonii, denique theriaca, ab hydrope liberant.

In-

Interdum venae ſectio utilis eſt, maxime, ſi a ſuppreſſo quodam ſanguinis fluxu naturali initium mali fuerit.

Utiliter etiam oleum olivarum in aſcite mane et veſperi abdomini, in λευκοφλεγματίᾳ vel ἀνασάρκᾳ iis partibus, quae tument, infricatur: quod antiquis jamdum in more fuit. *) Uti etiam licet fricatione ſimplici cum panno laneo, aut madefactis manibus aqua, cui ſal et nitrum et olei paulum ſit adjectum. Idque, ſi vires patiantur, ante meridiem, tota hora, poſt meridiem, ſemihora fieri oportet.

Nec alienum eſt, in aqua inter cutem, aeque ac in aſcite, ſuper talum quatuor fere digitis leviter incidere; quo per aliquot dies frequens humor feratur: crus autem interea fovere oportet aqua calida, in qua plantae emollientes decoctae, adjecto pauxillo ſpiritus matricalis vel anhaltini. Sed, ne id immodice fiat, et in magno virium lapſu, inque malo complicato, proſpiciendum. Simulque etiam noſcendum, aliquando gangraenam inde periculoſe excitari.

Quodſi per remedia ſuperius commendata, purgantia, diuretica atque tonica, venter non ſiccatur, ſed humor nihilominus abundat, celeriore via ſuccurrere oportet, ut is per ventrem ipſum emittatur. Mature tamen hoc fieri debet, et repeti quoque, quoad opus. Etſi vero morbus per iſtam rationem haud ſubmoveatur; multum tamen allevamenti ea aegris praeſtat. Illi enim, quorum malus corporis habitus eſt, aut quorum ſtomachus eſt corruptus, quive ex atra bile in ὕδρωπα deciderunt, aut ex toto febre non carent, in hoc morbo ſic curari non poſſunt.

Ligaturae denique possunt etiamlocum in eadem habere.

Si sitim tolerare aeger potest, id etiam valde proficit ad sanationem. Alias ea fallenda est aceto aut aqua frigida, spiritu vitrioli acidulata, quibus os colluitur, aut malo citreo vel Sinensi, quod manducatur. Potio vero ipsa, si sitim aequo animo sustinere non licet, non ultra danda est, quam ut vitam sustineat: optimaque est, quae urinam movet.

Dyspnoeae molestae optime succurrit linctus ex aequali portione spiritus therebinthinae ac mellis, ad minimi cochlearis copiam oblatus.

Sanato morbo, aliquamdiu corpus cortice Peruviano alendum est. Nec restitutus vero aeger periculi expers censendus est, quum morbus facile redeat: quapropter bona sua habere suspecta debet, maximeque ab ardente spiritu abstinere. Recurrens enim morbus priori deterior est, hominemque certissime jugulat.

*) vid. *Dioscorid. L. I. c.* 135.

§. 659.

Proximum est, ut alia hydropis genera enumerem. Noscendum enim est, etiam in alias sedes, quam inter cutem ac in abdominis cavum, aquam contrahi, eandemque interdum peculiaribus saccis ac vesiculis esse inclusam: unde malum nunc *hydropis saccati* sive *cystici*, nunc *hydatidum* nomine significatur.

Ex specialium ergo hydropum censu primo est *Hydrocephalum* *), id vero est, aquae in caput collectio,

lectio, quae fit vel inter ipsa ejus integumenta, vel inter pericranium et calvariae ossa; quod utrumque *externum* cognominatur; vel inter haec et cerebri membranas, inter harum duplicaturas, inter membranas atque cerebrum, inter hujus plicas, in ipsis ventriculis, vel denique in peculiaribus saccis intra cerebri substantiam; ubique quidem magna copia ad plures libras. Quodsi humor in anterioribus cerebri ventriculis increscit, spina bifida in ceruice vel infima ossis sacri parte inde nonnunquam nascitur. **) Utrumque vero vitium maxime in infantibus oritur, saepeque a nativitate est. Utrumque seorsim vel conjunctim, et hoc quidem paullo frequentius, observatur. Externum persaepe producitur ab interno. Utrumque lente plerumque increscit, et plures menses, imo annos tenet.

Spectat huc etiam *Hydrophthalmus*, sive oculorum hydrops: de quo vero in Chirurgia specialiter tractatur.

In collo ac thorace variae omnino partes humore seroso obsidentur, tracheae pars anterior, pulmones, mediastinum, pleura, pericardium. Et pulmones quidem modo in externa superficie, modo in interioribus hydatides ostendunt. Similesque etiam in pleura, transverso septo et externa cordis superficie nascuntur. In pectoris hydrope, quem stricte sic appellant, serum vel in alterutrum ejus cavum, vel in utrumque contrahitur; estque is hydrops persaepe cum anasarca, ascite, ac hydrope pericardii conjunctus. Praeter huncce vero in vulgus cognitum hydropem sciendum est, dari etiam aliquem saccatum pectoris, ubi aqua vel in duplicis pleurae intervallo ***), vel inter musculos interco-

ſtales atque pleuram effuſa eſt, eaque membrana a coſtis tantopere diſcedit, ut ſaccum, totam caveam pectoris ſubinde replentem, efficiat. ****)

In abdomine autem hepar, lien, omentum, uterus, ovaria, tubae, renes, diaphragma, hydrope veſiculari interdum obſidentur: ut multis etiam hydatidibus obſeſſa viſa ſit interior ventriculi membrana. Et ejusmodi hydatides libere quoque in inteſtinis uteroque interdum fluctuant, dataque occaſione excernuntur. Sed et in utero genuinus hydrops oritur, isque interdum cum graviditate complicatus. Tubae uteri, ovaria, omentum, meſenterium, aliquando in immenſum ſaccum ab effuſo ſero diſtenduntur, cujus copia ad triginta et multo plures libras adſcendit: *Hydropem ſaccatum* talem nominant. *****) Denique et ſerum inter peritonaeum et abdominales muſculos, *a*) itemque inter hos et integumenta colligitur, *b*) moleque ſua priori non cedit. Cum iſtiusmodi autem hydrope abdominis qualicunque ſaepenumero conjunctus eſt aſcites, et partes illae in ſaccos diſtentae ſcirrhoſae ſaepe hinc inde reperiuntur. Atque ejusmodi hydropes omnes ſaccati lente admodum increſcere ſolent, adeoque in feminis ſuſpicionem praegnationis movent. Interdumque in ſero iſto et aſciticorum *c*) multae, imo myriades hydatidum innatant diverſae figurae et magnitudinis. Rariſſime aqua in vaginas muſculorum abdominis rectorum contrahitur.

*) Inter antiquos *Paulus Aegineta* optime de iſto expoſuit *L. VI. c.* 3.

**) vid. exempla apud *Tulp. L. III.* obſ. 30. *Ruyſch Obſ.* 34. 35. 36. III. *Boehmeri Faſc. II. de Utero*, et alios.

***) Ca-

***) Casus est apud *Bergeran* in *Tr. sur l'hydropisie de la poitrine.* Par. 1736.

****) vid. *I. H. Schulzii* diss. de *hydrope pectoris saccato.* Halae 1742. Ill. *Halleri Opusc. pathol. Obs. XII.* et *Benj. Gooch Cases and remarks in Surgery.* Vol. II. p. 37. edit. II.

*****) Hydropis omnis saccati historiam egregie excussit Ill. *de Haen Rat. med. T. IV. c.* 3. Mirabilis maxime est ille saccus hydropicus, hydatidibus simul refertus, qui totam vesicam urinae ambiisse legitur in *Act. Vratisl. Tentam. XXXII.* p. 428.

a) vid. Commentat. nostr. *de hydrope peritonaei saccato, memorabili casu confirmato.* Gotting. 1761.

b) vid. *Act. Vratisl. l. c.*

c) vid. *H. P. Iuch* et *Ge. Cph. Beat. Brem* diss. *de Hydatidibus.* Erf. 1745.

§. 660.

Notae horum specialium hydropum ex parte valde sunt obscurae, nec nisi in cadaveribus demum reperiuntur.

Hydrocephalum externum vel totam capitis cutem subit, vel partem ejus saltem occupat, aut minutos plures ac disjunctos tumores repraesentat. Quodsi aqua inter cutem atque pericranium effusa est, tumor sequitur mollis, indolens, prementi digito facile cedens, rursusque assurgens; interdumque etiam palpebrae intumescunt, quin etiam connivent prorsus. Tumor cutis capitis aliquando ad insignem magnitudinem adsurgit, ut de capite propendeat: atque humor in contextu ejus celluloso haerens per eandem tanquam per cornu aut vitrum translucet. Quodsi vero humor in-

inter pericranium ac calvariam existit, tumor non ita quidem elevatus est, ac in priori casu; at multo tamen durior est ac impressioni digitorum tanquam uter repletus renititur; neque omni dolore caret, qui ipso tactu alioquin ingravescit.

In *hydrocephalo interno* monstrosa capitis figura et magnitudo est; caput per omnem circumferentiam, aut media duntaxat parte tumidum prementi non cedit, nisi ossa admodum tenera sint aut plane deficiant. Suturae vel omnes vel aliquae saltem in plerisque patent; ossa extenuantur; frons inprimis extuberat; oculi torvi sunt, eminentes aut retracti; caput in recto situ prae gravitate teneri vix potest; corpus pro aetatis ratione plerumque haud crescit; loquela et sensus tam interni, quam externi non recte se habent; multis saliva ex ore profluit, et convulsiones vel tetani per intervalla ingruunt; interdumque etiam paralysis. Malum letiferum est. At cave sis, ne istud cum *hydrope cerebri* confundas. In hoc enim, licet magna vis aquae intra encephalon effusa est, caput nequaquam tumet, sed naturalem suam obtinet capacitatem.

Hydrops pectoris ex fluctuatione quadam cognosci potest, quam et ipse aeger concusso pectore, et qui istam suscipit concussionem, persentit, sique ille in latus se convertit. Cetera signa ab autoribus tradita *), velut asthma nocturnum, tussis sicca, pedum manuumque oedema, abdomen tumidum, anxietas circa scrobiculum cordis ac digestionis tempore, sitis nulla, urina parca, labia et lingua pallida aut sublivida, et quot non plura **), valde ambigua sunt et non semel Medicos fefellerunt; ***) ut adeo absque ullo signo is hydrops post mortem detectus fuerit. ****)

An viscera abdominalia *hydrope vesiculari* aut *saccato* laborent, non nisi ex probabili conjectura intelligitur,

telligitur, ſi nempe tumorem ventris inaequalem, fluctuantis aquae abſentiam, et dolores tenſivos in lumbis aut inguine frequenter incidentes trahere velis in conſiderationem. Solent etiam in ejusmodi hydrope pedes parum duntaxat, vel nihil tumere. Solet quoque ejusmodi ὕδρωπς omnium diutiſſime ad multos annos trahere. Quae omnia quoque valent de *hydrope peritonaei ſaccato*; quem cave, ne pro tympanite, aut aſcite, aut graviditate habeas, quibuscum facile ex ſymptomatum ſimilitudine confundi poteſt. Varia diſcrimina ceterum is hydrops recipit in univerſalem, particularem, ſimplicem, cyſticum, compoſitum et complicatum. *a*) Quemadmodum vero hydrops qualiscunque ſaccatus magis familiaris eſt mulieribus, quam viris, neque graviditatem in illis impedit; ita hydrops peritonaei illis proprie competit, docente rerum uſu.

Aliquando venter enormiter expanſus hydropis ſaccati ſuſpicionem movet; tumor vero non niſi a ſano, at mole inſigniter aucto hepate, aut ſplene, aut rene proficiſcitur.

Hydrops uteri aſciten facile mentiens, perinde ut graviditatem, quae ipſum etiam comitari poteſt, ſequentibus fere notis ſe manifeſtat: tumor mollis non aeque totum ventrem, ſed fundum ejus potiſſimum occupat: ſi corpus validius movetur, quaedam portio ſeri ex natura effluit, niſi humor hydatidibus incluſus ſit, quarum praeſentiam ex eadem excretione demum cognoſcas: ſaepeque uno impetu aqua omnis erumpit, praegreſſis vehementiſſimis quaſi ad partum doloribus; interdum vero periodice et ante menſtruum fluxum: os uteri interdum accuratiſſime clauſum eſt, et muco quaſi obſtipatum: menſes modo copioſiores, modo pauciores et deteriores contingunt, quin ante tempus deficiunt; mammae ſolidae flacceſcunt: quo que longius tem-

tempus processit, febris invadit, et dolor imum ventrem, lumbos, coxendices, ipsaque pudenda detinet: in reliquis etiam mulieres male habent, et fluor albus alioquin apparet. Tumor crurum oedematosus tardius hic, quam in ascite, accedit.

*) vid. *Observationes practicae de hydrope pectoris a collegis Ac. Nat. Cur. editae*, Vratislav. 1706. 4.

**) cf. Cl. *Leop. Auenbrugger Inventum novum ex percussione thoracis humani, ut signo, abstrusos interni pectoris morbos detegendi.* Vienn. 1761. 82. seq.

***) vid. *Eph. Nat. Cur. Cent. I. obs.* 3.

****) vid. *Sam. Schaarschmidt Medic. Nachrichten, Part. I.* p. 107. *Commerc. Nor.* 1733. p. 85. *Crendal* Tr. *de quelques maladies de la poitrine*, p. 290. obs. 8. cf. etiam Ill. *de Haen rat. med. T. V. VI.*

a) Quae a me primo constituta et explicata legas in *Desbans Commentat. cit.* §. VII.

§. 661.

Hydrocephalum externum non omnem respuit medelam, sicuti quidem internum; utique si recens adhuc est, atque simplex, et a causis ortum, quae extrinsecus accidere solent. Sponte natura adeo istud interdum dispellitur, aut copioso seri ex auribus, oculisque, et naribus effluxu. Praesidia vero, quae medicina offert, sunt top ca, roborantia atque reprimentia medicamenta, quae diu capiti superhaberi oportet, in sacculis ex aqua calcis vivae aut vino expressis. Ejusmodi vero sunt inprimis majorana, ruta, thymus, pulegium, sabina, baccae lauri et juniperi, radix bryoniae, bistortae, tormentillae, alchymilla, verbena, gallae. Similiter valent, juxta sacculos, liquores spirituosi rosmarini, salis

ammo-

ammoniaci cum balsamo sulphuris therebinthinato, capiti illiti: quod praeterea arctius fascia, Capelline dicta, comprehenditur. Quodsi vero tumor per ista auxilia haud discutitur, scalpelli opera necessaria est, quo humori exitus concilietur, aut, in ipsius vicem, ferramento candente, quo occipitium aduritur, praesertim in illa specie, ubi humor inter periosteum et calvariam contrahitur. Aequale fere est, per cutem perforatam setaceum trajicere.

Hydrops pectoris difficillime remediis evacuantibus ex diureticorum et purgantium classe obtemperat: moderata hydrargyrosis paullo plus praestat. Aliquando etiam paracentesis, sed rarius tamen, cum euphoria instituitur.

Omnis *hydrops saccatus* fere insanabilis est; fere inquam, quum mihi semel contigit, hydropem peritonaei stupendum, qui jam duodecim annos duraverat, oxymelite de Colchico *) feliciter sanare, quod fere incredibilem diuresin per aliquot dies excitaverat.

Hydropem *peritonaei* et *abdominis* saccatum natura interdum, licet rarissime, tollit vel per inflammationem, indeque factam suppurationem, vel post lapsum aliquem interram, quo nescio quae repagula in corpore solvuntur et serum copiose admodum et per plures dies sive per alvum, sive per urinae vias excernitur. Paracentesi nullus adhuc aeger ab hydrope tali liberatus fuit; serum potius posthaec immaniter increvit atque mortem acceleravit. Quodsi vero hydrops non totum abdomen occupat, tum quidem in longiore incisione cutis plerumque gratia est ad juvandum; siquidem per hanc facile totus saccus, emisso humore, qui tandem in pus aut ichorem convertitur, mediante injectione ex aqua hordei mellita repurgari et consolidari potest.

 Simi-

Similiter *hydrops ovarii* per incisionem aliquando forte curationem admittere potest.

Hydrops uteri haud insanabilis est, eademque subinde remedia admittit, quam ascites. Praeterea graviore lapsu quoque nonnunquam solvitur.

*) Erat hoc ex duplo majore dosi radicis paratum, quam Ill. *Stoerkius* L. *de Colchico* recipi praeceperat, et quantitate cochlearis majoris mane et vesperi offerebatur.

TYMPANITES.

§. 662.

Tympanites est abdominis ex multo flatu distensio permanens et diuturna. Flatus autem vel intra ipsius cavitatem inclusus est, vel intra intestina, tenuia aut crassa, seorsim vel conjunctim, eorumque etiam membranas haerent, vel denique utrimque tam in abdominis, quam intestinorum, et nonnunquam simul ventriculi cavitate. Interdum vero ventriculus solus aere nimis distentus est. *) Unde tot species Tympaniae, quot sedes, constituendae.

At tumor ventris durus, tensus ac elasticus est, et ex aegri positura haud mutabilis, sursum ad umbilicum versus elatus, manuque percussus tamquam tympanum sonans. Idem gravem ponderis sensum non exhibet, uti quidem ascites et hydrops saccatus. Moles ventris nunc major, nunc minor, quam in ascite est. Tumor plerumque aequalis est; alias unum vel plura tubera prominentia oblonga, globosa, vel inaequalia tactu passim sub integumentis simul deprehenduntur.

Si

Si intra inteſtina aut intra ſtomachum ſubſiſtit tympanites, flatus frequenter obmurmurant, et copioſe quoque ex alvo, interdum etiam ex ſtomacho exturbantur. Aegrique magnum inde levamen accipiunt; interceptis vero illis, anxietates experiuntur inſignes, cum majori ventris diſtenſione, reſpiratione difficili, pulſu inaequali; ſimulque ſtercora et urina retinentur. Tympaniae abdominalis notae omnes aequivocae ac incertae ſunt; pariterque utriusque ſimul praeſentis.

Ceterum in hoc morbo dolores ſaepe atroces adſunt, quin ipſum etiam aliquamdiu praecedunt **). Alvus inter initia nonnullis fluida et facilis eſt, ut tamen venter inde non emolliatur; id quod nec confirmato jam malo, ſin alvus forte mediocriter libera ſit, contingit. Hinc nullum levamen inde expectandum. Pleriſque vero alvus valde eſt adſtricta atque dura; ſtercora exſucca et caprino ſimilia; ſpiritus difficulter ducitur; corporis habitus emarceſcit ac in icteritium vertitur; crura oedematoſo tumore vaſenſim demum occupantur. Inteſtina ex ſitu ſuo varie diſturbantur. Praeterea palpitatio cordis, anxietas praecordiorum, anorexia, oculorum caligo ac vertigo accidit.

Viſcera tumida et adjunctus aſcites morbum plerumque augent: qui in ſe imperitos facile fallere poteſt, ut adeſſe credatur, quum minime adſit ***). Multae praeterea ſunt tumorum abdominis et mire variae ſpecies ſine fluctuatione ſaepe ulla, cum ingenti expanſione atque ponderis gravitate notabili: ubi modo aſcites, modo hydrops aliquis ſaccatus demum detegitur, quando ſolius tympanitae ſuſpicio fuit: modo aliae morbi rationes per anatomen ſe manifeſtant. ****)

*) vid.

*) vid. *Act. Vratislav. Cent. XXIV.* p. 314. *Act. Nat. Cur. Vol. I. obs.* 49. *Alb. Walraven* diss. *de Tympanite*, Ultraject. 1760.

**) *Hippocrat. Coac.* 304.

***) Referri huc posse videtur singularis illa observatio *Bäumlini* in *Commerc. Noric.* 1738. p. 181. de Tympanite epidemica, ex aëris constitutione.

****) vid. *Comment. Ac. Sc. Petrop. T. V.* p. 213.

§. 663.

Tumoris principalis causa aer est: hujus vero generatio, si in abdominis cavitate haeret, quod quidem raro admodum incidere consuevit, tum corrupto, putrefacto, aut cancroso qualicunque imi ventris visceri, aut eroso intestino, aerem illinc dimittenti, tum effuso humori inquilino, in putredinem delapso, aut lymphae putridae stagnanti in ventris cavo debetur; sin intra intestina aut ventriculum, modo pituitosae colluviei, modo corruptae bili; unde ex ictero ac diarrhoea larga aut suppressa tympanites nascitur; modo denique insigni atoniae alimentarii canalis, ad paralyticam relaxationem quam proxime accedenti: quapropter flatulentia, cujus causa atonia est, si diu durat, in tympaniam tandem abit.

Quantacunque vero est intestinorum distensio, haec tamen nonnullis locis saepe nimis conuoluta, contorta, et constricta quoque reperiuntur, ut neque stercori, neque flatibus via pateat.

§. 664.

Tympanites autem vel per se oritur, vel ex alio fit morbo. Initiumque tardum, et subinde clande-

clandestinum sumit, praesertim primarius, qui ipse quoque simul tardior est, et in quartum usque annum durare potest, nec ante sextum mensem facile finitur. Alter vero ex alio morbo natus declivi omnino tramite in mortem transmigrat. Prior etiam, idemque intestinalis, feminis quam viris est familiarior *); conceptionem vero in illis non impediens.

Utrumque morbi spasmodici frequentissime producere consueverunt, ut observatus sit colicae hystericae saepius revertenti, convulsionibus, asthmati hypochondriaco, tussi convulsivae, febrique intermittenti male suppressae successisse.

Praeterea tympanites ex adstricta diu alvo, febre continua, ascite, corrupto viscere, fluxu alvi qualicunque longo, eoque etiam suppresso, fluore albo, rachitide, ictero, nimio lochiorum et menstruorum profluvio nascitur, eoque etiam impedito.

Quisquis autem subito invadere dicitur, referendus potius est ad *Meteorismum*: qualis v. c. a venenis mortiferis, a subsistente lochiorum fluxu, in febre maligna atque ileo excitari consuevit. Tumet et interdum in paroxysmo febris intermittentis subito venter et totum corpus, ut suspicio veneni dati inde subnasci possit.

*) Minus recte solis feminis eum adscribit *Dover* in *Legacy* p. 61.

§. 665.

Ex corrupto viscere ortus tympanites, aut cum hydrope ascite vel anasarca complicatus, nullam plane medelam recipit. Non ita quidem rebellis est ex atonia, depravata bile atque multa pituita natus; sed plures tamen ex hoc quoque pereunt, quam servantur.

Nil

Nil varices hic quidquam proficiunt, nil flatuum exitus, nil alvi fluxus; qui potius exitium in propinquo esse significat, inprimis, si subitaneus ac frequens fuerit. A mictu cruento autem solutio morbi aliquando expectanda.

Venter interdum nonnihil detumescit, et sanationis spem laetam facit, utique, quum ipsi aegri jam melius habere videantur: at brevi tamen recrudescit tumor, aegrique tandem superveniente plerumque sanguinis vomitu, animique deliquiis exstinguuntur.

Curationem respuens morbus transit tandem, sub aucto sensim virium decremento, in febrem acutam erraticam ac in tabem.

Certissimum mortis signum in quibusdam est umbilici vel musculi cujusdam abdominalis inflammatio, crurumque jam pridem ante exulceratorum, aut oedematosorum sphacelus.

Superveniens ileus, aut stranguria et ischuria, aut febris, dolorque acutus intestinorum ingravescens mortem pariter praesignificant.

§. 666.

Ad curationem vero multa omnino ac diversa, imo contraria remedia requiruntur, pro diversa ac multiplici humorum corruptione. Etenim experientia satis luculenter monstrat, alium per medicamenta acida, v. c. spiritum sulphuris aqua dilutum, restitui, alium contra per alcalina, alium rursus per purgantia ac emetica, alium per stimulantia, clysteres, puta, e fumo nicotianae, iterum alium per roborantia; quid? quod unica venae sectione in pede pertinacem tympaniticam inflatio-

flationem in femina sanatam legimus. Quapropter non promiscue quaevis remedia, alias bona, exceptis roborantibus, decernenda sunt; sed indagandum prius, si fieri potest, an haec vel illa causa morbifica praesto sit.

Omnium minime vero clysteres ex carminativis stirpibus parati opem ferunt, licet ubique commendati; siquidem eorundem calidi vapores nonnisi copiosiori flatuum proventui favent, adeoque incommoda inde oriunda vehementer augent.

Ad adstrictam aluum ergo reserandam multo tutius laxantia, quam clysteres, nisi frigidi sint, adferuntur. Et tametsi ista quidem a nonnullis medentibus, tamquam res summe nocivae, etiam damnantur; ab aliis tamen enixe rursus praedicari solent; ac utrumque quoque consistere potest, pro diversa morbi indole. In eo nempe casu, ubi morbus ab humoribus corruptis proficiscitur, ea semper prosunt, quemadmodum etiam vomitoria: in alio vero, ubi causa ejus ab atonia vel a corrupto viscere repetenda, valde omnino nocent. Clysteres vero ex tabaci fumo maxime opem ferunt, ubi atonia morbi causa est. Sive vero haec, sive corruptus humor morbum facit, flatuum eductio frequens ope syringae stanneae majoris maximopere prodest. In tympanite abdominali paracentesis quidem non videtur aliena esse; tantum vero abest, ut vere prosit, ut mortem potius acceleret.

Inter roborantia maxime commendanda veniunt cortex Peruvianus et martialia; ad solvendam alvum manna cum cremore tartari, aut magnesia alba cum pauxillo radicis jalappae et olei anisi guttula, vel elixir salutis sive solum ad cochlear, sive cum elixir viscerali Hoffmanni remixtum; ad levandas inflationes, flatuumque

tuumque expulsionem oleum distillatum carvi vel cumini ad quatuor vel sex guttas cum vino datum; ad acidum, si praesens fuerit, infringendum, ut et ad humores pituitosos resolvendos liquor praecipitans Clauderi ad cochlear plenum aliquoties de die, aut sal tartari ad dimidiam unciam in unciis sex aquae anisi, absinthii et carminativae Dorncrellii solutum, atque syrupo corticum aurantiorum edulcatum; cujus mixturae quovis trihorio cochlear plenum sumendum; itemque spiritus salis coagulatus Mynsichti, ad duodecim grana bis in die.

Si alvus frequens et cruda fuerit, eam optime moderatur mixtura alterans Riverii, cui recte quoque pauxillum essentiae theriacalis admiscetur.

Stricturas spasticas intestinorum, unde dolores aeque atque tumor ipse ventris increscunt, oleum amygdalarum cum laudano liquido haustum optime iterum relaxat.

In tympanite autem ex impedito menstruorum fluxu necessaria est sanguinis missio cum selectis emmenagogis.

Ceterum in omni tympania, quatenus curationis capax est, abdomini roborantia atque stimulantia medicamenta sub emplastri, linimenti, ac fomenti forma superhabenda sunt. Pro emplastro itaque sequens compositio inservit: Pulpae colocynthidis scammonei, singulorum drachmae tres, radicis ireos nostratis, fellis bovis, singulorum uncia dimidia, euphorbii drachma, cerae citrinae, olei olivarum, singulorum sesquiuncia; quae omnia lege artis in unum miscentur: pro linimento autem unguentum Agrippae, aut haec compositio, quae ex butyri majoranae et olei laurini partibus aequalibus, adjecta

octava

octava parte olei petrae paratur. Simplicissimus juxta atque praestantissimus fotus fit ex aqua frigida*); quae saluberrime etiam non solum potatur, sed et per clysterem injicitur; alius fieri ex urina potest, in cujus libris duabus decoquitur salis prunellae uncia dimidia vel integra. Nec frictiones negligendae sunt. Nec ligare ventrem, alienum est.

Nonnulli ex antiquis ventri etiam imponi cucurbitulas praecipiunt, tam coecas, quam cum ferro, atque, si hae nihil profecerint, sinapi, donec cutem erodat. Verum haec praecepta non nisi effictae theoriae circa sedem morbi innituntur, adeo que nobis non aeque observanda sunt.

Abstinendum praeterea est, etiam diu post finitum morbum, ab omnibus inflantibus.

*) vid. *Franc. de Paul. Combalusier Pneumato-Patholog.* §. 398. 399.

§. 667.

Ignorare jam haud fas est, uterum muliebrem tympanite etiam aliquando affici, praesertim, quum virus venereum hoc viscus subierit, aut exulceratum istud fuerit. Ardor constans cum dolore rosivo ac pungente in hypogastrica regione percipitur: tenesmus aliquis per intervalla uterum comprehendit, ex eoque deinceps foetidissimus aer cum sonitu explodi-tur, humore sanioso ac rodente pedissequo*). Idem fluxus posthaec cessat, iterumque saepius redit cum iisdem symptomatibus. Elapso sic aliquot hebdomadum spatio, uterus sensim in tumorem durum ac sub-

rotundum elevatur; eoque rarius nunc flatus erumpunt, quo majus ille incrementum sumit: Lotium foetens cum difficultate redditur; denique lenta ac letifera febris accedit. Gravis autem hic morbus est, paucaeque ex eo evadunt. Idemque et tympanitae intestinali nonnunquam se adjungit.

*) vid. *Hippocrat.* L. I. *de morb. mulier.* p. 661.

SCORBUTUS.

§. 668.

Scorbutus et *) vetus et gravis et longus morbus est, permultis ac diversis symptomatibus stipatus, accolis maris septentrionalis, et his, qui longa itinera per mare suscipiunt, et militibus in castris quam maxime familiaris.

*) cf. Ill. *G. G. Richteri* Progr. *in Hippocraticas scorbuti antiquitates.* Goetting. 1744.

§. 669.

Morbus lente obrepit ac ingravescit, sicque quaedam quasi stadia gradatim observat. Sub initio insignem gravitatem atque lassitudinem homo sentit, atque pallidam et subtumidam faciem prae se fert. Quidam de dolore vermiculari in artubus simul conqueruntur. Sub quocunque motu respiratio anhelosa fit. Gingivae molliter intumescunt, pruriunt, livescunt, et ad lenissimam frictionem sanguinem fundunt; progressu temporis, nunc citius, nunc tardius, eaedem spongiosae fiunt, atque putridae: unde anima simul valde foetet: στομακάκην nunc appellant.

Multis

Multis praeterea cutis prurit, in eaque maculae erumpunt aliis flavae, aliis rubicundae, purpureae, lividae, nigrae, a lentis magnitudine usque ad manus ambitum: haeque omnes ac singulae modo evanescunt, modo iterum erumpunt, ac praesertim in artubus visuntur, rarius in trunco, rarissime in facie. Aliquando etiam tumores et tubercula in variis corporis partibus oboriuntur, aut pustulae majores et minores, rubrae, ulcerosae cum febricula, iis similes, quae per ambustionem excitantur *). Crura multis, neque raro cum dolore, intumescunt. Non paucis saliva copiose fluit. Pectus doloribus vagis per intervalla occupatur, perinde ac caput, cervix et artus; rheumatismum scorbuticum vocant, et arthritidem vagam scorbuticam. Atque istiusmodi cruciatus saepe ante macularum eruptionem adfligunt aegros, nec pro scorbuti latentis symptomate ideo facile habentur. In abdomine etiam valde notabiles sunt dolores colici, lancinantes, longi, immorigeri, in paralysin frequenter desinentes. Appetitus aliis dejectus, aliis auctus contingit. Ructus acidi, nidorosi, foetidi, amari frequenter erumpunt. Multos cordis palpitationes vexant. Alvus in plerisque fusa est per vices et male olet. Urina cito in putredinem ruit, superficiemque spumosam, salinam atque pinguem exhibet: aliquando eadem livida atque nigra apparet. Mentem tristitia per totum morbum occupat.

In altero stadio omnia ista symptomata gravescunt, aliaque superveniunt; siquidem ad levissimum motum nunc animo facile linguuntur aegri, ulcera fungosa, putrida et sanguinolenta in cruribus erumpunt, gingivae gangraenescunt, earumque ulcera nonnunquam maxillam erodunt ac serpunt, dentes saepe dolentes procidunt, dolor obtusus tensivus, osteocopus dictus,

 ossium

ossium medullas occupat, gangraenae in pedum potissimum digitis contingunt sine praegressa inflammatione, lenteque serpunt et tarde jugulant. Sanguinis etiam profluvia immoderata ingruunt, et crurum flexores fere obrigescunt, σκελοτύρβη Graecis dicitur.

Tertium stadium novis iterum atque extraordinariis symptomatibus, recensitis se adjungentibus, conficitur. Sanguinis profluvia frequentius se efferunt, et ex pluribus locis contingunt. Membra integra livescunt, nigrescunt, indurantur ac putidissimum foetorem spargunt. Hydropes, icteri, melancholia, paralyses, ac distensiones nervorum accedunt. Nonnulli subito animam exhalant; alii in acutam febrem malignam conjiciuntur; alii denique tabe pereunt.

*) cf. *Fr.* Hoffmanni diss. *de aegra affectu raro scorbutico pustulari laborante*. Halae 1704. *I. Phil. Eysel* diss. *de febre scorbutico-exanthematica*. Erford. 1704.

§. 670.

Haec igitur sunt praecipua scorbuticorum pathemata: quae quidem non omnia in omnibus ac singulis similiter occurrunt, sed in aliis plura, in aliis pauciora, itemque vel graviora vel mitiora, pariterque intuitu durationis diversa. Propria autem scorbuti symptomata sunt haec: gingivae relaxatae, maculae, ulcera putrida et summa corporis lassitudo: quae hunc morbum nunc quoque ab hypochondriaco malo, quicum interdum etiam complicatus est, itemque ab ictero, a melancholia, atque purpura rubra chronica, quibuscum pariter multam habet affinitatem, facillime distinguunt.

Ex

Ex historia ſcorbuti ſimul apparet, quod is juxta hypochondriacum morbum maxime omnium ſit compoſitus, a ſumma ſanguinis humorumque vitalium dyſcraſia et corruptione proficiſcens.

§. 671.

Enimvero humidus atque frigidus aer ſcorbutum inprimis ingenerat; utique in eiusmodi corporibus, quae curis, otio, vel ex praegreſſo morbo, ſpeciatim ſanguinis nimia jactura, febre intermittente ſuppreſſa, febre continua, affectione hypochondriaca et hyſterica, inſignem languorem adepta ſunt. Gravior hinc ſemper morbus in frigidiore regione, quam calidiore eſſe conſuevit, itemque hyeme, quam aeſtate.

In locis maritimis ob denſas nebulas et copioſam pluviam, ipſoque in mare vehementius idem ſemper ſaevit, quam in ſiccioribus regionibus. Addam defectum vegetabilium, et duri atque ſalſi victus longum et quotidianum uſum, non minus quam corruptos cibos, quibus navicolae haud raro uti ſunt coacti; itemque ex potulentis aquas graves et ſtagnantes, quibus milites, inprimis tempore belli, ſcorbutum ſibi conciliant.

§. 672.

Leviſſimis vero, ac ſimpliciſſimis remediis is morbus optime tractatur, inprimis vero acidis; cujusmodi ſunt oleum vitrioli, ſpiritus ſalis et ſulfuris, elixir acidum Dippelii, ſuccus pomorum aurantiorum ac limoniorum, elixir proprietatis cum acido, conſerva acetoſae et acetoſellae; quibus tonica, amara, velut mars, cortex Peruvianus, extracta abſinthii, fumariae, ſcordii, zedoariae, cardui benedicti, elixir amarum antiſcor-

buticum, ſpiritus antiſcorbuticus Drawitzii, et ſpecifica quaſi quaedam, nempe allium, armoracia, cochlearia, et cortex Winteranus, interponenda.

Ceterum probe muniri corpus adverſus frigus debet non minus, ac moveri.

Adventitius morbus, nec diu jam praeſens, praeter vegetabilem victum ſine ullo fere medicamento expugnatur, dummodo ex frigida regione eatur in calidam.

Ad diſcrimina in calidum, frigidum et muriaticum ſcorbutum in curatione non eſt attendendum; utpote quae nunquam experientia fida, ſed imaginatio docta tantum ſtabiliuit. Neque recte morbus ad contagioſos pertinet, ut quibusdam viſum.

Interdum ſuperveniente ſcabie ſolvitur.

§. 673.

Enimvero, ut eo tolerabilior reddatur aegrotanti morbus, ſymptomatibus etiam ſuccurrendum.

Os ergo propter gingivas putridas decocto hordei cum melle roſato et ſpiritu ſalis dulci, aut aceto, aut elixir vitrioli Mynſichti crebro colluatur. Ulceribus oleum vitrioli multa aqua dilutum, aut phlegma ejus ſaltem, cum emplaſtro ſaponato, applicetur. Gangraenae metus aqua calcis vivae cum ſpiritu vini camphorato atque ſale ammoniaco avertatur. Profluvia ſanguinis cortice Peruviano coerceantur, et ſpiritibus acidis mineralibus, aut ſero lactis aluminato. Crura vero tumida crebro pannis, accenſorum gummatum fumo imbutis, perfricentur. Articuli rigidi denique aqua calida,

in

in qua ſal ammoniacum ſolutum, foveantur; deinceps oleo palmae vel ſimili perungantur.

Diarrhoeae nonniſi leniter tractari debent, et diaſcordio vel theriaca paullatim coerceri; alias praemature cohibitae anxietates cardialgicas, inflationes torminoſas atque viſcerum infarctus poſt ſe relinquunt.

Ad dolores lancinantes inteſtinorum nulla carminativa calidiora quadrant, ſed clyſteres emollientes et liquor mineralis anodynus Hoffmanni vel ſolus, vel eſſentia croci et caſtorei remixtus.

Pectoris dolores et aſthmata leniunt oxymel ſquilliticum, et brodia gallinarum cum oleo amygdalarum dulcium et ſpermate ceti adſumta: perfectam enim curationem haud admittunt.

Rheumatiſmus ſcorbuticus ſudoribus maxime levatur, et decocto ex ſedo acri extus partibus laborantibus applicato, aut fotu ex lixivio cinerum, cui abſinthium, ruta, cortex aurantiorum, floresque ſambuci et chamomillae incocti. A ſpirituoſis topicis cavendum eſt, quippe quae materiem vitioſam ad interiora repellendo, graviſſima ſaepe ſymptomata producunt; itemque a veſicatoriis, quae gangraenam accerſere poſſunt.

Quodſi morbus jam inclinat, balneum aquae dulcis, diutule uſurpatum, apprime conducit.

Relicta ulcera requirunt, praeter regimen antiſcorbuticum, aethiopem mineralem et moderatum decocti lignorum antimoniati uſum. Utilia quoque ſunt balnea fontium mineralium, martiali ochra inſtructorum. Si

Si hydropes aegrum adflixerunt, is, licet sanitati restitutus, rheumatismo artuum, doloribus ac rigori facile obnoxius manet per omnem vitam.

MORBI VENEREI.

§. 674.

Tum ex solo immoderatae Veneris usu nascuntur venerei morbi, tum ex congressu cum sordidis, tum vero etiam generatione aeque ac contagione per multiplicem contactum, praesertimque per lactationem *) atque oscula. An quoque ex communi lecto, ex infecta veste, ex poculis, ex ejusdem latrinae usu, et per manus obstetricis venereae illi propagentur, de hoc valde dubitamus, perinde ac de eo, quod interdum diu et ad multos annos lateant in corpore sine ulla nota manifesta. In ejusmodi enim casibus, qui ipsi oppido rari, tum aegri, tum medentes facile falluntur, non solum quod ab utroque morbus pro venereo habetur, qui talis non est, sed et illi verioris morbi origines ad juveniles annos subdole referunt; qua in re tanto facilius medentes illis credunt, quod non sine experientia tale quid fieri posse existimant.

Plerumque vero syphiliticum virus eas partes primum adficit, per quas admittitur, naturales scilicet, si concumbendo, mammarum papillas, si lactando, gingivas, buccas, fauces in alumno, si sugendo fuit receptum; indeque paullatim per totum corpus dissipatur, sanguinemque totum inficit, seseque simul, ut plura alia miasmata, multiplicat.

Enimvero non unum vitiorum genus a miasmate isto produci solet; ut adeo commode in duas classes, topicorum

picorum ac universalium, dispescantur. De singulis vero nunc seorsim agam, orsus a topicis; cujusmodi sunt gonorrhoea virulenta, tumor testium, bubones, phimosis, paraphimosis, ulcuscula in cole, excrescentiae in obscoenis, et nonnulla alia.

*) Ita vicissim quoque constat, a muliere infecta multis aliis feminis, quibus post partum lac e mammis suxerat, venereum virus fuisse communicatum. *Essays of Edimb. III.* 21.

§. 675.

Sic vero in viris deprehenditur *gonorrhoea virulenta*: Quarto, octavo, aut duodecimo demum die a concubitu impuro primum guttulae quaedam humoris viscosi non sine quodam voluptatis sensu per urinae iter destillant, extremaque ejus rima praeter modum non solum hiat, sed etiam rubet et caloris quendam infert sensum; qui inter mingendum quoque percipitur cum insueta titillatione, indiesque propius ad dolorem accedit. Coles posthaec praeter arbitrium et cum dolore obrigescit, interdumque etiam incurvatur. Morbosus humor multus exstillat, maxime cum a mictu vesica fortius comprimitur. Urinae difficultas in dies increscit cum mordaci acrimoniae et caloris sensu per totam urethram. Perinaeum compressum dolet et parumper calet. Testes in societatem morbi saepe rapiuntur, pariterque et tument et dolent. Morbosus humor sensim acrior fit ac tenuior, coloremque habet modo cinereum, modo flavum, viridem, ac vere purulentum; modo etiam filamentis, striis aut punctis saltem sanguineis permistus est. Denique omnia iterum paullatim mi-

 tescunt,

tescunt, humor spissior ac albidior moderatius exstillat, tandemque penitus cessat, ejectis prius albicantibus ramentis in urina conspicuis. Subinde gonorrhoeam istam virulentam benigna excipit, ob partium affectarum laxitatem.

Eademque omnia fere mulieribus sic contingunt. Paucis nempe post diebus a concepta labe frequens oritur in vulua pruriginis sensus cum calore conjunctus, qui ad stranguriam in dies propius accedit. Dein aucto ardore et rubore ejus, admissio colis vix toleratur, inter mingendum dolor ardens corripit, humorque morbosus acris, puriformis, flavus, putidus, aut sanguinolentus copiose effluit. Denique vulvae ardor ac dysuria sensim iterum imminuitur, magis candidus evadit humor, ac paullatim demum cessat, post emissos floccos tenues, qui urinae velut ramenta albicantia inhaerent.

Gonorrhoeam virulentam a simplici, quae immoderato veneris usui, etiam purae, subinde succedit, in viris eo maxime distinguas, quod in hac nullus dolor, nec erethismus vexat, quod sponte atque cito desinit, neque ulla malignitate stipata est. Et per haec recte quoque in feminis fluor albus malignus a benigno distinguitur.

§. 676.

Vesiculae seminales, prostatae, glandulae Cowperianae, cellulaeque urethrae in viris, inque feminis simul glandulae botryformes per vaginam consitae, sedem gonorrhoeae malignae constituunt; nuncque vel singulae istae partes seorsim, vel plures harumdem

dem simul, vel denique omnes ita in hoc malo adficiuntur, ut modo inflammationem duntaxat experiantur, modo, quod pejus, suppurationem ac exulcerationem, idque diverso omnino gradu. *)

*) vid. *Mem. de l'acad. des sc. de Par.* 1711.

§. 677.

Gonorrhoea itaque nil est, nisi inflammatio dictarum partium; adeoque etiam ad modum inflammationis judicatur vel resolutione, quae raro quidem, nec nisi in leviore gradu, succedit; vel suppuratione, quae tantum non semper contingit; vel scirrho, unde stranguria habitualis; vel denique gangraena, quae quidem rarissime ac non nisi tum accidit, ubi inflammatio admodum vehemens, omniaque auxilia omissa, vel pars inflammata immodico concubitu aut diuturna equitatione nimis vexata fuit.

Interim sub legitimo remediorum usu atque exercitii venerei evitatione omnis periculi expers gonorrhoea est; tardius tamen nunc, citiusve finitur pro diversa symptomatum vehementia. In feminis tolerabilior est, quam in viris; contra vero curatu difficilior. Veneream luem nunquam inducit, nisi temere suppressa, aut repetito nimis coitu in pejorem indolem mutata. Involuntarium et habituale stillicidium humoris seminalis graviori plerumque succedit; eademque stranguriam etiam relinquit sub curatione haud perfecta, ob cicatriculam duram aut fungosam, qua urinae iter angustatur.

§. 678.

Curatio gonorrhoeae virulentae initio absolvitur san-

ſanguinis miſſione, ſemel vel pluries inſtituta, liberaliore ptiſanae uſu ex radicibus bardanae et ſarſaparillae atque herba ſaponariae, ac leniente antiphlogiſtico aliquoties ſexto quoque die exhibito, interpoſitis pulveribus ex nitri depurati drachma dimidia atque camphorae grano uno vel duobus, qui mane et veſperi octo dies et ultra ſumuntur. Ceterum vero tertio vel quarto quoque die unguenti Neapolitani drachma una ad duas perinaeo, genitalibus ac inguinibus per duas vel tres hebdomades aut per menſem utiliter infricatur. Quodſi urina cum magno ardore mejitur, expedit emulſionem temperantem ex ſeminibus parpaveris albi et cannabis intus dare, extus vero colem lacte calido, in quo pauxillum ſeminis lini coctum, fovere.

Denique ſedato genitalium ardore, ac lenita dyſuria conſolidante atque detergente remedio, ſub protracto ptiſanae uſu, ſuccurrendum eſt; cujusmodi eſt aqua ad gonorrhoeam Riverii vel Hoffmanni, quae ad duo cochlearia mane et veſperi exhibetur; aut maſſa pilularum de therebinthina, iisdem temporibus ad dimidium drachmae data; vel pulvis olibani, maſtiches, aut gummi anime eodem pondere ex ovo ſorbili.

Quodſi iſta omnia debellando malo haud ſuffecerint, oportet adhuc liquorem mercurialem, ex aquae calcis vivae unciis octo et mercurii dulcis drachmis duabus, ad unciam unam ter de die in urethram injicere. Quodſi vero nec huic remedio morbus obtemperat, id quod tamen fere nunquam fit, niſi maxima aegri intemperantia, et, ſi urethra graviter inflammata, et ſanguis effluit, et ipſum perinaeum inflammatione tentatum; tunc praeter iteratas venae ſectiones atque liberaliorem ptiſanae potum ad externa remedia confugiendum eſt,

atque

atque genitalia non ſolum lacte tepido fovenda, ſed perinaeo etiam cataplaſma ex mica panis triticei, lacte et croco admovendum, ſimulque decoctum radicis altheae ex ejus uncia una et aquae fontanae octo paratum, cum pauxillo ſacchari ſaturni in urethram injiciendum eſt.

Alias ab injectionibus adſtringentibus, ac potiſſimum ſaturninis in hoc morbo abſtinendum; utpote quae excretionem humoris maligni ſalutiferam coercendo, longe pejora ſymptomata producunt, tumores teſtium ſcirrhoſos, bubones, arthritidem veneream, dolores rheumaticos, tumores et ulcera rheumatica, ac ipſam luem.

Gonorrhoeam benignam a virulenta relictam, ob nimiam affectarum partium laxitatem, tollit demum infuſum vinoſum ex corticis Peruviani, cinnamomi, limaturae martis ſingulorum uncia dimidia et vini albi libris duabus confectum; cujus cochlear plenum ter in die ſumitur, ſenſim augendo doſin usque ad tres uncias.

§. 679.

Alia eſt urethrae adſectio venerea, eaque rarior, ad gonorrhoeam quodammodo referenda, in qua paucis diebus a coitu impuro, in utroque ſexu, gravis atque urens dyſuria hominem diſcruciat ſine ullo humoris effluxu, aut ſaltem pauciſſimo: *dyſuria venerea ſicca* et *gonorrhoea ſicca* vulgo dicitur. Ea priori periculoſior eſt, inprimis ſi perinaeum vel totus coles inflammatione ſimul occupatur; quo in caſu ea interdum in ſuppurationem, interdum quoque in gangraenam abit.

Opor-

Oportet ſanguinem iterato mittere, colem cataplaſmate ex ſpeciebus emollientibus ſaepe fovere vel ex his etiam inſeſſus parare, alvum lenientibus ducere, ptiſanam ex radice dulcamarae, bardanae ac liquiritiae affatim bibere, emulſionibus nitratis etiam uti, decoctum radicis altheae vel lac aqua dilutum calide in urethram, ſi prae doloris vehementia fieri poteſt, immittere, denique, mitigata ſymptomatum atrocia, unguentum mercuriale perinaeo diu illinere per intervalla ſupra jam indicata. Quibus auxiliis ubi vehementia morbi poſt tres, quatuor vel ſex dies lenita fuerit, vel optatus ſequitur humoris putridi fluxus, vel ſine eo phlogoſis ſenſim reſolvitur. Quodſi vero eadem atrocia pergit morbus, et hosce dies ſuperat, tum ſuppurationis vel etiam gangraenae periculum oritur: quamobrem cataplaſmata maturantia in priori caſu, in altero ſcarificationes perinaei adminiſtrandae.

Ceterum noſſe refert, gonorrhoeam ſiccam non ſolum praecedere vehementiorem virulentam, ſed eaedem quoque, ubi ſuppreſſa fuerit, ſuccedere.

§. 680.

Aliud gonorrheae genus in viris haud raro occurrit, intuitu ſedis a priori diverſum (§. 678.); ubi nempe non ab urethra, ſed a corona glandis cum praeputio inflammata, illiusque glandulis ſebaceis humor ſubviſcidus atque foetidus lymphaticus, inſignem pruritum excitans, promanat: *gonorrhoeam ſpuriam* adpellant.

Eadem in feminis haud raro obvia, in his non ex vagina, nec ex glandulis proſtatae vel Cowperianis, ſed ex ipſa vulvae facie ſola oritur, cujus glandulae pariter

riter ac in viris coronae glandis veneno acri venereo irritatae ac inflammatae talem humorem ſuggerunt; cui aliquando quaedam puris guttae ab eroſa glandis vel praeputii facie in viris, aut vulva in feminis, admiſcentur.

Haecce gonorrhoea modo ſeorſim adfligit, modo cum humidae aut ſiccae ſpecie copulata eſt. Repeto, quod etiam citra miaſma venereum in juvenibus perſaepe oriatur (§. 369.), interdumque etiam in conjugibus.

Periculo plerumque vacat. Ubi vero remedia congrua omittuntur, poſſunt facile ulcuſcula inde naſci aut calli, et tunc phimoſis, paraphimoſis, et veſiculae criſtallinae.

Praemiſſa ſanguinis miſſione, oportet affectas partes decocto ligni guajaci ex lacte et aqua ſaepius fovere, et ſubinde etiam eluere; et, ſi hoc non ſufficit, hoc ipſum lignum ex aqua calcis coquere, eidemque nonnihil ſpiritus vini et aliquot grana mercurii ſublimati admiſcere, et ſic applicare; deinde ſedato inflammationis aeſtu, omnia illa, quae adverſus gonorrhoeam virulentam propoſui, in uſum trahere.

§. 681.

Venereus *teſtium tumor* inflammatoriae indolis eſt, et modo alterutrum vel aliquam ejus partem duntaxat, praeſertimque epididymides occupat, modo utrumque teſtem, ac moleſtum ponderis ſenſum infert, qui ad inguina usque protenditur.

Hunc vero tumorem vel a ſuppreſſa gonorrhoea virulenta, vel ab ultronea teſtis inflammatione, a miaſmate

mate venereo suscitata, produci sciendum est. Prior species magis acuta ac inflammatoria est, quam altera; quae ideo vero difficilius resolvitur ac in longum trahit. Utrique aliquando febricula supervenit, et plura graviora mala succedunt, hydrocele, sarcocele, abscessus, indeque fistulosum ulcus, carcinoma.

Curatio a venae sectione incipit, alvus enemate cum medulla cassiae solvitur, ptisana, qualem jam aliquoties praescripsi, liberaliter bibitur, cataplasma ex foliis malvae, hyosciami, radice liliorum alborum, ac seminibus lini et foenugraeci cum oleo liliorum alborum vel lacte constanter superhabetur: remittente inflammatione alvus leni cathartico rursus solvitur; denique ad duritiem testis paullatim resolvendam unguenti mercurialis pauxillum quotidie illinitur, aut emplastrum de ranis cum mercurio vel diachylon simplex superimponitur, intusque remedia exhibentur, quae humoris venerei stillicidium ex urethra restituant. Cum his vero necessaria est fascia, quam suspensorium vocant chirurgi, qua testiculus excipiendus, semperque sustinendus est.

§. 682.

Abscessus in perinaeo ad ani confinia aut ad radicem colis supervenit gonorrhoeae, si nimis virulenta est, si praepostere tractata, si veneris usu, equitatione, potuve spirituoso exasperata; utique in homine, cujus acrior humorum qualitas est.

Talis abscessus difficulter solvitur, eoque periculosior est, quo profundior et major; periculosissimus vero, si pus diu conclusum fuit; ex quo quippe varii sinus callosi circa urethram, podicem, et perinaeum oriuntur,

untur, quin ipsa urethra ac interdum quoque intestinum rectum simul eroditur.

Initio omnem operam adhibere oportet, ut suppuratio avertatur: quod fit venae sectione, cataplasmatibus resolventibus, clysteribus atque ptisana. Quodsi vero ista haud suffecerint, quandocyus puri incisione via paranda est, ne cuniculos sibi pariat. Ulcus deinceps accommodatis remediis expurgatur. Calli autem vel forfice abscinduntur, vel scarifatione aut cathaereticis tolluntur. At quo plures sinus iam formati adsunt, eo difficilior est curatio, quin nec ubique quidem prudenter suscipitur, quandoquidem ulcera cum urethra ac intestino recto communicant, nec eorumdem intimos recessus perscrutari licitum est, saltem non nisi cum maxima partium deperditione et incisione multiplici, quod semper periculosum, praesertim in aegrotis jam jam valde emaciatis et in quibus sanguis vitiatus est. Satius hinc est, palliativam curationem in hisce casibus duntaxat adhibere, ne operationi infamia concilietur.

§. 683.

Non raro gonorrhoeam virulentam pertinax *Stranguria* excipit, in qua urina non pleno alveo, sed tenui ac interrupto filo, eoque plerumque bifido, non sine magno ac frequenti stimulo, nisuque redditur; quemadmodum etiam ipsum semen in concubitu. Sub mictionis finem interdum pus vel sanies exstillat. Ipsaque stranguria interdum prorsus in ischuriam transit cum inflammationis metu, interdumque etiam in urinae incontinentiam. In feminis ea raro admodum occurrit.

Sunt autem varii obices, urethram obsidentes et

angustantes, ipsius causae, quos quidem frequens inprimis coitus et suppressa gonorrhoea virulenta producit: ulcuscula nimirum callosa in prostatarum aut vesicularum seminalium emissariis, cicatrices item callosae, ab ulcusculis sanatis in urethra relictae, nec non carunculae ab iisdem ulcusculis, veru montano praetumido, prostatis aut vesiculis seminalibus callosis, induratis aut spongiosa carne plenis; iisdemque omnibus vel solitariis vel varie inter se coniunctis.

Enimvero, ejusmodi obices exstirpare h. e. absumere, maturare, complanare, retundere, difficile est. Proficiunt tamen ad id maxime virgulae ceraceae contortae, decem pollices longae, calamique scriptorii quasi crassitie majori et minori, *Bougies* vulgo dictae. Quarum aliqua ex tenuioribus primum in urethram immittitur, rectoque tramite usque ad obices adigitur. Optimum est, si iam primo die vesicam attingat; solet tamen intra medios obices plerumque persistere. Sequentibus interim diebus ulterius promovenda est, donec ad vesicam perveniat. Quolibet die virgula tres vel quatuor horas in urethra relinquitur; idque tam diu repetitur, donec tum libere immitti, tum etiam eximi sine omni dolore queat. Tum vero alia paullo plenior usurpanda et per intervalla pariter immittenda est, deincepsque alia adhuc crassior, quoad urinae iter optime peruium esse intelligatur. Etiamsi vero urina nunc pleno alueo redditur; curationi tamen nequaquam fidendum est, siquidem brevi compressi obices resurgere consueverunt. Quapropter diutissime huic operi insistendum, et primum quidem nunc quotidie per unam alteramve horam, deinde bis terve in hebdomade, denique ter quaterve in mense.*) Ipsae autem virgulae sequenti ratione parantur: Linteamina tres circiter pollices lata et decem longa immer-

merguntur in liquatam massam, quae fit ex emplastri diachylon simplicis, picis Burgundicae, mercurii vivi, balsamo sulphuris subacti, singulorum uncia una, antimonii in pulverem contriti dimidia: quibus cunctis in unum mistis et colliquatis lintea immittuntur, et educta in sex partes dissecantur, sic, ut quodlibet frustum figuram conicam obtineat, cuius extima superficies rursus eadem massa liquata mediante spathula obducitur, jamque ad calorem super assere contorquetur, ut figuram cerei obtineat.

Haec ratio curandi multo tutior est, quam quae injectione oleorum expressorum aut decocti stirpium mucilaginosarum in urethram secundum Cl. *Lapy* perficitur. **)

*) Plures cautelas circa horum cereorum usum tradiderunt *Jac. Daran* in *Observat. des maladies de l' Uretre*, à Avig. 1748. et *Sam. Sharp* in *critical Enquiries into the present State of Surgery*, p. 172. sq.

**) *L. de curatione stranguriae contumacis, frequenter maleque tractatam gonorrhoeam consequentis.* Rom. 1754.

§. 683.

Nunc ad *Bubones* venio: qui sunt tumores glandularum inguinalium duri ac dolentes, quorum modo plures, modo pauciores in alterutro vel utroque inguine nascuntur, vel immediate aliquot diebus post impurum concubitum, vel mediate a suppressa aut parcius fluente gonorrhoea, aut in consortio cum ulcusculis penis venereis. Ipsorum figura est orbicularis, oblonga, teres; magnitudine vero ad ovi columbini, gallinacei et pugni molem accedunt. Alii multum dolent et calent; alii modice saltem, et satis molles

ſunt; alii contra valde duri, nullum prorſus dolorem creant. Illos phlegmonodeos vocant, iſtos oedematodeos, hos ſcirrhodeos. Alii ſenſim reſolvuntur, alii in pus vertuntur, alii omnem tum reſolventium, cum maturantium vim eludunt. Minores ſaepe ſponte iterum evaneſcunt.

Non ſolum vero bubones praecurrunt luem veneream, ſed et interdum iſtam ſubſequuntur. Si longo poſt impurum concubitum intervallo oriuntur, immiſſa jam altius lues intelligitur: quare poſt maturationem atque tempeſtivam inciſionem integra luis curatio inſtituenda eſt. Sin autem paucis diebus poſt apparent, et ſine inflammatione ſunt, tum unguentum mercuriale ad dimidiam drachmam alternis diebus illis illinitur, ſuperimpoſito emplaſtro de ranis cum mercurio; et, ſi ſalivationis indicia appareant, remedium purgans exhibetur, pacatoque orgaſmo frictiones repetuntur, donec reſolutio contigerit: ubi vero ad ſuppurationem inclinant, eo deducendi ſunt per maturantia, qualia ſunt emplaſtrum diachylon ſimplex et compoſitum, et cataplaſmata, quae ex ſapone nigro, cepis coctis et unguento baſilico componi poſſunt, aut ex ſpeciebus officinalibus pro cataplaſmate, quibus ad pulticulae formam coctis fermentum panis additur cum unguento baſilico atque oleo liliorum alborum.

Bubones phlegmonodei ceteris curatu faciliores ſunt.

Nec vero in inguinibus duntaxat bubones oriuntur, ſed aliquando etiam in collo, ſub axillis, et ad inferiorem maxillam: qui cum prioribus ejusdem naturae ſunt, iisdemque remediis tractantur.

§. 684.

§. 684.

Ex contagio venereo ſuccreſcunt etiam in partibus obſcoenis ulcuſcula exigua ſuperficialia, quae Gallis *Chancre* appellantur. Sub initio leuis papula miliaris, rubra, calens atque pruriens enaſcitur, cujus apex ſenſim albeſcit et complanatur, tandemque dehiſcit et ichorem plorat. Ulcus paulatim creſcit, excavatur et callis cingitur.

In viris frequentiſſime inſident eiusmodi ulcuſcula coronae glandis, freno, aut praeputio tam intus, quam extremo ejus margini, ut et lateralibus partibus glandis et extremae urethrae: in feminis internae faciei labiorum vulvae, clitoridi ejusque praeputio, nymphis, caruneulis myrtiformibus ac extremae urethrae. Horum autem modo pauca adſunt et diſcreta, modo numeroſa, conferta ac confluentia. Alia vero benigniora ſunt, alia maligniora. Illa ſunt rotunda, ſuperficiaria, atque labra nec tumida, nec rubra habent, et pus laudabile fundunt ac in fundo albicant: haec figura irregulari, anguloſa, cauitate nigra aut liveſcente, labiis duris, calloſis, rubris ſeu inflammatis conſpicua, ſanioſi quid fundunt et latius ſerpunt. Atque haec ulcera qualiacunque vel jam praeſentem luem comitantur vel futuram praeſignificant. *)

A confertis atque denſis ulcuſculis conſuerunt partes naturales tumere ac inflammari; unde phimoſis, paraphimoſis, veſiculae criſtallinae, gangraena et ſphacelus.

Curatio innititur ſequentibus indicationibus. Primo phlogoſis venaeſectione, ſi opus, coercenda eſt: deinde

deinde partes laborantes frequentius eluendae decocto ligni sancti cum aqua calcis vivae parato, aut obtegendae, aqua phagedaenica aut unguento apostolorum, quae callos etiam resoluunt et consolidationem perficiunt: quae, detersione facta, etiam balsamo Arcaei, unguento basilico, aut elixir proprietatis sine acido obtinetur: denique virus specificis internis corrigendum.

*) Solent quidem in hisce partibus etiam citra contagium venereum excoriationes et ulcuscula in viris interdum accidere, si cum muliere rem habent, quae fluore albo acriori laborat; imo etiam sine coitu, si nimis fuerit acrimonia humoris, qui e vasculis sebaceis scaturit, et sub praeputio haerens haud tempestive abstergitur; itemque ex haemorrhoidum vitio. Similiter in feminis, nulla prorsus labe venerea infectis, exulcerantur interdum horrendo modo, ac simul intumescunt labia vulvae et tota perinaei regio, ut nec commode sedere queant; quin et circa anum excrescentiae molles, albicantes, madidae ac dolentes in utroque sexu, simul vel seorsim enascuntur. Huiuscemodi autem vitia facile est ab ulceribus venereis distinguere, quod solis abstergentibus atque cathaereticis sedulo applicatis sanationem haud aegre admittunt; illa quidem in obscoenis partibus virorum decocto ligni guajaci ex aqua calcis vivae, cui parum spiritus vini et mercurii dulcis est adjectum; haec, ut et verrucae ani, unguento populeo, cujus unciae grana duo ad quatuor mercurii praecipitati rubri admiscentur.

§. 685.

Ubi praeputium in extremo limbo rubet, aut saltem tumet, glandemque ita comprehendit, vt super eam duci se haud patiatur, φίμωσις vitium dicitur: contra vero παραφίμωσις, ubi pone coronam glandis tumet, eamque nudam ita constringit, ut haec rursus

rurſus induci non poſſit. Prius fere accidit, ſi praeputium ulceribus eroſum eſt vel circa frenum vel ad extremum marginem; ſi tumor ejus praecedit tumorem glandis; ſi haec vel praeputium verrucis ſubduris aut calloſis ulcerum oris obſeſſum eſt; aut ſi denique purulentus et acris humor, qui gonorrhoea laborantibus ex urethra fertur, inter glandem atque praeputium aliquamdiu ſtagnando has partes rodit, ac inflammationes cum exulcerationibus excitat: poſterius, ſi ulcera iuxta poſticam praeputii ſedem, vel in glande, et ultra eam in cole exiſtunt, aut ſi tumor praeputii tumorem glandis ſubſequitur. *)

In phimoſi urina ſub praeputio interdum obhaereſcit, parteſque vicinas rodit ac inflammat. In paraphimoſi dyſuria atque ſtranguria vexat, et inflammatio praeſto eſt.

Utrique vitio, praeſertim poſteriori, ſi grauius eſt, febris ſupervenit, quid? quod gangraena et ſphacelus colis.

Communis eſt utriusque medela: quam nonnunquam medicamenta praeſtant ſive emollientia, ſive reſolventia. Ex priori claſſe huc ſpectant folia malvae, flores ſambuci, meliloti, radices altheae, liliorum alborum cum ſemine lini atque foenugraeci, quae ex lacte vel ex hoc et aqua fontana coquuntur, et ex quorum decocto expreſſi panni bene calidi per plures horas ſuper colem collocantur: ex altera valet aqua calcis vivae, cui aliquot grana ſacchari ſaturni admiſcentur, ſimiliter ſic applicata. Ad levandam inflammationem interdum etiam venae ſectio neceſſaria eſt. Si vero medicamentis illis mala

la non cedunt, manu curanda ſunt; quod, quomodo fieri debeat, chirurgia docet.

Gangraenam et ſphacelum nil melius ſiſtit quam inſperſum minium, et ſanguinis miſſio, et praeputii ſcarifatio. Si vero his parum profectum eſt, coles amputandus eſt.

*) Sermo hic tantum eſt de illis vitiis, quatenus ex venereo tabo naſcuntur. Interim hoc loco non ignorandum, utrumque etiam ex aliis occaſionibus incidere; et phimoſin quidem multis a nativitate eſſe, praetereaque ex humore glandularum ſebacearum in glandis circulo poſitarum, ſi is voluptate aut ob aeſtum venereum juvenibus ſolennem acrior fit, itemque ex calculis inter glandem ejusdemque cutim concretis excitari: paraphimoſin vero, ſi coles ex inflammatione intumuit, aut ex tentigine, ſique praeputium, quod in juuenibus quandoque valde anguſtum, vi adhibita diductum fuit.

§. 686.

Veſiculae criſtallinae h. e. hydatides ſeroſae phimoſi et paraphimoſi ſuperveniunt. Earum una vel plures adſunt prominentes, planae, anguſtae vel latae, pro effuſi ſeri copia; quod ipſum limpidum vel craſſum, tenue vel opacum eſſe ſolet. Eaedem progreſſu temporis ex parte inanitae corrugantur.

At multis ac diverſis genitalium locis inſident, in phimoſi externae praeputii faciei, ſupremo eius limbo, aut ſummo balani apici; in paraphimoſi nudae glandi, ipſius elatiori margini, vel praeputii freno, illiusve rugis. In feminis autem ex tumidis vulvae labiis, nymphis, clitoride eiusque praeputio, et carunculis myrtiformibus prodeunt.

Ab-

Abſumit eas aqua calcis vivae, cui pauxillum ſpiritus vini camphorati ac tinctura myrrhae vel croci eſt adjectum, ſi penicillo veſiculis illinitur per intervalla, aut in linteolo ſuperimponitur.

§. 687.

Ab ulceribus profundioribus aeque ac tumoribus praeputii, glandis atque vulvae calli interdum duri ac renitentes remanent, qui, ſi conglobati et quaſi nodos formant, φύματα ſive tubercula, ſi vero inſtar funiculi in longum producuntur, *chordae* appellari ſolent.

Singula plerumque indolentia ſunt. Si nimis dura ſunt et magna, phimoſin et paraphimoſin habitualem creant. Ex venereo aeſtu carcinomatoden naturam induunt, et nunc quoque aucta in dies mole valde dolent ac mutata figura in faſtigiatum apicem extuberant, cute tenſa atque ſplendida obtecta.

Non aliis medicamentis haec mala remouentur, quam quae ſupra ad tumorem teſtium venereum fuerunt praeſcripta (§. 680.). Si in carcinoma jam abierunt, exſcindi debent, et ſola quidem, ſi ab omni nexu libera; ſi vero corpora cavernoſa contigua in conſortium duxerunt, et haec ſimul amputari, quantum morbo affecta ſunt. Si ad radicem colis usque extenduntur, de ſalute conclamatum eſt, quum radicitus exſtirpari nequeant.

In iſtis malis cicutae vires adhuc experiri licet, ſi in carcinoma inclinare videantur.

§. 688.

In obſcoenis utriusque ſexus naſcuntur etiam *verrucae* ab impuro coitu aeque, ac a praegreſſis maleque curatis ceteris adfectionibus venereis: quae quidem ob diverſam figuram ac ſitum, diverſis nominibus a quibusdam appellantur, *verrucarum*, ſi excreſcentias exiles aut planas repraeſentant; *porrorum*, ſi teretes et oblongae; *condylomatum*, ſi rotundae et magis adhuc complanatae ſunt, quam verrucae; denique *criſtarum*, ſi criſtis gallorum quadantenus ſimiles et laciniatae.

Singulae iſtae excreſcentiae vel dolent, vel non dolent, ſimulque vel durae ſunt, vel molles, humidae vel ſiccae. Saepenumero etiam finduntur, et nonnihil ſanguinis fundunt. Quaedam ſponte exareſcunt atque decidunt, deinceps vero e radicibus repullulant.

Noſcendum vero eſt, etiam citra tabum venereum iſtiusmodi excreſcentias in obſcoenis enaſci conſueviſſe.

Ubi ex concubitu impuro ortae, levioribus inunctionibus mercurialibus utendum eſt: ubi a ſeminio jam dudum in ſanguinem dilato, internis antiſyphiliticis. Complanatae tolluntur aqua phagedaenica, aut pulvere ex alumine uſto et ſabina inſperſo, aut illito oleo philoſophorum, aut denique unguento populeo, cui unum vel alterum granum mercurii praecipitati rubri eſt admixtum. Niſi vero vitium, quod in humidis eſt, idoneis medicamentis elidatur, facile revertere ſolent.

Ad tollendas verrucas, quae ex venereo morbo non

non enatae, cathaeretica dicta ſola ſufficiunt; verum tamen et hae aliquando revertuntur.

§. 689.

Similes excreſcentiae etiam juxta anum ac in perinaeo, tam in morbo venereo, quam extra illum, ſubinde enaſcuntur, quarum minores *Thymos*, majores *Mariſcos* vulgo appellare ſolent. Singularum figura globoſa eſt, interdumque tenui pedunculo cuti adhaereſcunt. Sunt etiam modo molles vel durae, aſperae aut leves, dolentes vel inſenſiles.

Praeterea in fundo ſulcorum, anum radiatim ambientium, *Rhagades* ſeu *fiſſurae* aliquando etiam oriuntur, ejusdem indolis ac priores, quaeque inſignem dolorem ſub excretione alvi inferunt.

Harum omnium vero curandi ratio a priori (§. 688.) non differt.

§. 690.

Hactenus de morbis venereis topicis praeceptum eſt, qui ſunt velut prima incipientis luis rudimenta. Nunc de ipſa lue confirmata dicam, qua ſingula fere corporis loca inficiuntur, genitalia morbis ſupra recenſitis (§. 674. ad 689.), cutis ſcabie, impetigine, tuberculis, herpete, os internum atque oſſa tam hujus loci, quam aliorum, inflammatione ac ulceribus, non minus, quam tumoribus, et nonnunquam etiam mollitie praeternaturali *), glandulae tumoribus, ungues et pili **) corruptione, quae defluxum infert, oculi amblyopia, coecitate, inflammatione et exulceratione, aures ichoris effluxu: porro ipſae corporis functiones multiplici vitio adficiuntur, ut

ut fiat vertigo, cephalaea, asthma, haemoptysis, anorexia, alvi profluvium etc.; denique totum corpus languet et marcescit cum livore et pallore vultus. Quamquam nec omnia ista mala in uno homine adparent, sed singulos modo plura, modo pauciora sub diverso consortio adfligunt. ***) Enimvero, quum et ab aliis humorum vitiis haec cuncta producantur; circumspiciendum probe est, ne a venereo tabo semper ista derivemus.

Hinc ipsa gravitas morbi, quam in se multo leviorem quidem hodie sibi Medici fingunt, quam ab ingressu suo adparuit, ****) non in omnibus eadem esse solet, sed diversa admodum, tam pro symptomatum numero eorumque gradu, quam pro ipsius morbi novitate vel diuturnitate, aegrotantium aetate, sexu, partiumque affectarum habitu ac constitutione. Ea tamen species gravissima, et plerumque insanabilis ac letifera est, ubi pars corporis nobilior et ad vitam necessaria gravi vitio adfecta, aut quaevis ignobilior immedicabili labe corrupta, aut pestiferum aliud vitium, velut scrofulosum ac scorbuticum, cum venereo conjunctum est. Multoque difficilius etiam haec syphilis curatur, in qua dolores venerei, arthritis venerea habitualis, ossiumque ulcera et tumores adsunt, quam si ista deficiunt.

*) Osteosarcosin dicunt hoc malum, quod quidem rarissime omnium incidit, et notatum est ab *Holler.* *Obs.* 7. *Welsch. Obs.* 82. in *Act. Hafn. T. III.* 24. et *Petit* Tr. *des malad. des Os. T. II. c.* 17.

**) vid. *Jo. Bona Histor. aliquot curationum ope mercur. sublim. corr. perfectarum, Obs.* 7.

***) Elegantem totius morbi historiam inter primos tradidit *Hier. Fracastorius L. II. de morb. contag.* *Cap.*

Cap. XI. et *Carmine de ſyphilide ſive morbo gallico, Opp. T. I.* p. 615. ſq.

****) vid. *Jo. Aſtruc de morb. vener.* p. 12. qui cum multis aliis adeo ſperat, totam luem tandem prorſus finitum iri: de quo vero potius deſperandum.

§. 691.

Ad ſanandam luem veneream unum ex his tribus, lignum guajacum, mercurius vivus, et quaedam ejus praeparata, dulcis et corroſivus dictus, legitime uſurpata, ſufficiunt, ceu multiplici experientia compertum eſt: ut adeo qualibuscunque arcanis vel hodienum per omnes Europae provincias divendi ſolitis, et qualicunque alio hydrargyri praeparato, praeter illa paullo ante memorata, et aegri et medentes carere commode queant. Inter potiora vero antiſyphilitica merito adhuc Camphora ac Lobelia referenda ſunt.

§. 692.

Lignum guajacum uſurpatur in decocto ſic, ut quotidie mane per tres quatuorque hebdomades et ultra uncia ejus dimidia ad integram in aquae fontanae libra una ad duas coquatur, donec quarta pars conſumta ſit. Hocce decoctum colatum aeger calide bibit vel in lecto vel ſaltem in hypocauſto, quod neque aer, neque frigus penetrare poſſunt; cum eo, ut tam initio, quam ſub medium, et in fine curationis cathartico blando purgetur, ac per omne illud tempus a frigore probe ſeſe muniat, nec niſi blandis cibis nutriatur.

Ligno, quod in olla ſupereſt, affunditur denuo eadem aquae quantitas et lento igne coquitur usque ad ebullitionem: quo decocto ſecundario aeger pro ordinario potu utitur.

Hisce

Hisce decoctis pessima luis symptomata, ulcera, tophi, et caries ossium sanantur *); quin et lignum in pulvere datum iisdem mederi dicitur. Inprimis vero utilissimum Guajacum est in illa lue, quacum scrofulosa aut scorbutica cachexia conjuncta est; et adversus dolores, qui ab hydrargyrosi relinquuntur, ex impura Venere olim orti.

Pari successu non raro alia decocta ex hoc ligno cum juniperino, sassafras, radice chinae, sassaparillae, antimonio crudo et hydrargyro sacculo inclusis adhibentur; **) et quod ego in usu habeo ex radice dulcamarae, saponariae, ejusdemque foliis.

*) vid. *Ulric. ab Hutten* L. *de Guajaci medicina et morbo gallico*, Mogunt. 1519. 4. cap. 26. et *Herm. Boerhaave* Praefat. ad *Aloys. Luis. Aphrodisiac.*

**) vid. *Dav. Avercrombi tuta ac efficax luis venereae, saepe absque mercurio, ac semper absque salivatione mercuriali curandae methodus.* Lond. 1684. 8. et *Neue Medicinische Bibliothec*, quae me curante prodit, vol. II. p. 78. sq.

§. 693.

Hydrargyro hactenus dupliciter medentes ad salivationem usi sunt, vel extus in linimento, vel intus: inque posteriore casu quidem usurpant mercurium dulcem a duobus granis ad viginti adscendendo paullatim sic, ut quotidie unum granum vel ad summum duo prioribus adjiciantur, deincepsque eodem ordine iterum demantur, donec sufficiens salivae fluxus excitetur; quem dein paucis granis altero vel tertio quoque die datis aliquamdiu conservant. Ipsum vero mercurium dulcem conchis vel millepedibus praeparatis admiscent, vel etiam pilularum forma exhibent. Extus autem mer-

mercurius crudus usurpatur therebinthina subactus et axungia porcina temperatus: qualis compositio sub nomine Unguenti Neapolitani latet. Hujus itaque drachma una quotidie semel vel bis articulis artuum, modo superiorum, modo inferiorum, illinitur, ad carbonarium quidem et in conclavi calido; quo ceterum per omne curationis tempus aeger continendus. Sicque exspectatur salivae fluxus aut saltem alvi; siquidem ille non semper, nec ad externum usum, nec ad internum consequitur.

Inter haec vero aeger tenuibus cibis alitur, atque potionem ex ligno sancto aut radice sassaparillae ad libram quotidie, tam calide quam frigide, adsumit. Quibus remediis per duas, tres, quatuorve hebdomades usurpatis lues cum symptomatibus suis plerumque eradicatur.

Neque semper vero necesse est, ut eo usque illinatur mercurius vivus, donec salivatio inciderit. Quodsi enim per mensem quotidie dimidia drachma unguenti tantum infricatur, haud raro morbum citra salivae fluxum finiri, observationes docent.

Interim non ignorandum est, quod curatio per hydrargyrosin interdum fallat; quum sint, qui non semel eandem perperam experti, per alia demum remedia sanationem acceperunt. Id quod tamen ipsius virtuti nihil derogat, quum permultis aliis eadem salutem attulerit exspectatam.

Neque vero omnis aeger hydrargyrosin ferre potest; sed abstinendum est ab ea, primo, ubi morbus acutus aut longus praesens est, nisi probabile sit, hunc ipsum a sordida lue fuisse suscitatum: deinde, vbi vires

ni-

nimium exhaustae; ubi ossa palati atque narium carie jam affecta; itemque in mulieribus gravidis, et quibus menstruorum fluxus instat. Adfert tamen etiam in his, quibus alias accommodata est, haud raro prava symptomata, tumorem et dolorem capitis, inflammationem oris et gingivarum, febrem acutam, haemoptysin, haemorrhagiam uteri, paralyticas affectiones, ulcera oris, conglutinationem linguae cum gingiuis aut gingivarum cum buccis: quae ergo protinus intermittere eam, et hisce malis succurrere, medentes jubent.

Tardantem salivationem incitat emeticum aut sal absinthii ad dimium scrupuli bis die per triduum datum.

Ceterum omnis excessus tam caloris, quam frigoris, sub hydrargyrosi vitandus est; siquidem ab utroque dira symptomata proficiscuntur. Oportet etiam sputantem, antequam bibat, os suum aqua eluere.

Quod camphora unguento mercuriali admixta actionem mercurii in glandulas salivales impediat, *) observationibus nostris plane non respondet; ut potius aliis causis hocce phaenomenon, si forte inciderit, quam camphorae, adscribere fas sit. Non ideo vero hanc rejiciendam, sed potius retinendam suademus, siquidem egregia omnino facultate adversus hanc diram luem instructa est.

*) vid. *Jos. Raulin Observat. de Medecine*, p. 261. seq. *Henr. Mich. Missa* Qu. med. *Ergo lui venereae hydrargyrus camphoratus.* Paris 1756. et *Recueil periodique d'observat. de Medec.* par *Vandermonde.* Mart. et April. 1756.

§. 694.

Eximia denique gratia ad juvandum inest mercurio

rio sublimato corrosivo, atroci alias veneno: quem priori seculo quidam inter arcana sua habuerunt, *) nostro vero Ill. van Swieten inprimis tali ratione adhibendum proposuit, **) vt quam tutissime et cum maxima euphoria, sine ullo molesto symptomate, uti eo liceat. Solvuntur nempe ejus grana duodecim in spiritus frumenti libris duabus; et hujus mixturae datur mane et vesperi cochlear plenum, superbibendo libram dimidiam vel integram decocti hordei cum glycirrhiza aut altheae radice. Aegroti sub hujus remedii usu non coguntur se hypocausto calido includere, sed exeuntes rebus suis vacare possunt: non enim sensibiles excretiones per cutim movet, nisi laborantes se domi in hypocausto calido contineant; urina vero plerisque copiose profluit; interdumque etiam, licet rarissime, salivatio inde excitatur. Curatio autem vel primo jam mense, vel secundo aut tertio absolvitur. Tametsi vero remedium istud etiam tum juvat, ubi frustra salivatio tentata fuit; non omnis tamen lues eidem semper obtemperat, sed aliis remediis mercurialibus aut decoctis facilius curatur: quin abstinendum prorsus ab illo est in aegris, qui tussim siccam habent, aut quibus ea cum ardore in sterno inde excitatur, itemque in his, qui haemorrhagiis sunt subjecti, et in quibus sitim ac dolores capitis torminave movet.

*) vid. *Steph. Blancardi Chirurg.* p. 430. *Rich. Wisemann Treat. of Lues venerea*, Cap. III. p. 10.

**) in duabus Epistolis ad *Joseph. Benevenuto* datis, qui eas inseruit dissertationi suae de *Febribus epidemicis in Luccensi dominio grassantibus*, Lucc. 1754. et in alia epistola ad *Hundertmarckium*, in ipsius Progr. *de Ozaena venerea* excusa, p. 20. not.



SCABIES.

§. 695.

Foedum, longum et contagiosum cutis vitium Scabies est, quod nulli aetati parcit, ex sero acri, mucoso, et haud raro simul putrido, interdumque comparate venereo vel scorbutico prognatum.

Ex dura atque rubicundiori cute pustulae oriuntur, quaedam humidiores, quaedam ficciores, quae inprimis noctu sub stragulis vehementer pruriunt. *) Ex quibusdam sanies exit, et continuata fit exulceratio, maxime in manibus atque cruribus, quae inde saepe quoque tument, aliquamdiu etiam ante pustularum eruptionem. Malum autem modo totam cutim occupat, sola facie excepta, modo singulares partes, praesertimque artus. Corpus friget ac extenuatur. Facies plerumque pallet. Adpetentia ciborum magna est.

*) Vermiculos mobiles in pustulis reperit *Dover*, *Legacy* p. 76. Hoc ipsum ab Ill. *a Linné* confirmatur, cum eo, ut alii acari in humidioribus sint, alii in siccioribus. Diss. *Exanthemata viva*, p. 7.

§. 696.

In quamplurimis scabies quidem ex toto desinit; in aliis certo anni tempore revertitur.

Subinde ea tamquam metastasis febres tam acutas, quam intermittentes subsequitur. Inque idem praesidium tempore vernali in quibusdam oritur.

In orphanotropheis, nosocomiis, et castris perpetuo fere praesto est. Deinde et capillamentariis valde familiaris est, et his, qui cum pannificiis rem habent ac in opere textorio versantur.

§. 697.

Humida scabies, quam rectius purulentam dixeris, quemadmodum siccam saniosam, faciliorem plerumque curationem, quam haec, recipit. Sed optima utrobique remedia sunt purgantia mercurialia et alterantia: inter quae maxime prosunt cortex Peruvianus atque Winteranus, lac sulphuris, essentia alexipharmaca Stahlii, elixir vitrioli Mynsichti, tinctura martis tartarisata Ludovici, elixir acidum Dippelii, et, quod ceteris valentius, oleum vitrioli ad duas guttas bis in die ex patella aquae sumtum. Si manus vel pedes tantum scabies infestat, eam optime citoque tollit herba boni Henrici recens bis die imposita, quae quasi magnetis instar omnem humorem morbosum copiose et cum maximo foetore ex sanguine extrahit: unde brevi quoque tumor harum partium evanescit.

Decocta lignorum resinosorum et radicum acriorum et tincturae alcalinae, tam vulgati usus in scabie, tantum abest, ut eam tollant, ut potius, depravando adhuc magis humores, ipsam quam diutissime servent ac foveant.

Ceterum ad hanc cito sanandam valde idoneum est linimentum, quod fit ex unguenti pomadini uncia et mercurii praecipitati albi drachma, et magnitudine aliquot pisorum vel nucis avellanae articulis cubiti, carpi, ac inter digitos alternatim semel in die infricatur. Hocque linimentum statim tuto ac feliciter adhiberi potest, ac post unam vel alteram hebdomadem opitulatur.

Quisquis autem scabie infestatur, illum ab omnibus

bus acribus, salsis, fumo induratis, et a pinguiori carne, maxime suilla, deinde quoque a caseo, butyro, leguminibus atque spiritu ardente abstinere oportet, simulque munditiei studere, minimeque subucula aut tibialibus ex lana confectis uti, utpote quae morbum aperte augere observantur.

§. 698.

Ex repulsa aut regressa scabie multi graves morbi propullulant, ulcera ac tumores glandularum, catarrhi suffocativi, tusses acres, asthmata, hydropes, phthises, insaniae, convulsiones, coecitates, febres continuae, inflammatoriae, apoplexiae.

In hoc ergo casu quandocyus materies scabiosa, quoad ejus licet, ad cutem propellenda est: id quod interdum praestat fuligo ad scrupulum saccharo admixta et quotidie bis devorata; aut betulae succus per mensem ad libram quotidie epotus, itemque pulveres ex antimonio diaphoretico et sulfure, emulsiones camphoratae, oleum animale Dippelii, vesicantia et electricus ignis; ex quibus, quidquid morbo praesenti maxime conveniat, seligendum. Ad haec imperandus est homo, ut quotidie manus ac pedes in fluviatilem aquam cum chamomillae atque meliloti floribus et sapone Veneto coctam per dimidiam horam demittat, deincepsque articulos abstersos panno ex crassiore lana vehementius fricet. Si nihil sic proficitur, per arctius commercium cum homine scabiosa lue jam infecto alteri repressa scabies reddenda est, dum communi lecto, vestibus, indusiis et laquearibus ad detergendas manus utitur; aut haec velut miasma variolosum illi inserenda. Verum nec haec auxilia effectum speratum semper exserunt.

LE-

LEPRA GRAECORUM.

§. 699.

Proximum eſt, ut de λέπρα dicam, utpote quae atrociſſima ſcabiei, *) aut impetiginis, **) aut, ſi mavis, modo hujus vel illius ſpecies habenda eſt; ſiquidem utraque in lepram omnino tranſire poteſt. Cutis in una parte vel in pluribus, earumque etiam disjunctis tantum locis vehementer prurit, dura et aſpera fit, ibidemque papillae maculas formantes rubicundas diverſae magnitudinis ab ambitu monetae argenteae minoris ad palmae latitudinem, gregatim eſſloreſcunt, quae vel cito vel tarde humorem viſcidum exſudant, ex quo cruſtae denſae atque aſperae, coloris ſubalbidi aut cinerei, vel, quod pejus, ſubnigri, formantur: quibus ſolutis aut demtis mox novae ſuccedunt, et ſanguis nonnunquam profluit. Malum in quibusdam eroſione latius procedit. Cutis in circumferentia exulceratorum locorum ac in interpoſitis ſpatiis vel integra et laevis apparet, vel aſpera eſt, et ſquamas emittit, ac utrobique pruritum excitat non mediocrem. Alias cutis aſpera et pruriens ſquamas ſaltem facit, ſicut ſquamas piſcium, quae ſeu ſcalpentibus ſeu non ſcalpentibus quotidie magna copia decidunt. Quod genus leprae ſingulare quidam ad Impetigines referunt, et Plinio mentagra dicitur.***)

Horrendum viſu et abominabile malum eſt, ſi totam ſuperficiem corporis occupavit: quandoquidem et reliqua cutis, quae cruſtis non eſt obſeſſa, in ſquamas albicantes reſolvitur et farina quaſi denſe conſperſa apparet. Tument ſimul eminentes partes corporis; et ex manibus, pedibus, ut et ex cole, ſi ſquamis ſaltem obſidentur, cuticula fere in modum chi-

chirothecae deglubi ſe patitur, idque non ſemel per intervalla. Aegri nec ſtare, nec incedere poſſunt; et quotidie magna ſquamarum quantitas in lecto colligitur. Ad haec ungues tum pedum, tum manuum ex parte etiam depravantur, ſic, ut aſperiores fiant, et abs calcarea quaſi materie ſubjecta eleventur, demumque abſcedant, novis in eorum vicem ſuccreſcentibus. Neque vero vitium in extima ſuperficie tantum ſubſiſtit; ſed et alia ſymptomata inde producuntur, velut artuum rigores, alvus nunc adſtricta nunc laxa, dolores capitis, vigiliae, ſitis, ancyloblepharon, pectoris oppreſſio, raucitas, auditus difficilis, dolores ventris, febricula, viſus hebes, tactus imminutus, cum odore admodum tetro atque nauſeoſo. Quidam paullatim contabeſcunt.

*) *Paul. Aeginet. L. IV. c. 2. Dan. Sennert. Pract. Med. L. V. P. I. Cap. XXVIII.*

**) Huc eam refert *Celſus L. V. c. 27. art. 17.* ipſiusque impetigo nihil aliud eſt, quam lepra Graecorum. Alii ſic pariter ſentiunt, ut *Williſius Pharmac. rat. P. II. Sect. III. c. 7. Hoffmann. Med. rat. T. IV. P. V. c. 5.* Ill. *Caſ. Cph. Schmidel* diſſ. *de Lepra,* Erlang. 1750.

***) *Hiſt. natur. L. XXVI. cap. I.*

§. 700.

Ultroneae cauſae ac inquilinae et obſcurae malum hocce multo frequentius ingenerant, quam evidentes praeternaturales, multoque minus non naturales. Ex praeternaturalibus autem accuſantur ſcabies ſicca, quae ſubinde praecedit lepram, itemque cruſta lactea, ſingulae praepoſtere ſanatae, nec non febres intermittentes ſuppreſſae, ulcera antiqua intempeſtive conglutinata, haemorrhoides et menſtrua

re-

retenta, haemorrhagiae narium in juvenili aetate suppressae, morbilli, lues venerea, scorbutus. Vulgo etiam creditur, quod ex contagio oriri possit.

§. 701.

Morbus haud prorsus quidem insanabilis est, curationem tamen admodum difficulter vel omnino non admittit, suamque tyrannidem per plures annos exercet. Atque in aliis quidem ex toto desinit, in aliis vero certo anni tempore revertitur.

§. 702.

Haud alia vero remedia is requirit quam scabies (§. 697.); quibus testas ovorum calcinatas, ad drachmam unam bis die sumendas, duntaxat adjiciam, aut conchas praeparatas ad dimidiam, cum mercurii dulcis granis tribus, singulo triduo exhibendas, subjuncto purgante quavis hebdomade. Praeter haec vero, quidquid extus ad abstergendam atque laevigandam cutim aptum est, simul adhiberi debet. Quapropter balnea aquae dulcis tepida, cui herbae emollientes et abstergentes incoctae, inprimis frequentanda sunt; aut ex fontibus mineralibus parata; quibuscum recte quoque internus usus aquae martialis combinatur. Post egressum e balneo totum corpus utiliter butyro insulso perungitur. Reliquias tollit aqua fontana, in cujus libra soluta est mercurii sublimati drachma et cremoris tartari uncia dimidia.

Cura mercurialis, tametsi in se haud inepta, nec perniciosa, non ubique tamen satis valet, sed perperam omnino adhibetur, aut ad tempus duntaxat juvat, nec repetita morbum ex toto sanat. Interim

cum is lui venereae supervenit, tamquam potentissimum remedium spectari debet.

Denique eadem victus ratio, quae supra (§. 697), in hac quoque necessaria est.

Si aestus remittit, si corpus detumescit, si squamae copiose decidunt, si rigidi artus flexilitatem suam naturalem recuperant, scire licet, malum ad declinationem processisse. Sudores tum etiam multi erumpunt, et urina hactenus cruda et subrubra, nunc turbida mejitur et sedimentum copiosum atque olidum dimittit, squamulis furfuraceis in medio suspensis.

IMPETIGO.

§. 703.

Impetigo, λειχὴν Graecis dicta, maculosum cutis vitium est, quod in squamulas resolvitur. Maculae ipsae plus minus rubent, et siccae et asperae sunt, atque pruriunt. Demtis squamulis mox novae succrescunt. Vitium tarde serpit, et modo singulares partes, modo plures infestat.

Ejus vero species sunt tres. Minime mala est, quae solitaria, leviterque tantum prurit ac rubet, minimasque squamulas furfuraceas scalpendo dimittit. Certis temporibus ea oritur et desinit.

Alterum genus est pejus. Nam et crassior cutis est, et durior, et magis tumet, rubet ac prurit. Ipsa quoque leviter humescit, et ex humore albido squamae fiunt albae, crassitie papyrum tenuissimum aequantes, quae tam digitis auferri possunt, quam per sudores decidunt: quibus demtis profluit sanguis

non-

nonnunquam. Haec impetigo etiam unguibus digitorum infensa est, eosdemque ex parte destruit; quemadmodum etiam in lepra fieri, supra retuli (§. 699.) Nec cuti capitis parcit, unde in quibusdam incipit. Maculae latius se paullatim diffundunt; et plures earumdem etiam confluunt.

Tertia etiamnum deterior est, quod omnem cutim obsidet, a facie aut collo fere orsa. Maculae non tam latae sunt, quam in altero genere, sed asperiores; squamulae tenuiores.

§. 704.

Causa est serosus, tenuis et acris succus, cum crassiore humore mixtus: quem prava victus ratio, cibi salsi et acres, tempestas humida et frigida, impeditum sanguinis profluvium naturale, miasma venereum, scorbutus, multaeque aliae morbosae causae in corpore latentes ingenerare valent.

§. 705.

Ad affectus autem longos omnis impetigo, quemadmodum scabies et lepra, pertinet; non aeque tamen pro discrimine suo periculosa est. Primum genus levissimum vitium est, quod omnium facillime toleratur, et pro praesidio potius est corpori, nec ullum alias incommodum eidem adfert; hinc benignum appellandum. De reliquis contra aliter judicandum est, utpote quae maligna dicenda, dum ab humore pejore orta difficillimam recipiunt curationem. Et alterum quidem ad cachexiam hydropicam lente ducit; tertium vero vel teterrimam luem veneream prodit, ejusdemque symptoma est, vel ele-

 phan-

phantiasin praesignificat; in quam protinus transit, quum maculae extuberare, dolere et exulcerari inceperint.

§. 706.

In curatione itaque ad genus impetiginis quam maxime respiciendum est; siquidem non eadem remedia ubique conveniunt, neque omnino sufficiunt.

Curatu facilis prima species vel jam sanescit, si jejuna saliva quotidie defricetur; aut certe lenioribus adurentibus brevi tollitur, quale est, quod ex unguenti pomadini uncia et mercurii praecipitati rubri granis quatuor aut albi decem paratum, bis die ad pisi magnitudinem illinitur.

Alterum genus ejusmodi remedia desiderat, qualia ad scabiem et lepram proposui (§. 697. 702.)

Tertium antisyphiliticis curatur, sin ex tabo venereo ortum; sin autem ex humore, qui demum elephantiasin progignit, protinus ea, quae huic apta, adhibenda sunt.

ELEPHANTIASIS.

§. 707.

At omnium maxime tristis ac dirus, verum tamen, quod gaudemus, in nostris regionibus valde infrequens ac ignotus pene is morbus est, quem ἐλεφαντίασιν Graeci, Lepram Arabes adpellant; isque etiam longis adnumeratur et totum corpus adficit.

Initium autem fit a crebris maculis, tertio genere impetiginis (§. 703.), quae aliquamdiu ante tem-

temporibus certis et fiunt et desinunt; aut certe a vitiliginosis quibusdam defoedationibus, aliquamdiu pariter praegressis. Posthaec sensim lenteque summa cutis, primum in facie et collo, quod plerumque fit, vel in alia parte corporis, ac deinceps in pluribus aspritudine quadam, et scabritie pruriente non solum adficitur, sed et inter maculas diversae magnitudinis, partim rubentes, partim fuscas, tubercula crebra oriuntur, orbicularis et convexae figurae, rubra aut fusca, quae sensim magis elevantur ac vehementer dolent. Exulcerantur nunc quoque, utut diversis temporibus, tum haecce tubercula, tum istae maculae, sic, ut ex illis purulentus aliquis humor, idemque summe foetidus, ex his autem magis sanies exeat. Exulceratio utrobique quam lentissime procedit, humorque putidus super tuberculis in crustas duras atque densas abit, super maculis vero in squamas; idemque sub crustis, antequam decidunt, diu haeret, ipsasque sibi subjectas partes erodit. Inter haec autem os, surae, pedes manusque intumescunt, et corpus lente emacrescit. Accedunt malarum rubor, aspritudo et exulceratio earundem scabiosa, somnus turbulentus, vigiliae, anorexia; et, ubi jam vetus morbus est, atque unum vel alterum, imo plures annos duravit, oppressio pectoris, dolores graves in artubus, stupor atque rigor crurum, alvi profluvium, tandemque febris, quae facile tot malis obrutum hominem consumit ac interimit.

Atque sic descriptum morbum egomet ipse bis in mare et femina observavi; nec volui quidem istum majore symptomatum numero, tum ab antiquis Medicis, *) tum a recentioribus nonnullis **) memoriae mandatorum, in meis vero aegris haud obviorum, augere; veluti sunt praemagnae in fronte rugae,

gae, inexplebilis coeundi libido, ſpiritus foetidus, frigus corporis, raucitas, adſtricta alvus, glabrities menti, pubis et ſuperciliorum, calvitium, fiſſurae altae ac frequentes cutis, lingua grandinoſis varis exaſperata, ozaena, oſſium caries, diverſorum membrorum caſus: utpote quae vel in ceteris tantum regionibus, praeterquam Europaeis, incidere conſueverunt, vel et in illis aliquando deficiunt, ut naſi, verbi cauſa, genitalium, pedum, manuum, digitorumque corruptio ſphaceloſa et caſus. Quandoquidem nec in meis binis mortalibus omnia illa, quae memoraui, ſymptomata eadem ubique fuerunt, quum, quod in mare obſervavi, praemagnum pedum oedema et copioſus ſeri foetidi ex eodem effluxus, una cum ſingularibus vermibus ibidem obviis ***), in femina prorſus defuit, nec in prolixa adeo deſcriptione morbi, quam Aretaeus tradit, memoratur; haec contra vero profluvio alvi torminoſo, non minus quam ſtranguria, per aliquot hebdomades ante obitum vexata fuit.

Quapropter ad conſtituendam rite atque cognoſcendam elephantiaſin, eamque a Graecorum lepra, qua multo pejor ac funeſtior, diſcernendam, ****) nihil aliud requiritur, quam ut cutis aſpera atque pruriens non ſolum crebris maculis, ſed et tumoribus crebris, iisdemque ex rubro lividis vel atris, inſimulque duris et valde dolorificis, inque longam et tardigradam exulcerationem pronis obſeſſa ſit.

*) *Aretaeo* praeſertim *de cauſis et ſignis morbor. diuturn. L. II. c. XIII.* p. 67. edit. Boerhaav.

**) in *Miſcell. Nat. Cur. Dec. II. ann.* 2. *obſ.* 5. *Philoſoph. Tranſ. vol. L. P. II. obſ.* 7. et *Medical obſervat. and inquiries by a Society of Phyſicians in London, obſ.* 19. p. 201.

***) Hos

***) Hos accurate ac summo studio jam descriptos dedit Cel. *Jo. Andr. Murray*, amicus noster et collega conjunctissimus, Libro singulari, *de Vermibus in lepra obviis*, *juncta leprosi historia*, etc. Gotting. 1769. 8. c. f.

****) Quam male haec cum illa confundatur, etiam a doctis viris, intelligi potest ex Cl. *Steph. Weszprenii* diss. *Observat. med. n. XII.* Traj. ad Rhen. 1756.

§. 708.

Quantumvis foedus ille morbus ab interna humorum corruptela dependeat; specifica tamen causa omnino hic quaerenda est; quae vero tam facile inveniri atque explicari non potest, sed in occulta malignitate duntaxat poni debet.

Etiamsi vero putrida morbi indoles, humorumque corruptorum vis multiplicativa nulli dubio est subjecta; contagiosa tamen ipsius facultas ex consortione cum ejusmodi aegrotis, multoque magis ex concubitu, licet perquam credibilis, nec a quoquam facile in dubium vocetur, tantum tamen abest, ut observationibus veris atque fidis stabilita sit, ut per illos, quos ego vidi et cognovi, aegros ex toto potius refellatur. Nec ullum Medicum aut Chirurgum novi, qui ex conversatione cum istis, et ex ulcerum effluviis foetidis eandem labem sibi unquam contraxisset. Quapropter medentes omnem contagionis metum velim in visitationibus suis abjiciant.

An denique ex parentibus elephantiasi correptis in prolem transferatur morbus, ut vulgaris quoque fert opinio; hoc pariter tam certo nondum est probatum, ut nulla super eo dubitatio oriri queat.

§. 709.

§. 709.

Hactenus autem, nisi statim in ipso ortu et ad debilissima initia herculei morbi vis adhibeatur, nullum sane remedium est repertum, quod ipsius magnitudinem superare possit. Etenim, si tumores jam ulcerosi, sub optimorum medicamentorum diligenti etiam usu ille nihilominus increscit, et inevitabilem demum adfert interitum. Neque enim, sive evacuando per quascunque vias *) minuere velis corruptorum succorum copiam, sive corrigendo eorundem pravam indolem destruere, salutarem effectum unquam inde consequeris, etiamsi exanthemata aliquando minui atque resiccari videantur: nova enim posthaec semper iterum propullulant.

Ut tamen sciatis, o boni, quibus remediis maxime utendum sit; ex purgantium classe elleborus niger, folia sennae, jalappae ac polypodii radix, atque scammoneum seligenda sunt; ex diureticis inprimis cantharidum tinctura; ex alterantibus autem aquae martiales, viperae, sassaparilla, taraxacum, agrimonia, fumaria, saponaria, radix dulcamarae, bardanae et lapathi acuti, atque antimonium crudum in decocto, succi item dictarum stirpium, earumque extracta, cortex Winteranus et Peruvianus, aqua calcis vivae lacte temperata, vitriolique oleum.

Hydrargyrum nullam commendationem meretur, quoniam, teste experientia, nisi malum deterius reddat, uti quidem nonnulli observarunt, illud certe non tollit, nisi evidenter a venereo tabo fuerit profectum.

Extus summa cutis commodis locis mane et vesperi obtegitur recentibus foliis boni Henrici; quo, mi-

mirum dictu, quanta sanies, et quanto foetore ea ex tumoribus atque maculis crustosis eliciatur, et quam bene omnia videantur succedere, dum exanthemata sensim sub illis pura evadunt ac resiccantur, sanaque cutis sese rursus demum repraesentat.

At nihilominus malum inde proh! dolor haud finitur, sed et pristinis locis exanthemata renascuntur, et in aliis, ubi antea non percepta, pariter propullulant.

Plantaginis folia videntur etiam coercere malum, dum insignem quantitatem succorum impurorum, licet minori vi ac foetore, ut priora, ex ulceribus extrahunt, eorumque crustas duras brevi emolliunt ac resolvunt. Enimvero nec per haec curatio perfecta obtinetur, sed malum nihilominus ad interitum procedit.

Ubi folia istarum plantarum applicari nequeunt, sicut in facie; hujus ulceribus utiliter aqua quaedam phagedaenica ex aquae calcis vivae unciis duabus et turpethi mineralis drachma inter se mixtis parata bis die ope plumulae illinitur.

Ad victum autem maxime confert, quidquid refrigerat et humectat. Nec Balneum inutile est; inprimisque thermae sulfureae proficiunt.

*) Nolim quidem sanguinis missionem frequentem atque iteratam, ab *Aretaeo* inprimis tam enixe commendatam, huc referre; siquidem non experientia, sed ratio duntaxat, antiquos medicos deduxisse mihi videtur ad hoc auxilii genus. Idque de emeticis pariter valere existimo.

ACHO-

ACHORES. FAVUS. TINEA.

§. 710.

Ex veterum mente ἀχῶρεσ sunt manantia capitis ulcera, ex tumoribus in ipsius cute excitata; quae foraminulis plurimis pertusa humorem tenuem et glutinosum effundunt: qui ipse non sine foetore, pilos etiam conglutinat. Ulcuscula autem ista in diversis ac sejunctis capitis locis erumpunt, et nonnunquam etiam ad faciem proserpunt. Interdumque non ex tumoribus oriuntur, sed ex vesiculis, ut in herpete miliari, ad capillorum radices, densissimis, e quibus humor rodens emanat.

Ab his non multum differt Favus, κήριον Graecis dictus, nisi quod hic ex tuberculis pisum magnitudine non superantibus, superque cutem capitis vix eminentibus ortus, majora habet foramina, humore melleo, foetido atque glutinoso referta, qui in densiores ac aridiores crustas abit, unde sensim simul innumera granula capillitio adglutinata proveniunt: quae quidem etiam in achoribus conspiciuntur. Foramina favi interdum obsessa sunt exilibus excrescentiis, magnitudine granorum ficus, subrotundis atque flavis; σύκωσισ a Graecis id genus appellatur.

Haecque qualiacunque capitis ulcera infantibus, pueris ac juvenibus praesertim eveniunt et certis anni temporibus denuo erumpunt, donec natura pituitam copia et qualitate peccantem, quae ipsorum causa, elaborare desierit.

Velut autem achores in capite existunt, ita aliud ulcerum manantium genus in facie oritur; quod re-

recentiores quidem vulgo achorum nomine significant, sed melius tamen Crusta lactea appellatur. Cutis in mento, fronte, aliave parte rubet et per minimas pustulas exasperatur, saniem viscosam atque tenuem effundentes, ex qua crustae fiunt modo pallidae, modo flavae. Idque vitium maxime rotundum incipit, eademque ratione in orbem procedit, tardeque etiam serpit. Lactentes et bimuli eodem potissimum afficiuntur. Singula haec ulcera porro ingenti cum prurigine et scalpendi cupiditate sunt conjuncta, et duo priora etiam cum phthiriasi saepeque etiam cum scrofulis, pallore faciei atque macie.

§. 711.

Enimvero ad secundum valetudinem profecto faciunt istiusmodi excretiones, et a variis morbis infantes et pueros praemuniunt atque liberant, quin et interdum in acutis criticarum vicem sustinent. Contra vero, quum vel nimis praemature per se finiuntur, aut inconsulto reprimentibus exsiccantur, periculosos morbos post se trahunt, asthmaticos, convulsivos, tussim ferinam, rachitidem, coecitatem, et complures alios.

§. 712.

Ex vulgari quidem methodo officium medici est, per alvum exturbare, quidquid vitiosorum est humorum, pharmacis ex mercurio dulci, jalappa aut rhabarbaro iterate datis; itemque per urinae vias, propinatis tincturis antimonii. Verum nimis longa est per haec curatio, nec seminium morbosum decenter sic destruitur, sed potius a tincturis alcalinis fovetur. Quapropter alia remedia aptiora seligenda sunt; quae vero non alia, quam quae ad scabiem pertinere retuli;

inprimis vero huc quadrat pulvis cachecticus Quercetani, infantibus bis die ad quindecim grana datus, aut tinctura martis tartarisata, vel per se vel cum elixirio vitrioli Mynsichti, a guttis sedecim ad quadraginta.

Inter haec vero crustae lacteae semel quotidie, magnitudine pisi, illinitur linimentum, quod ex unguenti pomadini uncia et mercurii praecipitati albi scrupulo componitur.

Ubi metus est, ne nobiliores faciei partes, velut oculi, laedantur, aut musculi vel cranium erodantur; tum inungendus est locus semel quotidie unguento, quod fit ex olei rosati uncia, lapidis calaminaris praeparati, tutiae praeparatae singulorum drachma, myrrhae scrupulis quatuor; vel hoc liquore, qui constat ex aquae fontanae unciis quatuor, lapidis medicamentosi Crollii totidem scrupulis, et mercurii dulcis octo granis.

Denique citius sanescunt achores et favus, si capilli ex toto vel ex parte abscinduntur et φθειρίασις quouis modo prohibetur. Nutricibus simul bona diaeta, ut et ipsis infantibus, praescribenda est, illisque etiam ptisana pro potu ex radice bardanae, liquiritiae et semine foeniculi exhibenda, una cum tinctura martis tartarisata: infantes praeterea a nimia verocitate, corporisque refrigeratione arcendi sunt. Videndum quoque, an ablactatio aut mutatio nutricis aliquid conferre queat ad sanationem.

§. 713.

Ex diuturnis achoribus et favo, nec non per se et ex febre, itemque ex tabo venereo oritur Tinea; in qua crusta aridissima, pollicem interdum crassa, caput

put ex toto vel ex parte obtegit, materiem praebente ulcere, quod paulo altius in cute, quam priora, haeret, et pilos prorſus deſtruit, ipſamque cutem aliquando erodit: quae, demtis cruſtis, rubra, humida, atque glabra apparet. Cruſtarum color differt, vt modo croceus ſit, modo virideſcens, niger, griſeus aut albus. Ulcus ex parvis initiis fit, ſi per ſe oritur, et deinceps latius procedit, quandoque etiam vltra cutem capillatam. Nec ab hoc ulcere foetor et pruritus abeſt; idemque per contagium facile transfertur; et peculiari pertinacia ac malignitate a ſavo et achoribus ſe diſtinguit, ſiquidem per plures annos durat et ſine medicamentorum adminiculo haud finitur: licet interim nullam pene offenſam reliquo corpori pariat. Ceterum nulli aetati parcit, facileque etiam revertitur.

§. 714.

Expeditiſſima curatio, quae alias difficilis atque taedioſa, fit per remedia adverſus achores commendata (§. 712.), inunctis ſimul linimentis, quae paullo infra deſcribam, aut in horum vicem capiti impoſitis follis boni Henrici. Dropaces vulgo commendatos, tamquam veram carnificinam prorſus abhorremus: quibus teneri infantes et qui dentitione difficili aliove morbo laborant, alias quoque prorſus ſubjici non debent. Sufficit, oleum philoſophorum, ovorum oleo nuptum, aut balſamum ſulfuris frequenter cruſtis illinere.

Omnia topica, quae reprimunt, maximopere nociva ſunt, dum peſſimis affectibus, de quibus ſupra jam retuli (§. 711.), generandis occaſionem praebent.

At exitialia prorſus habenda ſunt arſenicum et remedia inde parata, quae ad erodendas cruſtas temere abs nonnullis adhiberi ſolent. Convulſiones enim letales

les inde concitari, tentamina plus ſimplici vice docuerunt,

Adverſus tineam ſyphiliticam non alia remedia proſunt, quam quibus virus venereum eradicari ſcripſi; extus vero litus mercuriales inprimis conveniunt.

SCROFULAE.

§. 715.

Ex humore lymphatico tum vitio, tum copia peccante, pueris vsque ad pubertatis annos haud raro glandulae colli tumefiunt: Scroſulas, Graece χοιράδες, malum appellant. Ipſi tumores quoad magnitudinem differunt, et nunc piſo, nuci avellanae, moſchatae, aut juglandi aequantur, nunc hujus magnitudinem adhuc ſuperant. Perraro unica tantum glandula tumet, ſed plerumque plures, unde inaequalitas exſiſtit, dum una prae altera eminet. Porro glandulae vel diſperſae ſunt, vel in acervum collectae: quarum illae fere mobiles, hae immobiles obſervantur. Color earundem idem eſt cum colore cutis, niſi inflammatio accedat, quae ruborem adfert; durities modo major, modo minor. Interdum et aliae glandulae vicinae, ſublinguales, parotides, tonſillae, ſimul intumeſcunt, quin et muſculi, et totus vultus.

Interdum ſcrofulae in ſcirrhos et ſtrumas degenerant, aut inflammantur, ac in ulcera non ſemper benigna abeunt.

Ubi longum malum eſt, aegri in cachexiam tandem incidunt, et febris quoque accidit per intervalla, quae ephemera, aut catarrhalis, aut inflammatoria, tandemque lenta fit.

Aliquando ſponte ſcrofulae evaneſcunt, ſine ulla

ſen-

ſenſibili evacuatione; ut tamen poſthaec redeant. Aliquando ceſſant humiditate pone aures orta, vel ichoris effluxu ex aure, ſuccedente item haemorrhagia narium, catarrho, aut alvi profluvio.

Verum promtuarium dicere illas poſſis, tum ulcerum capitis et faciei (§. 710. ſeq.), tum lippitudinis.

§. 716.

Aethiope minerali aut antimoniali per aliquot hebdomades a granis quinque usque ad drachmae medium quotidie uſurpato, aut tinctura martis tartariſata Ludovici cum elixir vitrioli Mynſichti ter de die ſumta eaedem optime reſolvuntur; utique, ſi cum iisdem medicamentis decoctum ex ligno ſancto, foliis rosmarini et glycirrhiza conjungitur.

Nimis magnis et duris recte emplaſtrum ſaponatum cum camphora et diachylon compoſitum, quibus inter ſe mixtis octava circiter pars olei petrae rubri eſt adjecta, imponitur: exulceratis autem emplaſtrum diaſulphuris Rulandi.

Ubi aures vel oculi ſimul affecti ſunt, fonticulos excitare oportet, et diu quoque alere, interdumque usque ad pubertatis annos.

PLICA.

§. 717.

Plica ſive Trichoma foedum ac turpe eſt pilorum, praeſertim in capite, vitium, quo illi in cirrhos, tricas huct ſuniculos, diverſae magnitudinis et figurae, ope humoris viſcidi morboſi tam mirifice inter ſe concreſcunt,

atque complicantur, ut omnem peccandi juxta atque extricandi conatum penitus eludant.

Hoc malum vastissimae Sarmatiae est endemium *), in aliis regionibus vix conspicuum; eodemque omnis aetatis ac sexus homines corripiuntur.

Initium aliquando sit a sudoribus capitis viscidis, porrigine aut phthiriasi, tumque unus vel alter cirrhus in syncipite aut occipite cum vicinis pilis complicatur, densamque massam format, quae aliis instar cucuphae totum caput tegit, aliis vero instar panni lati crassioris aliquot librarum pondere, aut instar unius vel plurium, funiculorum inde usque ad dorsum propendet. quin et aliquando ad calcaneum usque extenditur **).

Antequam vero se plica effert, alienam scenam per plures menses in corporibus ludit sub larva diversorum morborum, dum praeter porriginem et phthiriasin et sudores capitis jam allegatos, aliis hemicraniam aut torpores et dolores atrocissimos in cervice, dorso, scapulis et juncturis artuum arthritidem simulantes, infert, in aliis vero simul tumores et ulcera, aut scrofulas, exostoses et cariem, velut in lue gallica, excitat; permultis etiam visus hebescit aut prorsus perit, itemque ungues manum ac pedum corrumpuntur; quod symptoma cum doloribus artuum fere perpetuum; alii denique spasmis et contracturis artuum afficiuntur. Observantur etiam palpitationes cordis, deliria, et ipsa mania, nec non febres intermittentes, et acutae, epiphora, aurium tinnitus, et surditas. Quibus malis nunc derepente plerumque et unica saepius nocte inter febrem et levioris frigoris aut venti sensum in vertice complicatio pilorum, cum perfecta saepe dolorum aliorumque praegressorum affectuum cessatione succedit ***). Pica etiam

etiam nonnulli ante eruptionem, ut et in ſtatu morbi laborant. Feminae autem inordinatum fluxum menſtruorum a latente plica adhuc experiuntur, ſpeciatimque etiam ſub ſterno dolorem lancinantem percipiunt.

*) vid. *Erndti Warſav.* p. 153. Hinc Cl. *Landeutte* valde errat, ſi Ruſſiam et Tartariam excipit, in *Iourn. de Medec.* par *Vandermonde, M. Oct.* 1761. *p.* 332.

**) Ejusmodi enormis plica deſcripta eſt in *Phil. Tranſ. N.* 417. *Vol.* 37. Figura vid. in *Commerc. Nor.* 1733. *Tab. IV. fig.* 4. Alia in *M. N. C. Cent. X. obſ.* 81. et *Dec. II. ann.* 2. *obſ.* 1.

***) vid. *Miſc. Nat. Cur. Dec. I. an.* 6. et 7. *obſ.* 138. p. 197. *Erndtelii Warſav.* p. 160. *Primit. phyſ. medic. ab iis, qui in Polon. et extra eam medicinam faciunt, collectae, vol. I.* p. 168. ſeq. et p. 188. ſeq.

§. 718.

Cauſa plicae tam proxima, quam occaſionalis imperſcrutabilis eſt: certeque haec perperam in aquis ſalſis, bituminoſisve, aut alimentorum viſcidorum et acriorum uſu, aut ſorditie et neglecta pectinatione *) quaeritur.

Mirabile autem omnino eſt, quod in corpore deliteſcens morboſus humor, qui tanta tamque multa mala parit, per nullum aliud organon ſecretorium, niſi per cutim capillatam, ſecernatur. Quumque priſtina iſta mala ab ipſius eruptione plerumque ceſſant; ſequitur, comprobante experientia, in praeſidium corporis datam eſſe plicam, tamquam ſingularem excretionem criticam; ipſiusque adeo reſectionem ſumme eſſe exitialem, niſi velis, ut priſtini affectus ocyus vel ſerius recrudeſcant, aut ſimul

alii novi ſubſequantur. De ſpontaneo caſu, qui etiam interdum, licet raro, accidit, aliter ſentiendum eſt **).

*) Poteſt quidem ab hac cauſſa omnino Plica oriri ſed haec *ſpuria* dicenda eſt. Vidi talem in homine plus ſimplici vice ortam, qui capillamentis uſus vix ter in anno capillos pectine explicare ſolebat. Is vero nullo ſympromate plicam in textu deſcriptam comitante unquam afflictus fuit, nec a reſectione unquam noxam tulit. Nullo fere etiam humore viſcoſo erant pili concreti. Exemplar hujusmodi plicae, quod longitudinem aliquot pollicum habet, apud me ſervatur.

**) vid. caſum in *Act. Nat. Cur. Vol. III. obſ.* 102. ſed cf. *Dec. II. ann.* 10. *obſ.* 19. et *Act. Vratisl. Tent. XIV.* p. 403.

§. 719.

Malum ceterum perenne eſt, quod plurimi citra noxam, quoad vivunt, circumferunt, et hereditarium, et contagioſum. Exteri vero, etiamſi per plures annos alicubi in Sarmatia commorati, eodem prorſus non afficiuntur, niſi cum muliere plicata, aut haec cum plicato mare rem habeant, aut per communem uſum ſtragulorum aut veſtimentorum, ſudore plicati conſpurcatorum, inquientur.

Abſciſſe aut decidua plica interdum ſponte renaſcitur.

§. 720.

Ars nullum remedium novit, quo miaſma Plicae radicitus exſtirpari queat. Compeſcere vero malum, non impoſſibile eſt.

Vera autem medela in eo verſatur, ut ſecretio et

et excretio miasmatis promoveatur et servetur, sique turbata fuerit, restituatur.

Quoad itaque Plica adhuc latet, organum secretionis, caput scilicet et pilos, ad expellendam materiem noxiam per abstergentia et emollientia oportet adaptare; inter quae unicum fere idoneum est Lycopodium, cujus decoctum ex aqua vel cerevisia paratem capiti bis terve de die calide, mediantibus linteis hoc ipso imbutis, applicatur: quo fotu dolores et spasmi sopiuntur, cutis rigida et arida emollitur, porique obstructi ac constricti reseranrur,

Corrupti autem per Plicam in corpore humores corrigi et ad excretionem criticam ulterius promoveri debent diaphoreticis, junctis salibus succini aut viperarum: in quorum usu per aliquot hebdomades ac menses pergendum, usque dum mitigata fuerint symptomata. In graviore casu, ubi, ob turbatum excretionis negotium, asthmata, suffocationes, dolores colici, diarrhoeae, vomitiones apparent, ad valentiora descendendum, theriacalia, scordiata, absorbentia diaphoretica, tincturam metallorum, decoctum sarsaparillae, pulverem contra strumas Augustanorum, et radicis serpentariae Virginianae.

De purgantibus valentioribus, emeticis, salivatoriis, nitrosis copiose datis et venae sectione observatum est, quod morbum valde exasperent.

Quodsi Plicae exitus retardatur, vesicatoria in nucham conjecta locum habent.

Camphorata remedia, bezoarticis juncta, retrogressam praecipue Plicam optime expellunt.



CANCER.

§. 721.

Cancer, καρκίνωμα καρκίνος pessimum tumoris vel et ulceris genus est, quod non modo aegrum diu atque miserabiliter adfligit, sed et Medicum ac Chirurgum maximopere exercet, dum omnium paene remediorum vim pertinaciter eludit.

Id vitium maxime fit in superioribus partibus circa faciem *), nares, aures, labra, mammasque mulierum; deinde quoque in lingua, faucibus, sub axillis et in inguinibus: ibidemque unum aut plura tubercula dura, variae magnitudinis, oriuntur, quae quam diu nullum dolorem et calorem praeternaturalem habent, vel torporem adeo inferunt, *Scirrhi* appellantur; simulac vero pruritum excitare et deinceps quoque dolere, cum sensu lancinante, urente ac pungente, idque per intervalla duntaxat, incipiunt, et colorem suum nativum in rubellum, rubrum, purpureum, coeruleum, lividum, atrumve mutant et simul ampliora fiunt, *Cancri* nomen generatim accipiunt; qui, quamdiu integumenta adhuc integra habet, *occultus* cognominatur; ubi vero ista rumpuntur et ulcus omnia erodens ac depascens saniosum atque putridum, foetore cadaveroso et retortis tumidisque labiis, accedit, cancer *apertus* vocatur. Utrobique inflatae venae intercurrentes conspiciuntur, quae vel pallent aut livent, nonnunquam etiam in quibusdam delitescunt. Verum tarde admodum fieri scirrhi transitum in cancrum, noscendum: itemque assiduos fere ac saevissimos dolores a carcinomatae aperto generari.

Scire etiam oportet, hepar, pancreas, splenem, uterum muliebrem, ventriculum ac intestina cancro similiter adfici; cujus notae vero, si ab uterino quidem

dis-

discesseris, non ita manifestae sunt, ut partium externarum, de quibus proprie hoc loco praecipitur.

*) Observatione hic maxime dignum censeo, a multis Medicis ac Chirurgis, multoque magis ab ipsis aegris atque vulgo quaeuis ulcera serpentia ac depascentia circa hanc partem persaepe pro cancrosis haberi atque venditari, quum tamen vel φαγεδαίναι tantum sint, vel νόμαι: singula quidem aegre quoque sanabilia, at nequaquam tam immorigera ac exitiosa, neque tam dolorifica atque putrida, quam cancrosa. Si quis vero in diagnosi hic erraverit, nae alium mox novum errorem patraturus est, ut scilicet, curatione feliciter peracta, cancrum se curasse putet, neminique non persuadeat, remediaque sua adhibita, v. c. Phytolaccam, Carduumve tomentosum tamquam specifica probata contra cancrum in coelum usque perperam attollat.

§. 722.

Quatenus cancer ex scirrho nascitur, omnis causa, quae hunc facit, considerari potest ut illius causa remota: sed eadem haec causa dum agere pergit, potest scirrhum augere, adeoque et in cancrum convertere.

Scirrhi vero non solum fiunt a retentis menstruis haemorrhoidibus et quacunque alia haemorrhagia, verum etiam, si ante adfuerint, brevi in cancrum mutari possunt. Inprimis vero a supressis menstruis irritantur in mammis et circa uterum.

Porro a materie atrabilaria et scirrhi fiunt et augentur, et ad cancri malignitatem disponuntur, itemque a tristitia, terrore et ira.

Praeterea scirrhum maxime in carcinoma con-

vertunt spontanea et morbosa materiae ipsius scirrhi corruptio, et irritatio quaelibet externc, quae fit vehementi corporis exercitatione, pressione, attritu, frictione, emollientibus, suppurantibus, exedentibusque ipsi applicatis.

Inter quadragesimum quintum et quinquagesimum aetatis annum mulieres maxime cancro laborant; frequentissimeque moniales eodem corripiuntur.

In vetustis scirrhis, praesertim in mammarum cancro, glandulae subaxillares tantum non semper in consortium trahuntur, in cum duritie intumescant et in cancrum occultum degenerent.

In sterilibus feminis saepe circa uterum generantur scirrhi, qui tempore malignitatem contrahentes in cancrum transeunt.

§. 723.

Non solum vero cancer ex scirrho oritur, licet hic illum plerumque praecedat; sed et ex nudatis, erosis vel quacunque alia causa laesis papillis nerveis, tam in qualibet parte cutis, quam et praecipue in palpebris, oculis, lingua et cole. Hujus vero proprietas alia est, quam cancri ex tuberculis scirrhosis. Repraesentat enim ille tumorem fungosum, ad tactum saepe mollem, qui in magnam molem increscit, et tam ob manantem ichorem acrem atque foetidum, quam ob ingentem dolorem et rebellem ad quaevis remedia indolem veri carcinomatis naturam atque indolem ostendit. Talem cancrum a priori (§. 721.) merito distinguemus, et cum Ill. *van Swieten* fungosum appellabimus *).

§. 724.

*) *Comment. in Boerhav. aphorism.* §. 496.

§. 724.

Scirrhus metum faciens occulti cancri, modo quiescat, nullisque remediis (§. 722.) vel contentione animi aliove modo irritetur, potest per plures annos in corporibus euchymis sine ruptura aut ulla gravi noxa tolerari.

Omnis autem cancer manifestus h. e. exulceratus aegrum lente opprimit et consumit, inter saevissimos cruciatus, hecticamque febrem; eundemque primo, secundo, tertio aut quarto demum anno vita sua privat, summo cum taedio et animi luctu hucusque transacta, antegressis saepe convulsionibus, spasmis, deliquiis animi, et nonnunquam etiam sanguinis profluviis ex ipso ulcere *); quae et, nimiopere et fundendo vitalem laticem, subitae interdum mortis causam adferunt. Ubi vero ad summum ventum est, acerrima sanies et in profundum se demergit et vicinas partes indurat, deinque etiam erodit; id quod et linteis applicatis contingere solet.

*) Excipienda hic est illa haemorrhagia, quae in mulieribus, quibus menstrua suppressa, ex papilla cancrosae mammae singulis mensibus forte contingit, quaeque nec immoderata, nec pernitiosa est, sed quam maxime potius salutaris, dum ad bonam curationem cancri permultum confert.

§. 725.

Enimvero perdifficilis non solum est carcinomatis tam occulti, quam multo magis exulcerati curatio; sed et perpauca sunt adhuc reperta medicamenta, quae dirissimum malum superent; idque adeo non nisi lente admodum, nec in omni quidem aegro.

Iam

Iam vellem quidem, ut Cicutam ex periculis meis dilaudare hoc loco possem, nisi Medicos tam saepe, ut me ipsum jam destituisset, quin et lugubres effectus in corporibus nonnullis edidisset!

Praestantior visa est Belladonna, et potentior in scirrhorum, tectorum inprimis, curatione, quos non valde longo tempore vel resolvere, vel emollire et in benignum ulcus mutare perhibetur, si folia ejus in pulvere ad duo, quatuor, sex usque viginti grana semel aut bis in hebdomade exhibentur, interpositis pilulis balsamicis Beccheri vel alia purgante medicina *). At quum haec planta juxta egregiam illam virtutem resolventem non mediocrem virulentam qualitatem possidet, circumspiciendum est quam prudentissime in ipsius usu, ut ne nimia dosi noceat, qua sopores, deliria, amentiam, et coecitatem excitare valet.

Exoptatam praeterea virtutem subinde exserit aqua calcis vivae ac sex vel octo uncias mane et vesperi cum totidem unciis decocti radicis sarsaparillae vel ligni guajaci, aliorumque depurantium sanguinem lignorum et radicum, si placet, per aliquot menses exhibita, decocto secundario specierum pro potu ordinario simul usurpato, singuloque quatriduo vel octiduo assumtis pilulis balsamicis Beccherianis **).

Huic curationi suppar est, quae fit ope mercurii sublimati, cujus quatuor grana in spiritus frumenti unciis octo et quadraginta solvuntur, exhibito deinceps liquore mane et vesperi ad unciam unam, et superingesto decocto ex radicis sarsaparillae unciis quatuor, altheae una, ligni sassafras drachma, ad pondus sex unciarum, observato simul regimine calidiore quo sudores in corpore moveantur. Verum et haec curatio longa est ***).

Plura

Plura his addere remedia pro interno usu nec lubet, nec operae pretium videtur. Quem enim cancrum haec non curant, alia certe haud curatura sunt. Transeo igitur ad externa, quae in priorum consortio adhiberi oportet, quaeque curam non parum adjuvant. Sed et in his delectum observabimus.

*) Alium utendi modum in decocto ac infuso post *Iunckerum* adhibuit Cel. *Tiber. Lambergen* et descripsit in *Orat.* sistente *Ephemeridem persanati carcinomatis*, Groning. 1754. quem legesis in nostra *Mater. med.* p. 58. 59. cf. Cel. *Theod. Gerh. Timmermanni* Progr. *Periculum medicum Belladonnae.* Rintel. 1765.

**) Vid. *Christi. Peter Historiam rariorem mammae cancrosae, sanguinem menstruum fundentis, methodo simpliciore sanatae*, sub praesid. Ill. *G. Fr. Sigwart*, Tubing. 1763. et *G. M. H. Baumbach* diss. *de curatione cancri occulti et aperti per aquam calcis vivae potam praestita*, sub nostro praesidio habitam, Gotting. 1769.

***) vid. Perill. *von Swieten* epistolas ad *Ios. Benevenutum*, jam alibi citatas; et *Achat. Gaertneri* diss. sub *P. F. Gmelini* praesidio habitam *de specifica methodo recentiore Cancrum sanandi*, Tubing. 1757.

§. 726.

Sunt autem extus ejusmodi remedia adhibenda, quae transitum scirrhi in cancrum prohibeant, huncque, si se jam manifestavit, at tectus adhuc est, demulceant ac leniant, ejusque ulteriorem malignitatem impediant.

Omnis ergo irritatio externa vitanda est, adeoque quam maxime cavendum ab attritu et adstrictione affectae partis. Deinde neque scirrhus, neque cancer occul-

occultus emollientibus aut ſuppurentibus tractandus eſt, utpote quae illum breui in cancrum tectum, hunc in ulcus convertunt. Ad attritum autem avertendum optime inſervit molliſſima aluta, qua tumor tegitur, aut pellis talpae vel leporis. Lenimentum denique praeſtat emplaſtrum ſaturninum, cui narcotici quidquam admixtum eſt, quale eſt diapompholigos officinarum.

Exulceratus autem cancer ejusmodi topica deſiderat, quae peſſimae putredini reſiſtunt, acerrimum ichorem leniunt, ſuppurationem bonam et conſtantem efficiunt, et dolores, quoad fieri poteſt, conſopiunt.

Remedia autem, quae id prae ceteris praeſtant, ſunt haec: Vnguentum nutritum, ſolutio myrrhae in aqua calcis vivae, plumaceolis excepta, ſuperimpoſito emplaſtro diapompholygos; porro aqua calcis vivae ſola, aut acetum lithargyrii in fotu; item decoctum foliorum belladonnae aut ſolani, vel ipſius ſuccus, radices ſtaphilini vel raparum raſae. Nec quae ad Cl. *Sanchez* autorem pertinent, epithemata ex aquae roſarum et ſambuci, ſingularum libra dimidia, aceti ſambuci uncia dimidia, ſpiritus matricalis drachma una, vitrioli de Cypro granis quinque, et ſalis ammoniaci drachma dimidia parata, ac linimentum, quod ex aceti lithargyrii uncia, ſucci ſempervivi majoris recens expreſſi tantundem, ſacchari Saturni ſcrupulo dimidio, et unguenti nutriti ſesquiuncia componitur, ob egregias facultates, quas ipſi autori jam monſtrarunt, ſub connubio quidem interno mercurii ſublimati, commendatione ac encomio indigna ſunt *). Quibus forte adhuc adjiciendum remedium ex vitro antimonii puriſſimo paratum, et tam a *Baſilio Valentino*, quam ipſius commentatore *Theodoro Kerkringio* de-

descriptum **): quod dignum omnino videtur, ut ne prorsus tradatur medentium oblivioni.

Nisi vero sub istorum remediorum tam internorum (§. 725.), quam externorum usu adsiduo intra spatium semestre ad summum curationem admittat cancer sive tectus, sive exulceratus; sed in eadem malignitate perseveret vel et adeo increscat, et vicina loca inficiat, aut profundius dimittat malignas radices: tunc quantocius exstirpare istum oportet; verum non aliter, quam si solus est in corpore sano, et liber, et non nimis magnus. Sin adhuc recens, et ab externa causa ortus, tanto feliciori cum eventu amputari potest. Alias metus est, ne excisus post inductam cicatricem aut revertatur, aut in alia corporis parte forsan periculosiore, sive externa, sive interna, imo et hac repurgata, in tertia quartave acrius resurgat, causamque mortis adferat.

Cancer fungosus (§. 723.) nullam fere curationem per remedia admittit, sed ferro exscindendus est. Inter remedia vero maxime a rodentibus abstinendum est, utpote quae perniciose irritant ipsum, ac in maligniorem statum redigunt.

Aeger per totum morbum, qualiscunque ille fuerit, mollissimis cibis ac tenuissimo potu uti debet; omnes vehementes corporis exercitationes aeque atque animi commotiones, praesertimque tristitiam, vitare; natas prudenter compescere.

Nec facta exstirpatione commode jam satis valens istiusmodi praecepta negligere debet, nec remedia fugere, quae laudabilem succum sanguinemque vitalem aut conservare, aut denuo ingenerare

valent, ſed diu admodum medice vivere, ne ſcilicet poſt aliquot menſes aut annos renaſcatur malum, omni deinceps arte valentius, certeque letiferum. Quod durum atque triſte fatum, omnibus his licet prudenter obſervatis, nihilominus pauci eheu! effugiunt. ***)

*) Primum deſcripta haec exſtant in Cl. *Gaertneri* diſſ. allegata.

**) Vid. hujus *Anmerkungen über Baſil. Valent. Triumphwagen des Antimonii*, p. 136 ſeq.

***) Cujusmodi caſus permultos ex autoribus indicavit, et de ſuis etiam tres luctuoſos addidit Ill. *D. W. Trillerus* in elegantiſſima diſſ. *de nociva cancri inveterati exſtirpatione, novis exemplis demonſtrata*, Vol. I. *Opuſculor. medicor. ac medic. philolog.* p. 46 ſeq.

DE VERMIBVS.

§. 727.

Vermes corporis humani innumerarum aegritudinum autores exſiſtunt. Neque in inteſtinis ſolum nidulantur, ſed et in aliis tam externis, quam internis partibus aliquando reperiuntur, ut in cerebro, ſinu longitudinali durae matris, ſinu frontali, pulmone, pericardio, corde, hepate, ſplene, renibus, veſica urinaria et fellea, ductu choledocho, utero. In oſſium equidem medulla etiam exuviae vermium a *Ruyſchio* ſunt repertae *); magis vero credibile eſt, vermiculos iſtos per foraminula oſſium praeparandorum ſibi viam feciſſe.

Porro vero in humoribus, ſaliva, ſanguine, urina et in dyſentericorum excretis interdum reperiuntur.

Quoad

Quoad externas partes autem obveniunt aliquando in naribus, auribus, dentibus, mammillis, palpebris; deinde quoque in vulneribus, ulceribus, tumoribus, omnibusque fere pustulis cutaneis, praesertim purulentis.

Unde Pathologiae illius animatae, maximam quidem partem erroneae, non prorsus tamen e foro medico exterminandae, origo intelligitur.

In aëre et aquis regionum extra Europam sitarum hospitantur quaedam vermiculorum genera, corporibus humanis nimiopere infensa; de quibus, data hac occasione, breviter saltem dicendum. Atque inter haec jam dudum nomine quidem cognitus est *Dracunculus*, quem et *Gordium*, *Venam Medinensem* et *Culebrillam* vocant, vermiculus aquaticus acuto capite et corpore filiformi, ab *Avicenna* primum descriptus, Africae, Athiopiae atque Indiae incolis infestus, quorum cruribus sese inter lavandum clanculum insinuat, subter cutim prorepit et membranas musculorum depascendo sensim mole ac longitudine increscit, moxque rodendo cutim inflammationem cum tumore excitat, eodemque in suppurationem deducto caput exserit, duos saepe, aut tres, quin plures pedes longus. (Vid. inprimis *Engelb. Kaempferi Amoenit. exotic.* p. 544 seq.) Aliud insectum, *Chegis* dictum, Teredinis species, Iamaicenses torquet, dum se pariter, ut Gordius, inter cutim pedum subducendo maximos ibi dolores excitat, digitos arrodit, ac per totum pedem, quin et universum corpus paullatim divagatur (V. *Oldenburgii Act. Anglican.* 1668. *M. Nov.*) In Guinea similis Teredo invenitur, ex relatione amici ad Cel. van *Doeveren* diss. *de Vermibus* p. 6. Aliud praeterea animalculum in America existit, pulici perquam simile, sed multo exilius, ut nudis oculis conspici vix queat: quod cutim hominum subter unguibus inprimis tam manuum, quam pedum, inopinato pariter perforat, ibidemque pruritum, inflammationem, dolorem, febrem, saepeque etiam gan-

graenam excitat; *Pique*, *Nique* et *Tunga* appellant, quod autopta *I. Iac. Baierus* describit *Act. Nat. Cur. Vol. III. obs.* 5. Denique et *Furia* memoranda est, animalculum filiforme, aequale, utrinque ciliatum, aculeis reflexis corpori appressis, quod in Sueciae Septentrionalis et Bothniae et Belgii vastis paludibus cespitosis obvium, aera petit inde a solstitio aestivo usque ad hiemale, atque nunc in patellas hominum, inque ipsos illos aeque ac animalia decidens, singulorum corpora momento citius penetrat, immissumque summos dolores creat. quin et quandoque inter horae quadrantem vel maxima animantia occidit. In cute, quam perfodit, punctum fuscum relinquitur. vid. Perill. *a Linné Amoenit. acad. III.* p. 322. Belgae *den Viver* vocant.

*) *Adversar. Dec. I. tab.* 1. cf. *B. S. Albini academ. annotat. L. II. c.* 4. p. 20.

§. 728.

Simulacra vermium in fronte et circa nasi radicem, ut et in cute, praesertim dorsi atrophicorum infantum occurrunt, quorum hi pro vermiculis veris superiori adhuc seculo a Medicis, ac etiamnum a vulgo habiti *Crinones* atque *Comedones* appellari solent. Priori loco complures folliculi cutanei positi sunt, osculo extus instructi, mucoque glutinoso repleti, cujus pars ostiolum implens, aëreque nigrescens vermiculum mentitur exilem, quum presso inter digitos folliculo extorquetur, nigricante punctulo hinc in apice ornata, quod pro vermiculi capitulo imponit. Sicque etiam cum Crinonibus se res habet, quippe qui nihil aliud sunt, quam inspissatus atque glutinosus humor excrementitius, in sebaceis cutis glandulis congestus, atque accedente lotione et fricatione expressus.

§. 729.

§. 729.

At nullibi frequentius quam in intestinis reperiuntur vermes: paucissimique sunt homines, qui non unum alterumve horum, et nonnunquam etiam plura eorundem genera simul, illinc alant, quamvis pueris ac infantibus saltem secundum ordinem adscribantur. Atque horum quidem tria tantum genera in Medicorum libris recensentur, Ascarides, Lumbrici teretes, atque Taeniae; verum duo alia, Fasciola et Trichuris, iisdem adhuc merito addenda sunt. De singulis specialiter dicam, orsus ab Ascaridibus.

§. 730.

Ascarides igitur, ut de his ordiar, sunt vermiculi albidi reptiles et simul saltatorii, teretes, filiformes, exiles, magnitudine digiti quasi transversi, utrinque mucronati, magis tamen in una extremitate, quam in altera, osculo et binis oculis instructi. Iidem caput habent transversa plica a corpusculo separatum: anum in medio ventre, album, annulisque distinctum: praeterea duo diversa viscera, motu peristaltico praedita, alterum rectum, rugosum alterum. *)

Equidem praemagnam similitudinem cum acaris casei illi habent, et ab his quoque vulgus eos procreari censet: ast toto coelo ab his distant, quum nullam, uti hi, metamorphosin subeant.

Neque possunt temere tanquam juniores lumbrici teretes considerari, siquidem insignis eorundem numerus istorum numero non est aequalis.

In ſtercoribus inteſtini recti praecipue, interdumque tamen etiam coli nidulantur; inque illo pruritum, teneſmum et ſanguinis fluxum excitant; et ex teneſmo aliquando dyſuriam, ſtranguriam, artuumque inferiorum motus convulſivos.

Ex alvo autem vel ſponte prorepunt, vel cum ipſo ſtercore ingenti ſaepe copia exprimuntur.

*) vid. *M. van Phelſum hiſt. phyſ. Aſcaridum*, Luvard. 1762. 8.

§. 731.

Lumbricus teres, infantes ac pueros prae ceteris vexans, et in inteſtinis tenuioribus inprimis nidulans, vermis eſt reptilis, teres, utrinque mucronatus, coloris plerumque albidi, rarius ruffi, annulis per totum corpus inſtructus, et quinque vel ſex pollices plerumque longus; ut tamen etiam ad plures pedes, quin et ulnas poſſit excreſcere. *)

Utplurimum tres ad decem eorundem adſunt, rariſſime unus duntaxat.

Non raro plures eorum invicem contorti quaſi et convoluti reperiuntur in corpore, et ſic quoque, tanquam glomus, ex alvo exeunt. Sed et ſinguli interdum ſe ſic fere intra inteſtina contorquent, quemadmodum netrices fere ſuos nodulos formare conſuerunt.

Ad lumbrici terreſtris figuram quam proxime quidem inteſtinalis ille accedit; verumtamen non ejusdem generis ac ſpeciei cum eodem eſſe videtur, ſiquidem nec aculeis ſive ſetis in ventre, nec ephippio **) verſus anteriorem partem, ut terreſtris, prae-

praeditus est; praetereaque etiam interior utriusque structura a se invicem discrepat. Taceo, quod intestinalis suos annulos neque ita contrahere, neque expandere valeat, et ad attactum quoque durior sit terrestri.

*) *Platerus* tum Ligulam intestinorum dixit, quando longitudinem Taeniae haberet. *Prax. med.* p. m. 899.

**) Nemo certe praeter Perill. Equitem *a Linné* annulum talem elevatum lumbrico tereti adscribit *Syst. Nat.* T. I. P. II. p. 1076. et *Amoenit. acad. V.* p. 134. ideoque alium vermem intestinalem, longitudine prioris, ast annulo destitutum adhuc profert nomine *Ascaridis lumbricoidis*; quem vero cum lumbrico tereti eundem esse, nec hoc signo, quod is etiam non habet, ab eodem distinctum existimamus.

§. 732.

Taenia autem, sive *Lumbricus latus* vermis est compositus, articulatus, osculoque et propriis visceribus ad singulum articulum instructus, immensae subinde longitudinis, decem, viginti, triginta et plurium ulnarum, ut nulli prorsus augmenti limites in eodem esse videantur.

Ejus autem tres species in tenuibus intestinis nostrorum corporum nidulantur.

I. Taenia acephala.

Taenia osculis lateralibus geminis; T. vulgaris L. System. Nat. p. 1323. Gen. 351. Spec. II. edit. XII. Taenia grysea Pallas, Zoophyt. p. 408. Lumbricus latus variorum autorum, Hildan. Obs. Cent. II. 70. Andry des Vers C. 3. Der Bandwurm mit kurzen Gelenken. 1.

Longiſſima eſt, membranacea, latiuſcula, ex gryſeo albicans, articulis ex oblongo quadratis, longitudine latitudinis dimidia aut minore, unius vel ſeſqui linearum. In medio ſingulorum nodus eſt, ab altero latere taeniae prominentior, ibidemque oſculo papillari inſtructus, et ante hoc poro longitudinali minutiſſimo. Caput nullum reperibile.

II. Taenia capitata.

Taenia oſculis lateralibus ſolitariis; T. lata Linn. ib. p. 1324. Pallas l. c. p. 410. Bonnet in Mem. preſ. à l'Ac. des Sc. de Par. I. p. 478. fig. Der Bandwurm mit kurzen Gelenken 2. Faſciola Pallas l. c. Longiſſima cum praecedente, membranacea, corpore albo, plano, lato, altera extremitate in longiſſimum filum terminata; articulis transverſim ſtriatis breviſſimis, protuberantia in medio praeditis, oſculis ab altero latere corporis ſolitariis, capite in extremitate fili ex quatuor papillis cavis, teſte *Bonneto*, compoſita.

Helvetorum inteſtina et variorum animalium quadrupedum obſidet.

III. Taenia Cucurbitina.

Taenia oſculis marginalibus ſolitariis, Taenia Solium Linn. Syſt. Nat. T. I. P. II. p. 1323. Taenia longa, articulis quadrangulis, oſculis marginalibus ſolitariis, Taenia cucurbitina Pallas, Zoophyt. p. 405. Vermis cucurbitinus Plater. Prax. med. p. 898. Lumbricus latus Cleric. c. 5. p. 37. ſeq. tab. 1. A. de Heyde experim. 5. p. 47. c. optima icon. Solium Andry, des Vers c. 3. f. 5. Taenia articulos dimittens Dionis diſſ. Taenia articulis longioribus Bonnet in Mem. preſ. à l'

Ac.

Ac. de Par. I. p. 511. Der Bandwurm mit langen Gelenken; der Bandwurm ohne Rückgrad.

Corpus planum, craſſiuſculum, niveum, longiſſimum, altera extremitate attenuatum, diſtincte articulatum. Articuli ad pollicis longitudinem accedentes, ſubſtriati, in poſticis marginibus imbricati, magnitudine verſus filum ſenſim decreſcente. Caput in hujusdem apice, quatuor oſculis papillaribus angulatum. Subſtantia cartilaginea, in majoribus ſegmentis diſtincta ductibus pinnato-ramoſis. Articuli ultimi ſeu longiſſimi ſponte ſeparantur a corpore, et cum ſtercoribus excreti Vermes Cucurbitini, *Amato Luſitano* autem et *Couleto* Aſcarides appellantur. Vitam aliquamdiu conſervant et globulis albidis exilibus referti ſunt: quae forſan ovula.

Locus in animalium lactiferorum et inprimis carnivororum inteſtinis, nec non in mure muſculo et campeſtri.

Germani, Belgae et Septentrionalis Europae populi maxime eodem infeſtantur.

Ceterum univerſim adhuc de Taeniis notandum eſt, quod non ſint compoſiti vermes, ſed unicum et continuum animal, quod mirifice altera extremitate ſeneſcit, dum ab altera infinite procedendo generatur; ut adeo quilibet articulus propria ſua vita, Sertulariae in modum, gaudeat, cum quisque eorum proprio oſculo et viſceribus chylopoieticis inſtructus ſit. Nec cucurbitinae Taeniae ita fabrefactae, ut quilibet articulus novum vermem repraeſentet, qui os ſuum alterius ano infigendo integrum vermium catenam efficiat, uti *Vallisnerii* opinio fuit. Falſum etiam eſt, quod alii autumant, unam duntaxat Taeniam in homine ſemper ad-

esse, nunquam duas aut tres *). Omnes denique Taeniarum species articulos suos dimittere, hosque saepe frustulatim ex alvo rejici, non ignorandum.

*) Exempla in contrarium vide apud *Dionis* diss. *sur le Taenia* Par. 749. p. 26. in *Commerc. Nor. a.* 1734. p. 371. et *Bonnet* l. c. p. 529.

§. 733.

Fasciola vermis est candidus, longus, linearis, planus instar vittae, obesiusculus, extremitatibus rotundatis, latere superiori et inferiori lineis tribus longitudinalibus exaratus, lateribus obtusis et crenulatis, ad extremitates acutioribus, poro terminali ac ventrali *).

Olim fasciola ad taenias relata, nunc merito ab iisdem sejungitur, cum minime sit in transversum divisa seu articulata. Paullo etiam crassior et obesior est quam taenia et ulla ejus species.

In hominibus rarissime quidem reperitur, in piscibus autem, et canibus multo frequentius. In torrentibus saepissime conspicitur juxta lapides, corpore ovato, vix superante magnitudinem seminis Melonis. In animantium intestinali tubo in longe majorem magnitudinem excrescit, ad modum taeniarum.

*) Libuit descriptione hic uti Perill. *a Linné* in *Amoen. acad.* II. p. 72. et *Syst. Nat.* p. 1077. edit. XII. sed cf. Cel. *P. S. Pallas Elench. Zoophyt.* p. 412.

§. 734.

Trichuris (*Haarschwanz*) minimus vermiculus est, omnium intestinalium gracillimus ac tenuissimus, albidus, splendens, pellucens, corpore tereti rotundo septem linearum, et proboscide filiformi quindecim linearum longitudine *).

Co-

Copiosus admodum et frequens est ejus in corporibus humanis proventus, et sedes in intestino coeco, ut saltem crassorum canalem haud unquam transgrediatur. Quidam eorum in rectum extensi sunt et flaccidi; quidam in lineam spiralem contorti, magis cinerei, rigidi et elastici.

*) Huncce vermiculum primus accurate descripsit noster olim *Roedererus* in *Goett. gel. Anz.* 1761. n. 25. et deinceps quoque ipsius imaginem, prouti nudo oculo apparet, aeri insculpi curavit in Cl. *Car. Gottl. Wagleri* Diss. *de morbo mucoso*, tab. III. fig. 4. Fortassis autem *Roedereri* Trichurides sunt *Guil. Fabritii* Lumbricelli aciculares, quos glomeratim per vomitum a puero rejectos observavit. Saltem nomen a *Fabritio* usurpatum ipsis bene convenit; quamuis *Roedererus* suas Trichurides nunquam ore redditas, nec in tenuiorum intestinorum canale deprehenderit.

§. 735.

Praeter hasce vermium intestinalium species varia adhuc animalcula, bufones, anguillulae, hirudines, Gordii, lacertae, ranae, scarabaei, araneae, muscae earumque larvae, et quot non alia, ibidem, licet rarius, reperiuntur; quae non minus, quam vulgares illi et domestiei hospites, ut ita dicam, permultos cruciatus et daemoniacos sic dictos morbos excitant. Quid? quod in ipsis ordinariis vermibus varietas interdum non parva cum intuitu figurae, tum coloris observatur; quippe nigri, virides, rubri, pilosi, cornuti, mireque capitati, verbo monstrosi, subinde reperiuntur.

§. 736.

Nulla plane aetas, ut jam supra retuli (§. 729), a vermibus libera est; minime omnium vero infantilis atque puerilis; cum eo tamen, ut haec utraque longe frequentius ascarides et lumbricos, virilis autem taenias, fasciolas et trichurides alat; et mulieres etiam frequen-

quentius verminent, quam viri; in universum autem illi homines, in quorum intestinis multa pituita sive ex victu, sive ex morbosa causa generatur. Unde est, quod nonnulli inde ab infantia usque ad senium vermibus obnoxii, miserumque per intervalla martyrium ab iisdem subeant. Contra vero gulae atque baccho indulgentes, et laboriosi homines iisdem perraro aut nunquam plane laborant.

§. 737.

Nullum vero est tam grave pathema, quod non excitare possint vermes intestinales. Ac in intestinis quidem tum copia, tum motu, tum vero etiam perforatione, maximeque pituita sua sordida, quam excernunt, teterrimos adfectus inferunt: quorum praecipui sunt horrores, nauseae, vomitiones, dolores, spasmi, volvuli, inflammationes, suppurationes, diarrhoeae, alvi adstrictiones, atque inflationes. Reliquo corpori vero tantum non omnes affectiones spasmodicas et convulsivas, pallorem, dolores pleuritidem mentientes, tremores, paralyses, insaniam, coecitatem, vertiginem, lipothymiam, febres continuas et intermittentes putridas, catalepsin, ischuriam et symptomata calculi, et atrophiam inducunt. Famelici etiam persaepe fiunt verminosi, atque adeo bulimo et fame canina torqueri subinde observantur.

At pessimi omnium adfectus, praesertimque spastici et convulsivi, oriuntur, quando hospites illi molesti ventriculi vel intestinorum tunicas perfodiunt *), et in ipsum ventrem ruunt, ipsa morte subsequente. Aliquando tamen et bona fortuna evenit, ut ex apostemate, sive sponte orto, sive ex hernia in inguinibus, aut umbilico vel prope illum, erumpant, nunc semel tantum, nunc per intervalla.

Non

Non raro denique febres omnis generis comitantur, easque admodum periculosas et exitiales reddunt.

In tam insigni autem morborum tum topicorum tum universalium numero, quos excitare vermes intestinales ex non una causa possunt, admirandum maxime vicissim hoc est, quod et saepe per totam vitam sine magno incommodo, quin et sine ullo interdum, neque quidem topico, ferantur.

Plerumque autem vespertino et matutino tempore, in vacuitate canalis alimentaris, eoque item, quo anthelmintica exhibita fuerunt, vehementius sese movent atque taediosas turbas excitant: deinde quoque verno tempore; quo ipso multis etiam sponte supra infraque erumpunt.

Subinde et unus vel alter lumbricus, raruis taenia, in os cum aegrotantium, tum sanorum adscendit. Subinde etiam et vivi et mortui vomitione redduntur in acutis.

*) vid. *I. H. Schulzii* diss. *de lumbricis effractoribus*, Hal. 1740 .Recentiores casus lege sis apud Cel. *van Doeveren* diss. *de Vermib. intest.* p. 60. Ill. *Stoerkium ann. med.* II. p. 228. et alibi.

730.

Ut nullum fere symptoma existit, quod non inferatur a vermibus; pathognomonicum tamen eorundem signum vix ullum reperitur, nisi sponte ipsi quaquaversum erumpant. Quapropter ex conjecturalibus saltem notis eorum praesentiam eruimus, et praesertim ex abdomine tumido, doloribus intestinorum, adpetitu nunc immaniter aucto, nunc diminuto, alvo modo adstricta, modo fusa, atrophia, lipothymia, copioso lymphae in os adfluxu, pruritu narium, stillicidioque aliquando sanguinis ex naribus, affectibus spasticis aut convulsivis citra datam occasionem et repente obor-

obortis, atque denique copiosiore pituitae excretione ex alvo, sive spontanea sive artificiali. De ascaridum signis supra jam dictum est (§. 730.).

§. 739.

Quemadmodum vero diagnosis vermium difficilis est; sic non minus eorundem expulsio difficultatibus laborat, etiamsi innumera copia sic dictorum anthelminticorum in libris medicorum reperitur, quae vel specificorum titulo insignita persaepe frustra adhibentur. Nos quidem paucis eorundem contenti sumus, qui aliis certe centenis palmam praeripiunt, purgantibus videlicet mercurialibus iterate datis, semine cynae, et decocto hydrargyri. Atque ista quidem lumbricos, trichurides et ascarides fortiter enecant ac expellunt. Ad taenias vero expellendas nullum valentius datur, quam radix filicis in pulverem contrita ad scrupulum vel dimidiam drachmam, cum gummi gutte granis tribus circiter mane et vesperi per aliquot dies exhibita *).

Quodsi una vice ingens lumbricorum numerus aut taenia expulsa fuit, homines quasi vacuos se sentiunt in interioribus, velut hi, qui paracentesin sustinuerunt.

Nec raro quoque animadversum, quod expulsis vermibus nihilominus morbi, praesertim ex classe nervosorum, ab iisdem excitati, remaneant.

*) Hac data occasione non possum, quin genuinam compositionem remedii arcani Ill. *Herrenschwandi* cum lectoribus communicem, quemadmodum is ipse illam mihi candide ac fideliter revelavit, simulque etiam permisit, ut illam, si volupe esset, patefacerem: id quod nunc eo lubentius quidem facio, quum docti quidam viri divinando eruisse se miscelam gestiverint; (*Linn.* diss. *de Spigelia anthelmia*) alii vero falsam compositionem pro vera acceperint ac publicaverint. (*Gaj. Andreae* diss. *de Taenia*, Groning. 1769.) Constat autem pulvis ille ex gummi gutte, sale absinthii, et carbone fraxini.

CLAS-

CLASSIS IX.

MORBI MENTIS.

MANIA. MELANCHOLIA.

§. 740.

Ita sibi hae binae adsectiones adfines sunt, ut non solum sub uno nomine Insaniae longae commode comprehendi queant, sed et quoad causas juxta atque ipsam curandi rationem inter se conveniant. Persaepe etiam illae se invicem mutuo solent excipere. Quin et utrinque laborantes absurda et a ratione et consilio abhorrentia efficiunt, loquuntur, aut cogitant.

Eo tamen melancholicus et maniacus inter se distant, quod iste omnia cum metu ac tristitia peragit, hinc et consortium hominum et conspectum fugit, solitudines etiam quaerit, sellae suae vel lecto semper affixus haeret, quin et interdum nec loquendum sibi esse putat: hic vero loquacitate, iracundia, jurgiis, clamoribus, sub horrido aspectu multoque majore corporis impetu atque mentis alienatione exercetur, ut tanquam immanis bellua in adstantes aliquando dentibus, unguibus et pugnis inusitata rabie invadat.

Utrumque malum anxietas non levis, itemque insignis frigoris tolerantia, ac pervigilium comitantur. Quidam etiam valde voraces sunt, alii contra cibos fastidiunt aut saltem diu inediam sustinent. Corpus plerisque praeterea friget ac impallescit. Mens uni et eidem cogitationi adfixa est: affectus animi quicunque vehementes atque pertinaces; in reliquis vero neglectus, contemtus ac indifferentia.

§. 741.

Videntur autem hae mentis alienationes partim a sanguinis aut bilis vitio, partim etiam a peculiari nervorum adfectione proficisci.

Sanguinis vitium in detracta per venam portione saepe luculenter conspicitur; siquidem piceus ille, crassus atque nigricans adparet; quemadmodum et ipse corporis habitus fuscus, biliosus, lividus aut niger est, aut similibus maculis obsessus.

Bilis autem vitiata qualitas in fecibus, quae de alvo descendunt, se manifestat; utpote quae plerumque fuscae vel subnigrae, et subinde etiam griseae, ictero demum succedente. Neque rarum est, ex incandescentia vehementiore, qua magnopere alteratur bilis, insaniam furiosam generari. Et in vesicula fellea demortuorum melancholicorum bilis nigra, picea subinde reperitur.

Sunt autem istiusmodi humores corrupti maxime circa imi ventris viscera accumulati, ibidemque praecordiorum tensiones, aestum, tumores, quin et corruptiones pariunt, et non raro effusi ex ventriculo, intestinis, renibus, utero, aut pulmonibus prodeunt.

Quod autem ad nervorum illam adfectionem attinet, de qua supra scripsi, quod insaniam ingeneret; istam mente quidem penitus comprehendere ac determinare haud valemus; ex eo tamen non obscure intelligimus, quod insani non solum frigus et vigilias, sed et inediam interdum sine incommodo sustinent, insuperque praemagno corporis robore pollent, valentissima etiam purgantia innocue ferunt, denique vix unquam alio morbo, neque contagioso, corripiuntur, atque vitam perquam diu transigunt.

Ceterum qualiscunque humoris morbosi decubitus ad encephalum aut specialissime ad nervosas illas partes, quae in nobis sensus internos efficiunt, insaniam producit; quemadmodum ex sequentibus satis clare con-

constabit: ut adeo citra omnem rationem ac experientiam olim et hodienum quoque abs nonnullis qualiscunque insania longa in quocunque homine ab atrabilario humore derivata fuerit.

§. 742.

Sed et omnino necesse est, ut simul in cerebro ac systemate nervoso arcana quaedam dispositio haereat; ad quam quidem idiosyncrasia quaedam referenda praesertim videtur, haereditario traduce accepta. Nec raro quoque vitia diversi generis in maniacorum atque melancholicorum encephalo reperiuntur, cerebrum valde siccum, vasa cruore atro turgida, et varicosa, meninges putridae, ventriculi cerebri aqua repleti, vermes, lapilli in glandula pineali: quae inquilinam aliquam atque pravam hujus officinae mentis conditionem produnt; licet istiusmodi vitia subinde quoque in aliis corporibus, insania nunquam correptis, ut nec in horum quidem omnibus, adpareant. Interim rerum usus etiam ostendit, quod in optima corporis sanitate, cerebro ex percussione capitis violenta affecto, aut ex insolatione alterato, mania sese aliquando efferat. Et, si quidem verum est, quod quidam memorant, dari maniacos, qui artes profitentur, quales nunquam didicerunt; ex hoc quoque iterum apparet, in mania cerebrum prae ceteris partibus esse male affectum atque vitiatum.

§. 743.

At frequentissime, si ad principia nostrorum morborum attendas, nimiam quandam animi intentionem, unamque atque aliam in re etiam jucunda defixam diu cogitationem, et praecedere istos et constanter comitari observabis. Nihilque magis quam inanis religio, aut

vesanus amor, aut enormis quaedam ambitio animum pervertit.

Deinde vero a siccata scabie, abscissa plica, intenso gelu, atque graviore excandescentia, insania longa aliquando generatur.

Ceteroquin ferocissima et acuta mania ab hyosciami et daturae seminibus, atque belladonnae baccis inferri solet: quae pauco tempore, si venenum excuti tempestive potest, finitur; si non potest, cita morte hominem opprimit.

§. 744.

De puerperarum mania et melancholia specialiter quaedam adhuc praecipienda sunt. Illa vario tempore a partu ingruit, frequentissimeque illo, quo lochia profluunt, intervallo. Haec aliquanto serius accedit, sed plerumque haud diu a finitis illis. Utraque lento gradu et praesagis nonnullis signis praenoscenda, lochiorum scilicet fluxu ante cohibito vel imminuto, aut exsuperante, vicissimque aliquando multa sanguinis in ipso partu profusione, insigni aliquando dormiendi cupiditate, soporibus et pavoribus distinctis illudente. Aliis auditus gravis, immodicusve faciei rubor praecedit; quem dein mentis alienatio cum pedissequa garrulitate in mania, cum angore vero tristi in melancholia excipit. Aliis rheumatici praecedunt dolores, subito interdum invadentes, in brachio aut alibi, qui ex dolore anxietates, palpitationes cordis, animique deliquia pariunt.

Eadem deliria etiam ex abortu nonnunquam contingunt.

Diu-

Diuturniora ſunt, quae ſerius a paru invadunt, ſed plerumque iis minus acuta, quae a partu propius diſtant; quippe quae ſaepenumero jam ſub ipſo puerperio finiuntur, praeſertimque ſub mammarum febre inflammatoria ſi qua acceſſerint.

Sed ubi haec deliria puerperarum febri juncta, haec plerumque peſſima exanthemata excludit et letifera eſt.

§. 745.

Qualiscunque autem inſania longa ſanationem difficulter admittit; faciliorem tamen paullo curationem maniae, quam melancholiae eſſe, ſciendum eſt; et utramque pariter faciliorem, ſi ex alio morbo orta fuerit, ut fit interdum ex intermittente febre, variolis, phrenitide, haemorrhagia ſuppreſſa, atque hyſterica et hypochondriaca paſſione; itemque ſi remiſſiones ſuas ac circuitus habet, nec ex haereditate eſt, ſed ex cauſa morali, aliave haud innata.

Feliciter etiam alii morbi ſupervenientes eam ſolvunt, velut febres intermittentes, rheumaticae, haemorrhoides largae, varices, ventris fluxus bilioſi, ulcera, puſtulae, ſcabies, arthritis, vulnus capitis, convulſiones, hydrops, quanquam is aeque ac illae parum feliciter.

Rarior tranſitus eſt melancholiae in diuturnum ſoporem; rarior etiam, at bonus tamen, in ecſtaſin.

Bonum utrobique omen eſt, ſi fletus ac riſus alternare incipiunt, ſi delirio ſomnus ſupervenit, ſi tuſſis vehemens oboritur, ſi exanthemata in pectore erumpunt, aut denique dolor pedes aut pectus ſubit.

In quibusdam inducias agit insania, totaque finita ac abolita videtur; circa aequinoctia vero, vel alio tempore recurrit. In aliis ira furorem revocat.

Aliquando morbus coecitate terminatur: aliquando fit, ut fatuitas remaneat; quae ipsa etiam utrique insaniae se interdum immiscet. Citissime vero illa insania finitur, quae assidua; paullo tardius, quae remissiones habet; tardissime, quae per intervalla prehendit, aut alternat.

Mors autem accidit modo ex supervenientibus morbis convulsivis, modo ex hydrope et tabe, modo ex lethargo vel apoplexia: quae causa est, cur affecti post diu toleratum morbum in lecto suo aut in latibulo aliquo vel latrina ex improviso mortui haud infrequenter reperiantur.

§. 746.

Falsa opinio est, maniam carere febri. In qua ex melancholia facta ego semel observavi acutam remittentem cum urina critica: qua et insania et febris judicabantur. Multo frequentius autem mania febre longa stipata esse solet, modo vaga, modo quotidianae remittentis vel tertianae similis typum aemulante. Utraque haec longa plurimum mitescit, quum remissius aegri furiunt; neque tamen typum deserit, et sub vitae finem aliquando discedit in acutam.

Etiam melancholici non solum sub adulto morbo, sed incipiente quoque febre lenta haud raro conflictantur, modo typum quotidianae remittentis exhibente, modo vaga.

§. 747.

§. 747.

Quum qualiscunque humor morbosus ad encephalum delatus insaniam longam ingenerat; sequitur, ab evacuantibus, iterate adhibitis, maximum posse auxilium expectari. Quemadmodum vero emetica et purgantia, eaque quidem utrobique paullo valentiora, hic inprimis conferunt; ita, quoad reliqua evacuantium genera, ad ipsam indolem humoris morbosi in curatione est respiciendum, ac noscendum, modo hoc, modo illud genus prae ceteris praesidium praestare: unde est, quod alii venaesectionem, arteriotomiam aut occipitis scarificationem, quin et ipsam trepanationem, alii vesicatoria, setacea, fonticulos salivantia, diaphoreticave, interque haec maxime camphoram atque moschum, itemque balnea tam frigida, quam calida, prae ceteris praedicent: in quorum ergo selectu judicium Medici requiritur.

Inter communia autem remedia, quorum permulta perperam quidem in libris Medicorum collaudantur, ego his, quae mox subjiciam, contentum me profiteor. Ex radicis rhei orientalis, taraxaci, et ligni sancti, singulorum uncia, florumque cheiri manipulis duobus paratur decoctum, sumendo manipulum pro una dosi, et adfundendo aquae fontanae libram; idque mane calide per plures dies hauritur. Circa meridiem vero, et vesperam praebetur cochlear plenum mixturae, quae habet essentiae hyperici et julepi rosarum, singulorum uncias duas, nitri depurati unciam dimidiam. Maniacis praeterea utiliter datur opium ad granum unum et plura cum pulvere antispasmodico vel alio temperante sub noctem ad leniendum furorem et complacanda juxta pervigilia cum anxietatibus. *) Iisdem etiam valde prodest, inter emetica quidem

dem, ellebori albi radix ad pauca grana, si bilis atrae signa vera adsunt; melancholicis vero, ad eandem subducendam, elleborus niger.

Praeterea ad exercitationes corporis insanientes, quoad licet, deducendi sunt; a nimio vero cibo, ut et a vino abducendi. Pro potu autem maxime inservit aqua, aut temperatior aliquis fons medicatus. Interque edulia mire prosunt cucumeres, horaei fructus, lac ebutyratum, ac coagulum lactis acidulum.

Ubi vinum, aestus, ira, aut profluvium quoddam sanguinis suppressum maniam ingenerarunt, inprimis utile est, frigida aqua saepiuscule lavare caput ad cutem tonsum, aut huic illam, quin et nivem aut glaciem imponere, tumque simul insanientem in balneum calidum usque ad scrobiculum cordis demittere.

Praeter haec adversus omnium insanientium animos gerere se oportet pro cujusque natura, sic, ut quae diu mentem occuparunt imagines per alias iisdem oppositas sive veras, sive fictas, prudenter removeantur et sic quasi pedetentim evellantur. Saepius etiam illis assentiendum est, quam repugnandum. Elicienda quoque ipsorum intentio, et quidquid proinde mentem recreat, sive sint cymbala, sive symphoniae, sive strepitus, sive librorum lectio, illud adferendum atque comparandum; quidquid contra offendit, removendum.

Communia denique haec sunt, non oportere esse vel solos, vel inter ignotos, vel inter eos, quos aut contemnant, aut negligant; mutare debere regiones, et, si mens redit, annua peregrinatione esse jactandos; ut recte atque sapienter a *Celso* est praeceptum.

ceptum. **) Addam, itinera ad fontes medicatos inprimis quam plurimum prodesse.

Maniacos plagis afficere, inhumanum est et crudele; cum satis sit, vincire eos.

Sed nulla cura magis eheu! quam cum furore insanientium taediosa est; quum aegre admodum ad sumenda remedia commoveantur.

*) Emulsiones ex seminibus papaveris, aliisque frigidis nihil hic valent, quum vix opium aliquid praestet.

**) *L. IX. c.* 18.

FATUITAS. STUPIDITAS. AMENTIA.

§. 748.

Singulare genus alienatae mentis est Fatuitas, μώρωσις Graecis appellata: in qua homo neque tristitia aut metu, neque furore agitatur, neque anxietate, neque vigiliis adficitur, sed aequali potius et tranquillo animo est, cum eo tamen, ut ipsius rationatricem facultatem non leviter infirmatam videas; siquidem non nisi ludicris nugis ac crepundiis, infantum instar, delectatur, hebes ceterum, et negligens, et ἀδιάφορος, neque sibi, neque aliis nociturus.

Id vitium tam congenitum est, quam adquisitum, hocque maxime ex aliis morbis mentis oritur.

Raro, sed aliquando tamen, in homine sapienti derepente ac ex improviso vel erumpit, et breve admodum spatium recipit; ἔκστασις mihi dicitur.

Acquiſita ſtoliditas juxta atque nativa contra ut plurimum per omnem vitam durat; et prior quidem aliquando ſuperabilis eſt, quum cauſa ejus deprehendi atque tolli queat; altera invincibilis.

749.

Eſt alia mentis hebetudo, a priori ſaltem gradu diverſa, Latinis ſtupiditas ſtricte dicta, Graecis ἀναισθησία: in qua imminuta phantaſia, ratiocinatio et memoria deprehenditur; cum eo tamen, ut nullae infantiles nugae, quemadmodum in fatuitate, ſe immiſceant. In illo enim mentis torpore homo nihil quidem peragit, quod a recta ratione abhorret; ſed duntaxat magno cum labore et tarde admodum cognitionem rerum adſequitur, nec perceptas diu retinet. Unde ipſius intellectus praemagna imbecillitate, eaque haud unquam fere ſuperanda, laborat.

Dantur autem plures ſtupiditatis gradus, dum quidam circa res omnes, alii circa aliquas duntaxat capiendas inidonei reperiuntur.

Diſtinguendum etiam eſt inter ſtupiditatem ſimplicem, qualis eſt modo deſcripta et quae in corpore ſano exiſtit; ac compoſitam atque complicatam, quae cum alio mentis morbo et cum ipſa fatuitate conjungitur, aut in qua ſtupidus nihil prorſus loquitur, nec corpus ſuum movet, interdumque et cibo ac potu abſtinet.

Aetas, diſpoſitio haereditaria, ebrietas frequens, morbus longus mentis, ſoporoſus, epilepſia, paralyſis, febris, hydrocephalum internum, vehemens frigus, vulnus et ictus capitis, ejusdem conformatio mala,

mala, abſceſſus et tumores cerebri, vehementes atque ſubitae animi paſſiones, nimia ſanguinis profuſio, intenta meditatio, pervigilium, et frequens opii uſus, ſtupiditatem aeque ac ſtoliditatem inferre valent. Venena quoque nonnulla ex ingenioſis poſſunt ſtupidos et amentes reddere: an etiam vis coeli et aeris? vix hoc credibile; ut potius ſtupidiores aliis gentes ex rudi atque barbara educatione hoc vitium habere videantur.

Stupiditas ex morbo aliave evidenti cauſa contracta interdum curationem adhuc, licet difficillime, admittit. De connata ſupra jam monitum eſt, quod vix ſuperari queat, niſi admodum ſimplex fuerit. Obſervationes namque docent, quod multi in pueritia hebetes in adultiori aetate dociles ac ingenioſi fiant.

Interim etiam accidit interdum, ut tam ſtupidi, quam ſtolidi plus ingenii ex morbo, quam ex ulla medicina conſequantur.

Si qua autem medicina illis convenit atque profutura eſt, ex evacuantium claſſe diverſi generis juxta atque tonicorum ac nervinorum ea deſumenda eſt. Per experientiam etiamnum conſtat, quod inſitio ſcabiei ſtupori mentis medeatur. *). Non ſolum vero Medici, ſed et Praeceptoris opera ad ingenia ſtupidorum exercenda ac expolienda hic requiritur.

*) vid. Cel. *Muzell medic. und chir. Anmerk. II. Saml.* p. 60. *et J. Ulr. Toggenburger* diſſert. *caſum ſtuporis ſcabiei inoculatione curati exhibens.* Argent. 1760.

§. 750.

§. 750.

In amentia, Graecis ἄνοια dicta, ratiocinatio aeque ac phantasia prorsus est deleta et abolita, sic, ut mens nullos conceptus, qui ad sapientiam spectant, formare queat, neque illa ipsa principia adsequi, quae ad disciplinas qualescunque in universum addiscendas ante constituuntur. Qua de causa dementibus omnis aditus ad sapientiam praecluditur, ac in erudiendis illis opera oleumque perditur. Multi ex his diu absque cibo et potu quoque vivunt.

Amentia autem vel acquisita est, vel congenita, et ex iisdem causis oritur, ac priores mentis imbecillitates.

OBLIVIO.

§. 751.

Memoria, cujus officium est, imagines recipere ac retinere, tum aboleri, tum et multo saepius debilitari consuevit in diversae aetatis hominibus. Utrumque vitium Oblivionis nomine significatur.

Per easdem vero causas, quae stupiditatem et stoliditatem inducunt, potest etiam memoria amitti, et ex hujus defectu vicissim fatuitas induci.

Discrimen hinc inter connatam et acquisitam Oblivionem pariter hic locum obtinet, ac in prioribus vitiis, §. 748. 749. 750.

§. 752.

Si ſalvo homini memoria laeditur, absque aliqua externa cauſa, imminentis apoplexiae, epilepſiae, aut paralyſis indicium eſt. Oblivionemque tum ſaepe quoque ſomnolentia comitatur.

Si aegroto viribus orbato memoria deletur aut valde ſaltem labefactatur, propinquam mortem ſignificat.

Curatu autem difficilis eſt oblivio, quae cum apoplexia, lethargo aut caro accidit, nec, niſi in vigore aetatis et ſi vires adhuc conſtant, curationem adhuc admittit. Incurabilis vero ea eſt plerumque memoriae laeſio, quae a malignis morbis aut ex aetate proficiſcitur.

§. 753.

Roborantia ac nervina tam extus, quam intus diu uſurpata, oblivioni aliquando ſuccurrunt, interpoſitis quidem evacuantibus diverſi generis, niſi oblivio ex immodica evacuatione orta ſit.

Extus itaque cucuphae ex majorana, thymo, lavendula, ſemine amomi, cariophyllis aromaticis et radice ireos Florentinae conducunt; itemque balſamum Scherzeri et ſimilia linimenta, atque etiam liquores ſpirituoſi: quae omnia vertici ac temporibus illinuntur.

Intus autem ex uſu ſunt trageae aromaticae, niſi quid iis uti prohibet; et infuſa vinoſa ex ſerpillo,

lo, mentha, rosmarino, salvia, radice galangae, nuce moschata, et aliis hujusdem prosapiae. Confectio autem anacardina ob suspectam facultatem fugienda.

FINIS.



TABV-



TABVLA TOTIVS OPERIS

CLASSIS I.

FEBRES.

Classis II.

PROFLVVIA.

ORDO I.

Haemorrhagiae.

Cl. II. Ordo II.

APOCENOSES.

Classis III.

EPISCHESES.

Classis IV.

DOLORES.

CLASSIS V.

SPASMI.

Classis VI.

ADYNAMIAE.

Classis VII.

HYPERAESTHISES.

Classis VIII.

CACHEXIAE.

Classis IX.

MORBI MENTIS.





INDEX.

Numerus paginas indicat.

A.

B.

C.

D.

O.

P.

Q.

R.

Adden-

Addenaa.

§. 34. lin. 10. *post verba:* Coniunctum habet, *lege*, aut denique insidiose mitem indolem ab initio exhibet, posthaec vero praeter rationem ingravescit, vitaeque periculosa fit.

§. 44. p. 33. periodo tertia, *post* non negligendum, *adde* et quandocunque aegri illud appetant.

§. 55. lin. 5. *post* hydrophobiam *lege* lethargum, febrem dysentericam, sudatoriam, catarrhalem malignam.

§. 82. p. 57. periodo quarta *sub finem adde:* nisi si excretiones per interualla (§. 81.) accedant, ubi praemittere ac interponere utriusque generis evacuantia consultum est.

§. 85. p. 59. ad finem sequentia *adiiciantur:* Frequentius in hac febre hominem prius tertiana intermittens, quam quotidiana adoritur, quae post primum, secundum, aut tertium paroxysmum paullatim illam subsequitur. Aliquando vero vicissim prius oritur quotidiana, deinde post tres, quatuor, pluresve dies tertiana supervenit.

§. 103. p. 73. lin. 7. *post:* qui nullis, *adde:* Alii febricitant, alii non febricitant.

§. 118. p. 84. lin. 4. *post:* quas mihi *lege* ex parte.

§. 123. p. 89. n. 3. *Post:* Vbicunque febris, *legatur:* inflammatoria nimis vehemens est, et ultra suum terminum protrahitur, repetita inprimis sanguinis missione et antiphlogisticis, etiam ex purgantium classe, opus est; si maligna, etc.

§. 216. p. 170. lin. 3. *post:* medicina reperitur, *interseratur:* nisi quidem intestinum prolapsum cum sacco herniae concreverit.

§. eod. ad finem num. 2. *adde:* Quodsi vero per haec remedia incarceratum se non subito restitui patitur intestinum, herniotomia sic dicta instituenda est: quod solidum, certum ac securum periculosissimi huius affectus remedium est.

§. 246. p. 192. lin. 5. *post* mammarum, *lege*, axillarum.

§. 331. p. 253. lin. ult. ad finem *adiiciatur*: Sed postrema causa potest etiam sola sufficere.

§. 384. p. 294. lin. 9. *post* iugibusque vigiliis *addatur*: nec non distentione nervorum, febre, cum inflammatione aliisque gravissimis ac pernitialibus symptomatis.

§. 425. p. 328. lin. 8. *post* cucurbitulae *leg.* aut hirudines.

§. 436. p. 338. lin. 3. *post* adhibenda sunt, *lege*, cum eo, ut copiosus aquae potus ubique proficiat.

§. 466. p. 367. lin. 4. *post* venis cutaneis *lege* glandulis.

§. 480. p. 385. lin. 12. *post* velut *lege* caput.

§. 482. p. 386. lin. 16. *post* cruraque distenta *lege* aut inflexa.

§. 507. p. 410. lin. 4. *post* super cranio absconditus *lege* vapor calcis vivae.

§. 533. p. 429. period. 4. lin. 3. *post* Ubi vero causa latet *lege* tum catharticis, et nisi haec suffecerint,

p. 469. period. sext. *post* a frigore *lege* et post salivationem.,

p. 557. lin. 15. *post* pedis *lege* cruris.

Errata.

p. 81. §. 114. lin. 4. pro longae *lege* largae.
p. 166. lin. 3. praemens - premens.
p. 199. lin. 1. morbo - modo
p. 270. lin. 5. malo - modo.
p. 309 §. 406. lin. 12. pro spiritus salis - spiritus salis dulcis.
p. 328. lin. 10. hacamaliaca - tacamahaca.
p. 336. lin. 6. Huic - Hinc.
p. 363. §. 461. lin. 6. contractum - contactum.
p. 385. lin. 9. externas - externae.
p. 434. lin. 8. absociata - sociata.
p. 436. §. 542. lin. ult. per - pro.
p. 438. period. sec. lin. 7. ultra citraque - ultro citroque.
p. 440. §. 544. period. sec. lin. 1. constitutum - constitutam.
p. 444. §. 548. lin. 3. sequius - segnius.
p. 445. lin. 3. alternam - alteram.

